
COMPENDIUM HISTORIAE ORDINIS PRAEDICATORUM

SCRIPSIT

ANGELUS MARIA WALZ O.P.
S.T.D., ARCHIVARIUS, PROFESSOR
APUD « ANGELICUM » DE URBE

ROMAE
LIBRERIA HERDER
MCMXXX



ORDINIS PRAEDICATORUM LABORES ET GLORIAS ILLUSTRAVIT P. LUCAS KNACKFUSS

COMPENDIUM HISTORIAE ORDINIS PRAEDICATORUM


CONSCRIPSIT

ANGELUS MARIA WALZ O.P.
A.T.D., ORDINARIUS PROFESSOR
APUD [illegible] ANGELICUM DE URBE

ROMAE
LIBRERIA HERDER
[illegible]



ORDINIS PRAEDICATORUM LABORES ET GLORIAS ILLUSTRAVIT P. LUCAS KNACKFUSS



COMPENDIUM HISTORIAE ORDINIS PRAEDICATORUM

SCRIPSIT

ANGELUS MARIA WALZ O.P.

S.T.D., ARCHIVARIUS, PROFESSOR

APUD « ANGELICUM » DE URBE

ROMAE

LIBRERIA HERDER

MCMXXX

Attentis votis duorum revisorum ex Ordine opus, cui titulus: *Compendium historiae Ordinis Fratrum Praedicatorum* auctore P. Angelo M. Walz, typis edi, servatis servandis, permittimus. Datum Düsseldorpii, in festo Omnium Sanctorum, die 1. Nov. 1929 (Reg. pag. 135). Fr. Thomas M. Stuhlweissenburg O.P. Prov. Teut.

Imprimatur. ✠ Iosephus Palica Archiep. Philipp., Vicesgerens.

Tip. "Angelica" - Roma.

Reverendissimo Patri

MARTINO STANISLAO GILLET

Magistro Generali Ordinis Praedicatorum

in filiale obsequium

« Superiores universi..... documentorum curam et historiae nostrae studium inter Fratres fovere satagant ». Constit. O.P., ed. 1924 n. 356.

« Sic igitur decus atque honorem gentis nostrae custodiemus ». R.mus p. Frühwirth in praef. ad Analecta Ordinis, 1. Nov. 1892.

LECTORI BENEVOLO!

Compendium seu manuale historiae ordinis fratrum Praedicatorum in votis plurium iam diu erat. Et quidem dignitas, qua ordo iste in Dei Ecclesia plantatus vixit et virescit, consignationem capitum maiorum eius historiae postulare videtur. Nec rei nostrae amore excaecamur, dum dignitatem ordinis nostri primo loco nominamus, teste enim cl.mo Edmundo Martène O.S.B.: « Tanta est ordinis Praedicatorum praestantia, tanta sunt eius in ecclesiam bene merita, ut quaecumque ipsum tangunt, vel minima antiquitatis monumenta praeterire sit nobis religio » (Ampl. coll. VI 331). — « Res est praeterea et immensi operis, ut quae supra septingentesimum annum repetatur ». His verbis Titi Livi e praefatione ad suarum historiarum libros mutuatis alia ratio affertur, quae rerum ab ordine Praedicatorum gestarum annotationes conficiendas reddit acceptas, nempe ordinis antiquitas veneranda. — Instat demum tertio loco ratio concurrendi in campo colendae historiae. Possident alii ordines plures compendia suae historiae, praecipue fratres Minores praeclarum manuale historiae ordinis auctore p. Heriberto Holzapfel compositum. Quare prorsus decet, ut ordo Praedicatorum res suas non tegumento oblivionis abscondat, sed illas aspicere volentibus et maxime suis professis ipsis proponat.

Hae utique rationes pro aliqua expositione saltem brevi historiae ordinis fratrum Praedicatorum efficaciter militant. At nunc de

modo proponendi rem, id est de opportunitate compendii historiae ordinis quaestio oritur.

Brevitas quidem operis et ipsius historicae inspectionis circa res gestas ordinis nostri favet tum illis, qui in variis partibus historiae ordinis sunt periti, ut magis lineas generales et factorum inter se nexus prae multitudine singularium eventuum ac personarum percipiant, tum illis, qui instructionem de historia ordinis quaerunt, ut cognitionem ordinatam et systematicam historiae ordinis sibi acquirere possint.

Ceteroquin nemo ipsam necessitatem vel utilitatem compendiosae expositionis de historia dominicana infitiatur. Imo in capitulo generali Venlonensi anno 1913 (p. 205, n. 191) non solum commissum fuit « r.mo magistro ordinis ut confici procuret ab aliquo ex nostris manuale historiae totius ordinis » verum etiam (ibid. p. 203, n. 183) ordinatum, « ut in quocumque studio ordinis instituantur lectiones de historia ordinis nostri ». Huic patrum capitularium voluntati et ordinis desiderio obsecundans r.mus p. Theissling ex anno 1921 cursum historiae ordinis in Collegio Angelico de Urbe (ut nonnisi studium nostrum primarium citetur) instituit et r.mus p. Paredes manuale historiae ordinis compilandum decrevit. Tandem r.mo p. Gillet ordinem gubernante, datum est Compendio huic lucem adspicere.

Quot et quantae difficultates in elaborando huiusmodi compendioso opere essent, nimis et sensi et sentio. Imprimis ex fine lucubrationis non tam ad ornate et copiose narrandum, quam ad bene informandum attendere debui. Si deinde ex una parte repetitiones vel ad idem argumentum allusiones plus una vice propter necessi-

tatem tractandae materiae inveniuntur, ex alia parte enumerationes nominum pro more promptuarii interdum datorum utpote a lectoribus amplius evolvendae evitari non potuerunt. Demum intensi, quos feci, conatus tum clare et distincte disponendi quaestiones diversas tum generalioris considerationis rerum, sapientem nullum effugient.

Id certe meriti Compendium praeiacens habet, ut non solum e serie velleitatum librariarum ad exhibitionem historiae brevis, universalis, fundatae ordinis Praedicatorum adducat sed etiam ipsum velut synthesis ad inspiciendum ac consulendum, imo tamquam dux addiscendarum rerum commodo cupidorum esse valeat.

Iis autem omnibus, qui me in libro conficiendo aut revisione ac consilio aut rei vel latinitatis correctione iuvarunt, maxime Antonino Mortier, Stephano Vallaro S. T. M., Ambrosio Bačić S. T. M., Hieronymo Wilms S. T. L., Bennoni Biermann S. T. D., ill.mo et r.mo d.no Blasio Verghetti, gratias ago. Atque ut quicumque lucubrationem hanc districte iudicaturi sint, verba praefationis huius et legant et benigne recolant, sincere exposco.

Mense septembri 1929.

AUCTOR

HISTORIA FRATRUM PRAEDICATORUM.

I. Pars. Ab initio ad annum 1507.

I. Evolutio generalis.

II. Constitutio ordinis.

III Vita et actio ordinis

a) *religiosa.*

b) *scientifica.*

c) *apostolica.*

IV. Evolutio provinciarum. Statistica generalis.

V. Habitudo ordinis ad clericos et ordines alios.

II. Pars. Ab anno 1507 ad annum 1804.

I. Evolutio generalis.

a) *Reformatio continuata. Extensio et defectio partium ordinis* (1508-1578).

b) *Restrictio libertatis ordinis* (1578-1649).

c) *Tempus absoluti regiminis* (1650-1747).

d) *Resistentia contra Illuminatismum* (1747-1804).

II. Constitutio ordinis.

III. Vita et actio ordinis.

a) *religiosa.*

b) *scientifica.*

III. Vita et actio ordinis

a) *religiosa.*

b) *scientifica.*

c) *apostolica.*

IV. Evolutio ditionum. Statistica generalis.

HISTORIA SORORUM ORDINIS PRAEDICATORUM.

HISTORIA TERTII ORDINIS PRAEDICATORUM.

HISTORIA FRATRUM PRAEDICATORUM.

I. PARS. AB INITIO AD ANNUM 1507.

I. Evolutio generalis.

a) FUNDATIO ORDINIS (1206 - 1221).

Gregorius IX in bulla canonizationis S. Dominici a fonte sapientiae verbo patris Domini Iesu Christi, cuius natura bonitas, cuius opus misericordia exordiens, sanctos spiritu Dei et fidei agitatos quosdam utriusque testamenti eorumque conatus ad firmandum et dilatandum regnum Dei recenset. Relevat Gregorius IX praecipue seriem martyrum, ordinis S. Benedicti, ordinis Cisterciensis, et demum — tunc « impraesentiarum » — ordinum Praedicatorum et Minorum. Et quidem sancti fundatoris ordinis fratrum Praedicatorum laudes describens in eo vim facit, quod Dominicus « quandoquidem inexplicabile gaudium de zelo concipiens animarum ad eloquia Dei dedit animum et per evangelium Christi multos generans, in conversione tam strenuae multitudinis evangelicae dignitatis officium profitentis nomen et opus in terra meruit obtinere maiorum. Pastor et dux inclitus in populo Dei factus novum Praedicatorum ordinem instituit meritis, ordinavit exemplis nec miraculis confirmare desiit »[1].

§ 1. Summarium vitae S. Dominici.

In Hispaniae septentrionalis parte Castellae veteris urbs invenitur cui nomen Uxama (Oxoma, vulgo Osma), quae episcopali sede et magnis ornamentis illustrata inter nobiles civitates illius regionis numeratur. Adiacet viae, quae fluvium Durium versus Vallisoletum comitatur. In Uxamensi agro et dioecesi oppidum Calaroga situm est, cuius turris permagna aevum illud revocat, in quo Hispani contra Mauros dimicabant[1]. Calarogae circa annum 1170 honestiore

loco patre Felice matre vero Ioanna Dominicus, ordinis Praedicatorum dux et pater futurus, in lucem editus est. Nomina fratrum eius maiorum natu duo cognoscuntur, nempe Antonii et Mannis. Ex quibus ille sacerdos factus hospitium pauperum postea direxit, dum iste circa 1215 instituto religioso sui fratris etiam sacerdos effectus se addixit. Dum antiqui biographi S. Dominici characterem nobilis eius originis non tangunt, in saeculis posterioribus Felix ex stirpe Gusmanorum et Ioanna ex familia de Aza processisse dicuntur. Nomen infanti impositum est Dominici, a S. Dominico abbate Exiliensi sumptum, ad cuius sepulchrum Ioanna mater praegnans peregrinationem fecerat[2].

Praesagia duo infantis orituri incunabula eiusque vitam et virtutem collustrantia missa facere non debemus. Primum chronologice ab auctoribus inde a saeculo XIII sic narratur. « Mater priusquam ipsum conciperet.... vidit in somnis se catulum gestantem in utero, ardentem faculam baiulantem in ore, qui egressus ex utero totam mundi faciem inflammabat. In quo quid detur intelligi, nemo qui praedicatorem in catulo, in ardente vero facula divinum eloquium sacra attestante scriptura, designari recordatur, ignorat»[3]. Alterum chronologice a Iordano iam refertur: nempe de stella in fronte parvuli a Deo caelitus ostensa, dum Dominicus baptizaretur. Dominicus « fuit ab ipsis cunabulis indolis valde bonae et iam magnum aliquid insignis praeconizabat infantia, quod futurum maturiore praestolaretur aetate »[4]. Post eruditionem in foculari domestico receptam, anno aetatis septimo commissus est curae avunculi sui archipresbyteri in loco Gumiel de Izan, ut elementis litterarum imbueretur et in exercitio pietatis proficeret.

Ad ampliorem formationem, dum aperte ad clericalem statum aspirabat, Palentiam ivit, ubi schola cathedralis boni nominis existebat, ut ibi liberales scientias addisceret. Eas demum cum theologiae studio mutavit. Maturum iam virum in christiana lege et practicum Dominicus studens Palentiae se monstravit, cum opus illud caritatis sublevandae egestatis famelicorum per venditionem librorum sibi necessariorum « cum omni supellectili sua » praebuerit in exemplum « aliorum theologorum et magistrorum ». Illo tempore episcopus Oxomensis Martinus Bazan capitulum suae cathedralis ecclesiae reformare et in capitulum regularium canonicorum constituere ratus est. Inter viros ecclesiasticos quos ad eumdem finem attraxit quidam Didacus de Acebes eminebat, qui mox

prior Oxomensis nominatur. Qui Didacus congregationem bonorum canonicorum novis viris auxit. Dominici bona fama ad aures episcopi Oxomensis forsitan per Didacum pervenit. Sacerdotio initiatus Dominicus inter canonicos ecclesiae Oxomensis cooptabatur atque unus ex ferventioribus canonicis capituli Oxomensis approbatione archiepiscopi Toletani et regis Alfonsi VIII et Innocentii Papae III 1199 muniti, habebatur. Secundum regulam S. Augustini et constitutiones ecclesiae Oxomensis vivens intense spiritu profecit, pietate et caritate confratribus et proximis amabilis. Imo non obstante sua iuventute supprior capituli electus fuit.

In statu canonici regularis Dominicus communitatem regularem et sacerdotium et sacrum ministerium colebat. Haec conditio, quam in centro reformationis ecclesiasticae Oxomensi habebat, eum ad futurum munus praeparabat. Cum Didaco priore capituli et ab anno 1201 episcopo Oxomensi viro zelantissimo saepius ideas sacri officii et salutis animarum certe communicavit[5].

Oxomensis episcopus desiderio eundi in missiones flagrans, Romam iter instituit, ut a Summo Pontifice probationem suae ideae acciperet et renuntiationem muneris episcopalis consequeretur. Dominicum suppriorem viae comitem delegit. Hac occasione etiam regi Alfonso VIII favorem praestitit, dum huius nuntium ad filiam suam Blancam tunc cum viro suo Ludovico coronae Franciae herede in Marchiis Aquitaniae commorantem assumeret[6]. Anno 1206 Hispaniam relinquentes Didacus et socii eius, Tolosam pervenerunt. In hospitio, quo pernoctabant, ipse hospes domus, sicut plurimi suae gentis, haeresi deditus erat. Quem Dominicus alloquens et de errore convincens ad fidem reduxit. Salutis animarum fervore incensus discussionem et institutionem religiosam alii dandam Dominicus prae sua quiete eligens in initio suae publicae actionis exemplum splendidum dedit. Postquam peregrini monasterium Cistercii devotionis causa visitaverunt, ad Urbem profecti sunt. Ibi Didacus coram Innocentio III petitionem de abdicando episcopatu et intentione ad missiones eundi edixit. Attamen Papa petenti non acquiescens ei ad dioecesim suam redire iussit. Redeuntes apud civitatem Montispessulanensem, quae catholicam fidem in medio depravationis religiosae servaverat, legatos pontificios pro superanda haeresi in Gallia meridionali constitutos Arnaldum abbatem, Petrum de Castronovo ac Radulphum monachos Cistercienses salutarunt, qui animum despondebant ob insuccessus, quos passi sunt. Praedicaverant

quidem, sed etiam minis, vi, excommunicatione processerant. Qua de causa influxum et fiduciam non excitaverant, praelatis ecclesiasticis eos minime iuvantibus, principibus et nobilibus cum civitatibus plurimis eis se opponentibus. Haeretici legatos pontificios deridebant.

Eorum taedii causam bene intellexit Didacus. Eam autem sicut ipsam methodum Cisterciensium legatorum superare conatus est, indicando modum, quo praedicatio verae fidei efficacior et validior redderetur, ut nempe « per omnia formam apostolicam imitantes » pedites irent et non cum exteriore apparatu pompae praelatitiae apparerent.

Verbum exemplo roborare promisit. Equos suos et comites et supellectilem Oxomam remittens, secum Dominicum retinuit. Abbas Arnaldus ad celebrandum capitulum Cistercium abiit, dum Petrus de Castronovo et Radulphus Didacum sequebantur. Tempore aestivo anni 1206 quatuor hi viri Montepessulano exeuntes velut pauperes praedicatores spiritu apostolico praedicabant et in locis Beterrensi, Carcassonnensi, Monteregalensi disputabant. Petrus de Castronovo mox viros modo apostolico procedentes reliquerat, cum ei magis pugna violenta quam persuasio veritatis medium aptum ad convellendum haereticorum errorem visum fuerit. Mense octobri 1206 post disputationem praeclaram Montisregalis habitam Didacus cum Dominico et Radulpho per regionem euntes praedicabant, etiam de fundatione Pruliana cogitando et, cum duodecim abbates Cistercienses abbatem Arnaldum comitantes advenissent, hos eorum talem missionis normam servandam edocebant. Licet Innocentius Papa die 17 novembris anni 1206 legato Radulpho methodum apostolicam hanc pro omnibus praedicatoribus inter haereticos Galliae meridionalis commendaverit, opus conversionis pacificae ex instante bello Albigensium per legatos pontificios et exercitum catholicorum impediebatur. Didacus autem ad dioecesim remeare voluit, ut ibi negotia sua perficeret et novae domui Prulianae pecuniam afferret. Instituta celebri disputatione Apamiis cum Durando Oscensi (de Huesca) exeunte anno 1206 Didacus episcopus gallicas partes reliquit cum intentione eo revertendi « et tunc demum cum assensu D. Papae in illis partibus aliquos ordinare viros ad praedicandum idoneos quorum esset officium, haereticorum errores semper elidere et tuendae veritati non deesse ». Non autem reversus est, cum die 6 februarii 1207 obierit[7]. Dominicum vero haec mors sui paterni amici

dure afflixit. At fructum copiosum praedicando et de universaliore praedicatione cogitando collegit durantibus annis expeditionis cruce signatorum in haereticos illatae (1209/13)[8]. Stationem missionariam Prulii ampliavit et securis adiumentis instruxit, quae etiam a duce exercitus comite Simone Montisfortis sibi gratissimo petiit. Prulii in initio congregatio feminarum « conversarum » id est ad opus Deo dicatum se dantium cura Didaci institutum fuerat, ut ibi per feminas in catholica vita solidatas adulescentulae vera fide imbuerentur. Ex parte catholica huiusmodi institutiones eo vel magis desiderabantur, cum haeretici iis praecipue et quidem locupletibus influxum magnum sibi praeparabant. Mense decembri 1206 domus Pruliana constituta fuit nominato Dominico vicario et Guillelmo Claret syndico. Sub nomine « sanctae praedicationis »[9] communiter designabatur. Ad eius consummationem autem multa pecunia opus erat, quam Didacus Oxomae colligere intenderat. Eo defuncto Dominicus magno animo rem Prulianam continuavit, reditus et protectores pro instituto nascenté quaerens. Et anno 1211 vita monachalis mulierum Prulii congregatarum incoepit, dum Dominicus domum regebat, actionem suam missionariam de cetero prosequens et velut canonicus Oxomensis semper apparens. Seipsum in sigillo praedicatorem minimum aut praedicationis humilem ministrum vocat. Collaboratores paucos habuit, inter quos Guillelmum Claret et Dominicum Hispanum. Tempore annorum difficilium, deficiente successu manifestiore, Dominicus apostolicum spiritum suum non solum radicavit sed et auxit. Post victoriam mense septembri 1213 ad Murellum (Muret)[10] super haereticos reportatam (Dominicus tunc vicarius generalis dioecesis Carcassonensis exsistens preces fundendo cum aliis maioribus clericis vicinus adstitit) et reddita Tolosana civitate catholicis opus praedicationis a Dominico desideratum Tolosae stabiliri potuit, quo hieme 1214/15 se contulerat primum solus apud piam mulierem hospitio receptus. Ex mense aprili 1215 in domo Petri Seila habitare ac socios adventantes spiritu apostolico erudire coepit. Ita mense aprili 1215 Tolosae primus conventus praedicatorum formatus est. Mox episcopus Tolosanus Fulco Dominicum et socios eius praedicatores dioecesanos nominavit et fecit assignans eis sextam partem omnium decimarum suae dioecesis « ad libros et sustentationem » comparandos. Quae associatio praedicantium ordo religiosus appellari nequivit, attamen intentiones et cogitationes de ordine condendo versabantur. Praedicatores illi cultores pauper-

tatis vocantur. Si eis autem reditus conceduntur, probabilius ex usu illius temporis ab episcopo elargiti sunt, cum clericus mendicare non debuerit. S. Dominicus autem ideam apostolicorum praedicantium pauperum non derelinquens opus suum lente in Ecclesia introducere speravit.

Indicto concilio Lateranensi IV et episcopus Tolosanus Fulco Romam profectus est in comitatu Dominicum secum ducens, qui institutum sum pro tota Ecclesia approbari et protectionem pontificiam pro domo Pruliana habere desideravit. Privilegium pro monasterio Pruliano die 8 octobris 1215 a cancellaria datum est. Negotiationes autem de ordine Praedicatorum protrahebantur, quia duplex ratio Innocentium III cautum reddidit.

Primo enim loco concilium Lateranense novos ordines admittere noluit et deinde praedicatio iuxta conceptum Dominici non solum reformationem modi verbum divinum proponendi inter haereticos spectabat, sed ad reformationem totius curae animarum per praedicatores apostolicos et pauperes exercendae. Ideo Papa Dominicum dimisit eo consilio dato, ut regulam quamdam approbatam cum fratribus eligeret et postea denuo Romae de confirmando suo instituto tractaret. Dominicus ergo malens magna pro Deo perficere, non in praedicatura dioecesana Tolosana quam rite et iuridice exercebat stetit, sed non obstantibus difficultatibus naturae potius canonisticae vocationem suam de opere praedicationis universalis condendo continuavit[11]. Convocatis sociis suis[12] (habetur capitulum « fundationis » ordinis anno 1216) regulam iam exsistentem sequendam elegerunt eamque S. Augustini, deinde institutiones cuiusdam corporationis iam approbatae assumere debebant, de quarum natura certi nihil narratur. Vi regulae electae Praedicatores ad magnam familiam canonicorum accesserunt. Et Dominicus pro more religionis canonicae ecclesiam quamdam sibi ab episcopo et capitulo dioecesano impetravit. Dataque est priori et magistro Praedicatorum fratri Dominico et sociis praesentibus et futuris capella S. Romani, cui iura paroecialia non erant. Mense augusto habitacula humilia apud sacellum S. Romani, conventu formaliter erecto, recipiebantur. Relationes Praedicatorum ad dioecesim immutatae manebant. Interea Innocentius III e vivis sublatus fuit succedente ei in Sede Apostolica Honorio III. Quem mox Dominicus adiit et ab eo causam sui ordinis peroravit et die 22 decembris 1216 pontificiam confirmationem duplici bulla expressam obtinuit. Quae confirmatio

in una duarum bullarum, a diplomaticae rei peritis iuxta speciem suam vocata « minore », enuntiatur et sic sonat: « Honorius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio fratri Dominico priori Sancti Romani de Tolosa et fratribus tuis regularem vitam professis et professuris salutem et apostolicam benedictionem. Nos attendentes fratres ordinis tui futuros pugiles fidei et vera mundi lumina, confirmamus ordinem tuum cum omnibus castris et possessionibus habitis et habendis et ipsum ordinem eiusque possessiones et iura sub nostra gubernatione et protectione suscipimus. Datum Romae apud Sanctam Sabinam XI kalendas ianuar. Pontificatus nostri anno primo ».

In hac bulla tria dicuntur: idea ordinis, confirmatio ordinis, moderatio pontificia[13]. Si nomen ordinis speciale non apponitur (quod tamen fit die 11 februarii 1218)[14] neque qualitas huiusmodi religionis, et si bona adhuc nominantur, haec ex evolutione operis S. Dominici a coarctatione Lateranensi ad pleniorem libertatem intelligenda videntur. Eodem die 22 decembris 1216 Honorius III documentum solemne edidit, quod a diplomaticis « privilegium » nuncupatur, et cum formula pariter aliis ordinibus sive monachalibus sive canonicalibus dari solita incipit. Quod privilegium « Religiosam vitam eligentibus » ordinis canonici secundum regulam S. Augustini prope ecclesiam S. Romani Tolosanam viventis « perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observari » vult et iura eius tuetur, de interiore utique scopo silet, at multa de exteriore forma et quidem traditionali loquitur. Dum in privilegio res materiales ad modum consuetudinis canonicalis sub protectione Sedis Apostolicae assumuntur et de eis « quae maximi erant ponderis atque ordinem intimius spectantia, omnino » tacetur[15], in bulla minore potius idea apostolica S. Dominici exprimitur, quae et sequentibus diplomatibus pontificiis semper magis commendatur.

Urbi valedicens et cardinalem Hugolinum Ostiensem fautorem specialem salutans, Dominicus mense februario 1217 Tolosam reversus est, ubi fratres de statu inquietudinis politicae lamentati sunt. In incertitudine rei Tolosanae Dominicus digitum Dei percepit demonstrantis ordinem Praedicatorum ubique iam nunc diffundendum esse. Ideo in festo beatae Virginis in caelum assumptae, anno 1217 Dominicus Tolosae fratres suos in varias partes orbis misit: 4 in Hispaniam, 7 Parisios ut ministerio incumberent et in unione praecipui studii illius aevi dispositionem scholastiam Praedi-

catorum formarent. Bini et bini Tolosae et Prulii manere debebant. Dominicus assumpto socio Romam profectus est, de constitutione sui ordinis plura apud curiam Romanam negotiaturus. Pro ordine per orbem ab anno 1217 diffuso confirmationem universalem obtinere imprimis sategit, quam die 11 februarii 1218 plene assecutus est[16]. Dum mense februario fratres quosdam Bononiam destinavit, die 30 martii 1218 pro monasterio Pruliano simile privilegium « Religiosam vitam eligentibus » obtinuit ac antea conventus fratrum Tolosae receperat. Hos successus multis amaritudinibus Dominicus miscuit, nam fratres duo in Hispaniam missi ad eum revertebantur itemque fratres Parisienses et Bononienses difficultatibus premebantur. Commendatitiis litteris Papae datis 26 aprilis 1218 munitus, Dominicus iter per Bononiam in Hispaniam visitationis causa suscepit, ubi Matritensem et Segobiensem fundationem certe inspexit, Aestate anni 1219 incipiente Parisiis commoratus est vitalitatem illius conventus plene agnoscens et Henricum Teutonicum ordini adscribens. Tunc et Iordanus Dominicum vidit et audivit. Bononiae Dominicus, qui anno 1218 ibi praeteriens fratres consolari potuit ex spe adiumenti, quod Reginaldus Aurelianensis ordini iam cooptatus, e Terra sancta reversus communitati afferet, nunc 1219 successus Reginaldi admiratus est, qui ex die 18 decembris 1218 Bononiae miram actionem exercens, ecclesiam et conventum erexit prope S. Nicolaum. Dominicus autem comitibus fratribus Guillelmo quinta vice curiam papalem adivit, quae tunc Viterbii constitit[17]. In itinere Dominicus infirmus iacebat. Viterbii et postea Romae et iterum a mense februario ad aprilem anno 1220 Viterbii causas varias, inter quas non solum illas ad res Parisienses sed etiam ad revisionem constitutionum spectantes, ordinare studebat. Tunc apud curiam Romanam Franciscum de Assisiis et Raymundum de Pennafort probabiliter vidit[18]. Ex parte Summi Pontificis quaestio monialium Romanarum reformandarum Dominico imposita est. Nam canonici Gilbertini, qui a conventu Sempingham dependentes primum hanc reformationem perficere debuissent, defectu fratrum abstinuerunt. Quare ineunte mense decembri 1219 ecclesia et aedes S. Sixti a Papa pro excipiendis monialibus per Dominicum reformandis concessae sunt. Ibi et primi socii S. Dominici provisorie habitabant, donec ecclesiam S. Sabinae reciperent[19]. Alacri et sedulo animo Dominicus velut pater optimus fratrum sortes in diversis nationibus promovit, consolidavit, propagavit petens litteras apostolicas, dans consilia,

mittens in regiones novas fratres fundatores. Sed his non contentus sacerdotes, qui non in institutum suum assumi sed tamen missionem praedicatoriam exercere valebant, in sententia pontificio iussu firmavit et instruxit.

Causis in curia Romana finitis, ad capitulum generale 1220 Bononiae a se indictum ipse Dominicus profectus est ibique paupertati momentum, quod in sua fundatione Tolosana 1215 intenderat, restituit, titulumque abbatialem superiorum abrogavit. Vestimenta in simpliciore forma approbata et loci recipiendi propositi sunt. Ab hoc capitulo usque ad sequens anni 1221 Dominicus visitationem peragebat maxime in Lombardia, quam bis perlustravit, fratre Ventura socio. Romae autem vere anni 1221 [20] opus reformationis monialium apud S. Sixtum terminavit.

Die Pentecostes 1221, quae tunc incidit in 30 maii, Dominicus ab Urbe Bononiam secessit, capitulum generale celebraturus. Ab ultimo capitulo ordo Praedicatorum mire propagabatur. Ideo quaestio administrationis centralis et divisio provinciarum in hoc coetu capitularium praeprimis tractanda venit. Toto ordinis condendi et efformandi opere expleto, Dominicus cum cardinali Hugolino suo fautore Venetiis colloquebatur, ut ei rationem de placitis capituli redderet, de laboribus praecipue in Lombardia pro Ecclesiae utilitate suscipiendis discuteret, et auxilium pro ampliando ordine impetraret. Medio mense iulio, aliis conventibus visitatis Dominicus Bononiam redivit, cum priore et procuratore Bononiensibus multa de ordinis incremento considerans. Iam sub aestivis splendoribus ex itinere peracto fatigatus Bononiae infirmabatur, dolores capitis et fluxum et febrim patiens. Cum gravior infirmitas inciperet, eum in cellam alterius (non enim habuit propriam) collocabant. Recusato lecto in stragulo Dominicus spirituali quiete repletus iacebat. Ex conventu S. Nicolai fratres Dominicum ad ecclesiam B. M. V. super montem, primis diebus augusti, portabant, ut ibi aerem salubriorem respiraret. Hilaris et contentus sed defatigatus die 6 augusti voce suprema eos hortaturus testamentumque spirituale daturus fratres ad se venire petivit. Post extrema sacramenta recepta Dominicum fratres ad civitatem tulerunt ubi in cella fratris Monetae de Cremona apud conventum S. Nicolai ad transitum ultimo se praeparabat[21]. « Ante mortem quoque suam dixit fratribus confidenter quod defunctum eum utiliorem forent habituri quam vivum ». « Tandem pia anima illa carne soluta est, pergens ad Domi-

num, qui eam dedit, et lugubrem incolatum caelestis habitationis perenni consolatione commutans »[22].

Fuit feria sexta, VIII idus augusti, i. e. 6 augusti anno 1221. Hora defunctionis frater Guala prior Brixiae, postmodum episcopus, visionem de elevatione praedicatoris in caelum habuit. Felici opportunitate cardinalis Hugolinus diebus obitus magistri Dominici Bononiam venit officiumque sepulturae explevit multis praelatis praesentibus, qui legati pontificii causa eo convenerant. In arca lignea repositum a tergo altaris maioris corpus venerandi patris tumularunt.

Ibique per annos aliquot sidus velut obumbratum iacebat. Translatione corporis Dominici facta et praecedentibus signis Gregorius IX, Dominicum die 3 iulii 1234 caelitibus adscripsit[23].

§ 2. Character et momentum S. Dominici.

Nota magna, quae personam S. Dominici eiusque vocationem et fundationem distinguit, zelus salutis animarum habetur. Auctores quidem Annalium Ordinis Praedicatorum[1] anni 1756, dum virtutes, characterem, modum se habendi S. Dominici tractabant praecise huius rei non meminerunt. Quare Denifle[2] Mamachium, qui collegium illorum historiographorum saeculi XVIII moderabatur, vehementer carpit, quod zelo ardenti salutis animarum, quo Dominicus flagrabat, quique ei ratio et motio actionis suae et fundationis ordinis erat, prae expositione ceterarum egregiarum qualitatum eminentiam non assignaverit. Ideo addit, unitatem in expositione Mamachiana deesse neque imaginem adaequatam et concretam sancti patris Praedicatorum exhiberi. Re vera, si testimonia eorum, qui vitam et conversationem S. Dominici propria scientia et experientia noverunt, auscultamus ardentem ac sitientem zelum salutis animarum in spiritu Pauli apostoli Dominicum agitasse, universali concordia evincitur et roboratur.

Eius in magisterio generali ordinis Praedicatorum successor B. Iordanus de Saxonia: « Ipse vero — ait — totis viribus et zelo ferventissimo satagebat animas quas posset lucrifacere Christo et inerat cordi eius mira et paene incredibilis salutis omnium aemulatio ». Et iterum: « Tanto divini fervoris impetu ferebatur, ut ipsum esse vas honoris et gratiae... haud dubie probaretur »[3]. Demum in oratione ad S. Dominicum Iordanus recitat: « Tu zelo Dei et super-

no igne succensus propter mimiam caritatem tuam in vehementi spiritus fervore et paupertatis voto perfectissimae adeoque apostolicae religioni temetipsum totum impendisti et ad hoc alto iamdudum consilio providens ordinem fratrum Praedicatorum instituisti »[4]. Frater Guillelmus de Monteferrato, qui amice cum patre suo spirituali conversabatur eique saepius socius viae exsistebat in processu canonizationis deposuit: « F. Dominicus ordinis Praedicatorum inventor et primus magister, erat in curia Romana et saepe veniebat ad domum D. Ostiensis episcopi... et multoties tractabat [ille] cum eo de his quae pertinebant ad salutem eorum et aliorum hominum... Et videbatur ei [testi] quod magis esset [Dominicus] zelator salutis humani generis quam aliquis quem vidisset »[5]. « Item frater Amizo dixit, quod erat multum frequens in praedicatione et zelator animarum et ad hoc ipsum fratres suos studiose invitabat », et frater Bonvisus Placentinus asserit, « quod fuit valde humilis, benignus, pius et misericors, patiens, sobrius, zelator paupertatis et salutis animarum ». Dum per fratrem Ioannem Hispanum scimus, quod Dominicus « proximis compatiebatur et salutem eorum ardentissime desiderabat, saepe et frequenter ipsemet praedicabat et fratres ad praedicandum modis quibus poterat inducebat et mittebat ad praedicandum rogans et monens quod essent de animarum salute solliciti ». Frater vero Radulphus Faventinus narrat, « quod [Dominicus] desiderabat salutem omnium animarum tam christianorum quam etiam Saracenorum et specialiter Cumanorum et aliorum et magis erat zelator animarum quam aliquis homo quem umquam viderat et saepe dicebat, quod desiderabat ire ad Cumanos et alias gentes infideles ». Similiter testatus est Frugerius Pennensis, Bernardus de Baulhanis, Petrus abbas Cisterciensis qui et in spiritu paupertatis Dominici vim facit, Guillelmus Petri abbas S. Pauli, qui deposuit, quod Dominicus erat « zelator maximus animarum, item fervens in praedicatione in tantum ut de die ac de nocte, in ecclesiis, in domibus, in agris, in viis et ubicumque volebat et hortabatur fratres ut verbum Domini praedicarent et non loquerentur nisi de Deo. Item dixit, quod fuit persecutor haereticorum et eis praedicando disputando et in omnibus quibus poterat se opponebat »[6].

In hoc zelo salutis animarum cardo situs est et clavis data pro intellectu vitae propriae et ordinis S. Dominici. In hanc virtutem Deus unitatem aspirationum omnium heroicae illius animae sanctae

includit, quibus coram Ecclesia et mundo apparuit et vixit. His testimoniis copiam ac vim conatuum personalium et donorum supernorum in Dominico cumulatas fuisse constat, quae eum velut apostolicum et sacerdotalem praedicatorem, doctorem et ducem designarunt[7].

A cunabulis iam indolis excellentis vires naturales tempore adulescentiae et iuventutis ad plenam maturitatem adduxit litterarum formatione et scientiarum cultu eo modo certe eruditus sicut bonum clericum sui aevi decuit. Illustrationes gratiarum hanc formationem naturalem novo lumine donarunt. Scientia eius theologica praesertim scripturistica erat. Libris sacri textus ita adhaesit, ut evangelium secundum Matthaeum et Paulinas epistulas secum ferre[8] vel postea perhibetur. Nil miri si fratribus et viris ecclesiasticis sacros textus saepe interpretatus est. Exemplo verbo et litteris fratres suos monebat et hortabatur, ut semper studio novi et veteris testamenti vacarent[9].

Claritas spiritus ad eius faciem fere semper hilari aspectu fruentem redundabat. Capilli flavi eius capitis auxerunt luciditatem totius personae. Cum hac luciditate amabilitatem et compassionem sociavit, quibus aliorum animos facile sibi devincere potuit. Serenitas et hilaritas vultus eius non turbata est nisi ex miseria proximi compassione movebatur.

Inter eius animae supremas facultates intellectus in omnibus conatibus, conceptionibus et actionibus dominabatur. Quare Dominicus ordinem, dispositionem securam, perspicacitatem, fortitudinem et concordiam suis operibus impressit.

Ut dominium spiritus totum in se erigeret et perficeret, virginitatem eximie colebat. Eamque etiam tamquam decus splendidissimum expresse ut pater praedicatorum amabat, cum puritatem cordis pro officio praeconum fidei inter homines conversantium summi momenti esse duxerit. Vigiliis, ciliciis, ieiuniio, disciplina regulari, virtutem hanc tuebatur. Paupertatem quoque sub hac ratione vitae summe spiritualis consideravit, ut in principium suae efficaciae et reformationis praedicatoriae atque apostolicae eam susceperit et constanter professus sit. Habitum unum habuit, cellam non possedit. Humilitas et patientia cum eo crevit. Tarde coram mundo visus fuit, longe approbationem sui ordinis per supremos moderatores Ecclesiae exspectavit, sed suae causae victoriam in silentio praestolans certitudine agnitionis obtinendae sublevatus est. Hu-

militatem insuper in repudiandis dignitatibus ecclesiasticis et in amplexanda vita aspera et a multis abiecta manifestavit. Illaque summa humilitate fulgebat, quae ex ratione gratuitatis donorum Dei in creaturas obligationem creaturarum versus Deum agnoscit et praecipue pro beneficio redemptionis verbo et actionis cooperatione gratias rependit. Demum servandae humilitatis suprema voce monitum in testamento fratribus reliquit. Fortitudinem suam laudatissimam velut in tempore praeparatorio compressam et duplicatam tum indefessa impigra et inexhausta actione, constantia, tolerantia tum successibus ostendit.

Summam radiationem virtutum fidei et caritatis in S. Dominico percipimus. Ex iis zelum salutis animarum hausit et auxit. Sicut mentem suam religiosissimam a tenera aetate veritatibus revelatis nutriebat, ita ex motivis amoris supernaturalis vivebat. Et ut non solum ipse sed et proximi bono divino communicarent atque in gratia et caritate essent et vehementibus desideriis et industriis nitebatur. A iuventute ad servitium Ecclesiae, quam Christus generis humani redemptor viam ad Deum perveniendi dedit, inhians in famulum Christi et Ecclesiae perfectum transformari studuit, praecipue ex quo presbyter ordinatus sacerdotio Christi particeps fuerit. Christus ei centrum et mensura omnium, ratio iudicandi, voluntas appetendi erat. Ex fontibus uberrimis, qui sunt verba Christi in evangelio et dicta apostolorum et perpetua fluenta mysteriorum in Ecclesia celebratorum et contemplatio rerum supernarum Dominicus intelligentias spiritus et vitam supernaturalem plene possedit. Per horas etiam noctu coram altari meditationibus mentem dedit. Meditationes per diem quoad fieri potuit protraxit. Ita eius socii itineris referunt, eum in via orasse praedicasse aut meditationem de Deo instituisse. « Cum Deo aut de Deo » loquela quasi semper ei erat[11]. Quare numquam verbum otiosum vel malum vel nocivum neque adulationis ab ore eius processisse fratres, qui eum cognoverunt, testantur. Maioribus negotiis salutis animarum, non nugis transitoriis instabat. Haec repressio inutilium discursuum ei eloquentiam sacrae praedicationis locupletavit, in qua « semper aedificatoriis sermonibus, abundavit exemplis, quibus ad amorem Christi saeculive contemptum audientium animi flecterentur. Ubicumque virum evangelicum verbo se exhibebat et opere »[12].

Idea perfectionis, quam amplexus est et stabilivit, non illa monachalis neque sola canonicalis sed apostolica est. Imitationem Chri-

sti non solum quoad virtutes exemplo salvatoris intendit, verum etiam quoad missionem redemptoris salvandi animas. Egli prese l'ufficio del Verbo, dixit S. Catharina Senensis de S. Dominico[13]. Cum ex placitis pontificiis et conciliaribus ad regulam determinatam pro ordine suo circumvestiendo adigeretur, id tam feliciter fecit, ut nota et finis apostolatus persisterent et salvarentur. Spiritus amplitudinem et latitudinem in ordinis natura et in legislationis opere admirabimur. Veritas, cui unice serviebat, eum libertatem docuit. Minime cunctatus est circa introductionem principii dispensationis ab observantiis regularum particularium ubi de utilitate et necessitate laboris ad salutem animarum pertinentis agebatur[14]. Ita ardenter actioni apostolicae se dedit, ut neque lineam constitutionum vel ordinationum ab eo scriptam nobis reliquerit. Consignarunt sancti fundatores ordinum Benedictus, Franciscus, Ignatius, Alphonsus tractatus orationis et vitae religiosae, quibus mens eorum aperitur. Dominicus autem etsi litteras incitatorias ad studium sacrum fratribus misit, nonnisi ex celebri sui ordinis conceptione, dispositione, evolutione clarissime ut moderator sapiens et prudens administrator et magnus animarum oeconomus innotescit. In apostolico labore pro salute animarum ipse et filii eius perfectionem personalem suam attingere contendunt. « Nolebat, edixit frater Radulphus, quod fratres intromitterent se de temporalibus nec de facto domus nec de consiliis temporalium exceptis illis, quibus fuerat commissa cura domus, sed volebat, quod alii semper essent intenti lectioni, orationi, et praedicationi. Et si quem fratrem sciebat utilem ad praedicandum nolebat quod iniungeretur ei aliud officium »[15].

Suo exemplo, sua actione sacerdotali et apostolica non solum excessus cuiusdam formalismi ecclesiastici ex una parte sed etiam ex alia parte acceptiones haereticales de statu et conditionibus Ecclesiae ut propensiones laicales, quae pietati evangelicae absque clero et sacerdotio indulgere tentabant, a multis illo aevo edictas, spiritu Pauli superavit. Ecclesiae Dei et Christi servus fidelis, minister et apostolus in Ecclesiae reformationem, dilatationem, radicationem novas vires et contulit et instituit. Suam igitur missionem in sinu Ecclesiae et pro Ecclesia efficacissimam per vitam evangelice pauperem et praedicationem apostolicam universalem ordinariam signavit. Non contentus praedicatione solummodo humili et spontanea cordis instauravit praedicationem vitae ratione probatam et ex meditatione sacra ac studio fidei promanantem et formatam. Ita S. Do-

minicus parens cuiuscumque ordinis religiosi apostolici dici meruit[16].

Dum omnibus viribus personae suae, indefessa alacritate et applicatione, fortitudine frangi nescia, mansuetudine et misericordia compassiva, suavi persuasione, consolatione dulci homines et fratres suos ad Christum eiusque servitium et Ecclesiae sequelam traxit et animavit[17], prae obsequiis suis Ecclesiae praestitis ipse subiectiva iura transformans ad institutum, cui se consecravit, ipsi Ecclesiae, obiectivus totus elucescit. Suum finem et industriam perenni mandato Ecclesiae nempe animas salvandi, conformavit[18] Franciscus personalitate sua admirabilem influxum exercuit, Dominicus ex idea, mediis et operibus apostolicis auctoritatem famam et successus nactus est.

Certe ex elementis multiplicibus character eius constat at unitatem et informationem per zelum salutis animarum recipiunt. Haec complexio apostolum, qui omnibus omnia esse debebat ut omnes Christo lucrifaceret, plane decuit. Benignitas et vis fortitudinis, amor studii et applicatio ad actionem, summus gradus contemplationis et securitas atque experientia res et personas disponendi apte ad finem, profunditas ac claritas mentis et ubertas verborum ardens ac copiosa, doctrina egregia et vita exemplaris in unam validissimam synthesim coeunt, qua S. Dominicus maximis Ecclesiae viris iure adnumeratur. Haec unitas, qua pater Praedicatorum pollebat, in filiis suis pariter exprimitur ita quidem ut sui imitatores ex radiis plurimis quasi in prismate fractis unum vel alium particulari modo repraesentent. Insignis amor et copia studii sacri in B. Alberto Magno et S. Thoma de Aquino, in S. Antonino, in Caietano et Ioanne a S. Thoma continuabitur. Verba praedicationis mira vi per S. Vincentium Ferrer, Hieronymum Savonarola, Henricum Dominicum Lacordaire iterabuntur. In missionibus longinquis Hyacinthus id explevit, ad quod Dominicus semper adspiravit. In re ascetica et mystica B. Henricus Seuse et S. Catharina heroicitatem et gratiarum plenitudinem patris legiferi quodammodo recolunt. In ordine moderando et evolvendo successores S. Dominici in magisterio generali Iordanus de Saxonia, Raymundus de Pennafort, Ioannes Teutonicus, Humbertus de Romans, Ioannes a Vercellis spiritum et methodum patris hereditasse videntur. In Ecclesia defendenda et exaltanda Pius V, in compassione cum miseriis proximi Bartholomaeus de las Casas emicant.

Omnes genuino spiritu sui ordinis nempe Praedicatorum atque ideo ipsius S. Dominici agebantur. Cum continua linea a fundatore ad suum opus maximum ducat, S. Dominici character ac momentum plene ex consideratione instituti a se creati illustratur. Sed antequam ad inspectionem naturae ordinis Praedicatorum transimus, pio intuitu mentis oculos elevemus ad eum, cuius imago veneranda et vera e caelesti regione nobis sub verbis ecclesiasticae antiphonae[1a] depingitur:

O lumen Ecclesiae, doctor veritatis,
Rosa patientiae, ebur castitatis,
Aquam sapientiae propinasti gratis,
Praedicator gratiae nos iunge beatis.

§ 3. Praedecessores, natura, nomen ordinis Praedicatorum.

Opus praedicationis universalis apostolicae, quod Dominicus in Ecclesia fundavit, sub forma ordinis religiosi mendicantis condidit. Non servamus textum qui directo modo ad ipsum fundatorem ideas suas ordinis edicentem rediret. At Dominici votum cognitum nobis est, ut a Papa ordo, « qui Praedicatorum diceretur et esset »[1], confirmaretur. Ab ipso fundatore quoque verosimiliter verba prologi constitutionum repetenda videntur in quibus sermo est de fine ordinis, dum loquantur de potestate dispensandi cum fratribus « in his praecipue, quae studium et praedicationem vel animarum fructum videbuntur impedire, cum ordo noster specialiter ob praedicationem et animarum salutem ab initio noscatur institutus fuisse »[2].

Zelo salutis animarum inducti et edocti Dicacus et Dominicus ab anno 1206 reformationem in methodo convertendorum haereticorum ad fidem apud meridionales Galliarum inceperunt. Quam methodum praedicationis apostolica vi et veste ideoque non sub ostensione exterioris apparatus sed sub habitu paupertatis et per sacerdotes propositae optimam esse Dominicus perspexit ad restaurandam curam animarum, ad renovanda tempora Ecclesiae primitivae[3], cuius desiderium illo aevo semper plurimos agitabat, ad stabiliendam praedicationem universalem apostolicam.

Occasio operis S. Dominici vel initium movens ad ordinem fundandum conversio haereticorum in partibus Tolosanis fuit. Sed crescente ambitu actionis intentione amplificata Dominicus praedicationem ordinariam dioeceseos unius et tandem universalem intendit.

Quam nonnisi per corporationem aliquam virorum ecclesiasticorum iuxta suum modum vivendi formandorum in praxim deducere voluit et potuit[4].

Antea certe ordines religiosi verbum Dei proponentes per regiones diversas evangelizarunt. At non vi instituti sui sed vel praeter suam primariam obligationem vel modo limitato. Ordo monasticus S. Benedicti apostolos plures multarum terrarum e suis monasteriis protulit. Abbatia medii aevi villa est monachorum sub gubernio unius patris domini viventium et in opere liturgiae et labore manuum aliisque occupationibus etiam sacerdotalibus se sanctificantium[5]. Monachi Cluniacenses et Cistercienses atque italici rami reformatorii minores unionem domorum id est abbatiarum ad praecavenda plura incommoda iniierunt, quae monasteriis monachorum ex eorum independentia solitaria oriri poterant[6]. Haec centralisatio cum aucta concentratione civili quodammodo cohaeret. Ratio autem vitae monachorum ex his mutationibus variata non est.

Praeter ordinem monasticum per plura saecula in Ecclesia ordines canonicorum vivebant, qui sacerdotibus constabant. Qui ordines et congregationes canonicorum « regulam S. Augustini » profitentes in saeculo XII notabiliter se evolvebant et renovabant[7]. Ordo canonicorum regularium Praemonstratensis per S. Norbertum († anno 1134) fundatus, pulcherrimus flos ideae canonicalis saeculi XII habetur. Curam animarum et verbi Dei praedicationem Honorius II S. Norberto confirmavit. Cum autem Praemonstratenses paroeciis fixis se dedicaverint et insuper regimen abbatiale cum possessionibus et feudalismo quodam assumpserint, actione sua necessitatibus aevi sui non satis occurrebant.

Et tamen profundissima aspiratio ad res religiosas et supernas evolutionem civilem, socialem et oeconomicam saeculorum XII et XIII comitabatur. In oppidis et civitatibus Europae ubique prodeuntibus, principes influxum et iura vel non amplius habebant vel sensim omiserunt, dum forma ecclesiasticae administrationis praecise in formis principum utique « ecclesiasticorum » adhuc perseverabat, sub quibus spiritus saeculi in Ecclesia facile connectebatur vel tegebatur. Iam Arnoldus Brixiensis ad modum rebellis contra possessiones Ecclesiae huiusque institutorum impellebatur. Alia intentione Petrus Valdes civis Lugdunensis abdicatis terrenis bonis et sacrae scripturae lectione inspiratus vitam evangelice pauperem ad reformandos mores elegit ab anno 1177 allocutiones coram populo ad

imitandum exemplum suum vitae excitantes dirigens[8]. Praedicatores, quos ipse formavit et emisit, reformationem curae animarum suscipiebant. Episcopali laude non obtenta Valdes et socii, anno 1179, ad concilium Lateranense III appellarunt. Papa eius vitam pauperem probavit, dum ei praedicationem prohibuit, nisi ab episcopis pro tali officio peteretur. Brevi quidem Valdenses huic placito paruerunt donec verbum, magis Deo quam homini obediendum esse, contra Papam assumerent. Ideo per Lucium III 1184 excommunicati sunt. Loco sacri ordinis imitationem apostolorum inducentes ad paupertatem personalem et mendicitatem iam professam Valdenses praedicatores vota castitatis et obedientiae addiderunt. Superiori generali, qui episcopali dignitate insignitus maioralis dicebatur, sacerdotes et diaconi obligabantur, ab eo mandata recipientes. Presbyteri et diaconi maioralem eligebant. In annuis capitulis generalibus ratio de eleemosynis acceptis dabatur. Ad capitula omnes fratres convenire poterant. In maiorali culmen monarchicum et in capitulis latus democraticum apparet. Societas Valdensium per praedicatores (« perfectos ») formabatur, dum asseclae his adhaerentes « credentium » nomine veniunt. Eorum aspiratio reditus ad Ecclesiam primitivam erat. Valdenses Galli adhuc saltem in principio in sinu Ecclesiae remanere intenderant, dum Humiliati in Lombardia, qui ad tempus[9] cum Valdensibus relationes nectebant. magis spiritu Arnoldi Brixiensis, Ecclesiae magis hostili, replebantur. Humiliati in Lombardia praedicationem publicam necnon vitae christianae restaurationem cum Valdensibus condividebant, non autem eumdem conceptum paupertatis et apostolicae vagationis habebant, sed labore manuum necessaria vitae sibi procurabant. Ex eis pars una sub Innocentio III Ecclesiae reconciliabatur, formans deinde ordinem Humiliatorum tripartitum, in quo primus ordo apostolicam actionem exserebat, secundus vero asceticam vitam repraesentabat, tertio ordine laicos adnexos, qui a primi ordinis membris erudiebantur, comprehendente.

Alia propensio reformatoria Pauperum catholicorum originem habet a Durando Oscensi, qui in disputatione Apamiis instituta per Didacum convictus et ad fidem conversus est. Durandus cum sociis suis Valdensibus conversis haud aliud quam actionem inter ipsos Valdenses molitus est, ut eos ad Ecclesiam reduceret. Summus Pontifex magna cautela procedens sub specialibus regulis et expressa determinatione paupertatis et praedicationis ordinem religiosum Pau-

perum catholicorum anno 1208 confirmavit. Hi Pauperes catholici clericis constabant, sed amicos laicos habebant, quibus institutionem religiosam et directionem impendebant. At duplici ex causa eorum ordo ruinae obviam ivit. Primo enim moderatione sapienti et forti caruerunt. Deinde id, quod valde necessarium erat, summis hierarchis acceptum reddere non tentarunt vel nescierunt, nempe reformationem curae animarum per clerum zelantem et evangelice viventem. Immo oppositio episcoporum adversus hos Pauperes catholicos eorum interitum acceleravit. Anno 1209 in Italia laicis quibusdam piissimis Francisco eiusque sociis ratio vitae evangelica cum praedicatione paenitentiae ab Innocentio III probata fuit[10].

Ad modum Pauperum catholicorum Lombardi reconciliati anno 1210 per Bernardum Primum sub Innocentio III in ordinem congregati iisdem incommodis ac Durandi institutio laborabant, a qua per laborem opificum et modum acquisitionis rei necessariae discrepabant. Lombardi reconciliati sicut Pauperes catholici et Humiliati perierunt[11]. Voluerunt partem restaurare, dum totum reformatione egebat. In concilio Lateranensi IV necessitas constituendi magistros pro clero instituendo atque praedicatores proponendi verbi Dei pro populis clare expressa est, sed adversus conatum novos ordines religiosos formandi districte statutum est: « Ne nimia religionum diversitas gravem in Ecclesia Dei confusionem introducat, firmiter prohibemus, ne quis de cetero novam religionem inveniat, sed quicumque voluerit ad religionem converti, unam de approbatis assumat. Similiter qui voluerit religiosam domum fundare de novo, regulam et institutionem accipiat de religionibus approbatis »[12].

S. Dominicus experientias curiae Romanae attente ,ut coniiciendum, secutus est. Velut viri pleni apostolico zelo ad modum Pauli, Didacus et Dominicus apostolicam vitam missionum exterarum ab Innocentio III efflagitarunt. Ad missionem inter christianos directi, remedia pro malis temporis et infidelitatis paranda curarunt.

Didacum superans Dominicus de forma, sub qua paupertas apostolica et praedicatio in Ecclesia renovaretur, cogitabat. Magisterium cum sacerdotio in Ecclesia intime et inseparabiliter connexum esse sciens, in suo opere reformatorio Dominicus nonnisi corporationem clericalem eligere potuit. Magno sensu rerum aptarum et summa sapientia regiminis, quibus Dominicus praecellit, ordinem religiosum cum episcopis dioecesanis collaborantem instituere cu-

pivit. Episcoporum enim ex tempore ecclesiae primitivae erat verbum Dei proponere. In iis locis, ad quae episcopalis vox non perveniebat, episcopus sacerdotes et parochos ad praedicandum delegavit, qui autem plurimum scientia competenti carebant. Ope quidem ordinum et congregationum canonicorum regularium cura animarum nova incrementa hausit. At ex limitatione actionis huiusmodi canonicorum ad ecclesias proprias latior effectus praedicationis impeditus fuit. Cui incommodo quidem interdum praedicatores extraordinarii obviarunt, sed eorum missio successum felicem non semper invenit.

Praedicationem universalem, apostolico modo propositam, in unione cum episcopo, imo loco episcopi dioecesani exercitam, et ideo curam animarum meliore et efficaciore ratione promotam Dominicus intendit. Non solam collaborationem in cura animarum sed praedicationem sub episcopali directione in dioecesibus per orbem implere voluit. Ut sui sectatores pro hoc munere colligere et praeparare se possent, domum velut centrum praedicationis constituit. Quae domus, cui etiam conventus nomen, ante omnia statio recipiendorum, formandorum, emittendorum praedicatorum esse debuit. Qui essentialem characterem praedicationis apostolicae in opere, in toto conatu, in intentione et ordine S. Dominici non ponderat, ordinis ab eo fundati verum et summum momentum negligit.

Ad finem Dominicus media sapientissime disposuit. Cum officio assumpto studium velut medium necessarium praerequisivit. Ita Valdes antequam praedicare incepit, institutiones sacrae scripturae a sacerdote audivit, Durandus scholas institutionis theologicae erexit. Multo magis Dominicus a suis fratribus saltem eam perfectionem scientiae sacrae quaerere debuit, quam praedicatores in ecclesiis cathedralibus possidebant. Primus inter fundatores religiosorum parens Praedicatorum obligationem studii colendi inter partes integrales occupationum sui instituti assumpsit, studio id temporis dans quod labor manuum et partim chorale officium apud alios tenuit[13]. Quod momentum studii a S. Dominico introductum maximis innovationibus et mediis progressus adnumerandum est, quae umquam in vita religiosa evenerunt. Si studium Dominicus valde commendavit, id non solum testatur pro evolutione quam cultura occidentalis super aevum medium primitivum huiusque institutiones regulares fecit, sed etiam universalem Dominici voluntatem revelat, qua contactum cum aspirationibus spiritualibus et intellectualibus

ideoque summis et profundissimis prorsus apostolico modo nectere desideravit. Studium autem fini ordinis nempe praedicandi subordinatur. Quae observatio eo vel minus praetereunda est, quia actio praedicatoria in rebus gestis plerumque non ita facile percipitur et consignatur ac actio professorum, qui voluminibus suis relictis facilius historiographis occurrunt[14].

Aliud medium maximi momenti a S. Dominico ad finem operis sui assequendum electum in paupertate habetur. Hanc ideam paupertatis non ab aliis ordinibus mutuavit, sed ipsa potius ex sua intentione reformandi curam animarum per apostolicos dispensatores verbi Dei sponte fluit. Non possessiones, non reditus, non acquisitionem necessarii per laborem opificum, sed mendicitatem a principio voluit. Et durante periodo, in qua per circumstantias canonisticas expansio tota ideae fundatoris etiam quoad regimen sustentationis obfuscabatur, Dominicus ipse severissime paupertatem defendit, inculcavit, commendavit. Cum autem Tolosae probabilius ex eleemosynis victum sufficientem fratribus praebere non potuerit, transitorie, ne totum opus differretur vel iacturam pateretur, reditus accipere permisit. Minime vero a voluntate mendicitatis discessit[15].

Formam paupertatis evangelicam imitans proprietatem ipsarum domorum, ex quibus praedicatores ad actionem suam per terras discurrerent, admisit, imo momentum quod domus velut stationes pro praedicatoribus habebant — si respectus est ad Petrum Valdes — auxit. In hoc, quod proprietatem domorum concessit, tamquam vir prudens et rerum apertus spectator apparet[16]. Et licet mendicitati adstricti possessionem rationabilem domus et ecclesiae conventualis necnon et horti adiacentis vel vineae modicae in capituli generali anno 1220 fratres admiserunt.

Forma paupertatis in ordine Praedicatorum praescripta sobria, tamen valde severa erat. Filii S. Dominici iuxta pontificium dictum diei 11 februarii 1218 « verbum Domini gratis et fideliter proponentes intendendo profectibus animarum ipsum Dominum solum secuti paupertatis titulum praetulerunt »[17]. Intime cum idea praedicationis apostolicae atque universalis tum reiectio curae animarum in ecclesiis fixis paroecialibus tum brevitas officii divini[18] iunguntur.

Forma certe pro instituto praedicatorum apostolicorum sacerdotalium erigendo S. Dominico ex praescriptis pontificiis et conciliaribus anni 1215 difficilis reddita est. Etsi Dominicus iam ex spiritu sui aevi operi suo formam ordinis religiosi dare voluisse prae-

sumitur, tamen non simpliciter formam exsistentem recipere potuit. Ipse enim ad tria vota obedientiae, castitatis, paupertatis quodammodo apostolatum tamquam novam obligationem addidit, formas praeiacentes tum monasticam tum canonicalem excedens. Probabilius Innocentio III novam quamdam regulam a se dispositam submisit approbandam, in qua normae de paupertate, de praedicatione et quaedam statuta pro vita communi determinabantur absque multiplicibus praeceptis monasticis vel canonicalibus[19].

Eodem tempore, in quo Innocentius III et concilium Lateranense IV necessitatem praedicationis ordinariae probabant et sollicitabant, forma, in qua Dominicus opus suum praedicationis praesentare intendebat, favorem curiae non recepit. Ideo Dominicus Ecclesiae fidelis minister ad quaesita curiae se conformans, sicut unionem sacerdotii et apostolicae vitae instituto suo felicissime expressit, ita nunc coniunctionem traditionis regularis cum apostolatu perficiendam suscepit. Et in hac parte explenda benedictionem divinam obtinuit. Insimul cum primis fratribus velut assumendam regulam elegit illam S. Augustini, quae ipsi Dominico ex tempore Oxomensi familiaris exsistebat. Vi decisionis anno 1216 Dominicus et fratres sui primitivi familiam augustinianam ampliarunt[20]. Post regulam electam institutiones eligendae erant. Hic historiographis non parva difficultas **occurrit.** Quae autem hac animadversione solvenda videtur, quod ex constitutionibus ordinum approbatorum praesertim canonicorum Praemonstratensium, sed etiam monachorum Cisterciensium «assumpserunt, quod arduum, quod decorum, quod discretum invenerunt in illis, si competens reputarunt. Non contenti autem illis alia multa superaddiderunt, et addere non cessant in capitulis annualibus, praerogativam ordinis beati Augustini sibi non solum doctrinae et praedicationis officio, sed et vitae merito vindicantes ». Quod his verbis Humbertus[21] narrat, id cum relatione Iordani[22] concordat, qui refert, tunc super regulam quasdam consuetudines arctiores in victu et ieiunio et lectis et laneis fuisse assumptas. « Proposuerunt etiam et instituerunt possessiones non habere ne praedicationis impediretur officium sollicitudine terrenorum, sed tantum reditus eis adhuc habere complacuit ».

Etsi in determinationibus regulae et maioris partis institutionum ad modum iuris tunc vigentis assumptis quaedam restrictio ideae apostolicae sancti fundatoris apparere poterat, limitationem hanc spiritu obedientiae Dominicus tulit et Deo iuvante et curia

Romana concurrente in placitis capitulorum generalium annorum 1220 et 1221 superavit[23], ut forma canonicalis permagno operi et fructui per suum ordinem afferendo non solum obstaculum gravius non remanserit, sed etiam spiritum primitivum nimis non coarctaverit. Conformatio utique ad regulam et institutiones canonicales quaestionem Prulianam et sororum in genere facilius reddidit[24].

In forma canonicali ab anno 1216 apparens, ordo a S. Dominicus fundatus hanc canonicalis vitae rationem quodammodo tamquam genus, at specificationem semper ex apostolatu intensiore habuit. De ordine Praedicatorum valet egregie, quod de auctore eius dictum est:

Sub Augustini regula mente profecit sedula,
Tandem virum canonicum auget in apostolicum[25].

Huiusmodi instituti apostolicae religionis naturam, excellentiam et laudes declarat S. Thomas de Aquino in Summa theologiae[26], dum investigat, utrum religio, quae vitae contemplativae vacat, potior sit ea, quae operibus vitae activae se dat. Et respondet, differentiam et excellentiam unius religionis prae alia principaliter ex fine attendendam esse. « Sic ergo dicendum est quod opus vitae activae est duplex. Unum quidem quod ex plenitudine contemplationis derivatur: sicut doctrina et praedicatio. Unde et Gregorius dicit, in V homil. super Ezech. quod de perfectis viris post contemplationem suam redeuntibus dicitur: Memoriam suavitatis tuae eructabunt. Et hoc praefertur simplici contemplationi. Sicut enim maius est illuminare quam lucere solum, ita maius est contemplata aliis tradere quam solum contemplari. Aliud autem est opus activae vitae quod totaliter consistit in occupatione exteriore: sicut eleemosynas dare, hospites recipere ,et alia huiusmodi. Quae sunt minora operibus contemplationis, nisi forte in casu necessitatis, ut ex supra [qu. 182, a. 1] dictis patet. Sic ergo summum gradum in religionibus tenent quae ordinantur ad docendum et praedicandum. Quae et propinquissimae sunt perfectioni episcoporum: sicut et in aliis rebus fines primorum coniunguntur principiis secundorum, ut Dionysius dicit VII cap., de Div. Nom. [S. Thomae lect. 4]. Secundum autem gradum tenent illae quae ordinantur ad contemplationem. Tertius est earum quae occupantur circa exteriores actiones ». Religiones quae ab Aquinate primo loco sub nomine activae vitae afferuntur, a doctoribus succedentibus religiones vitae mixtae nuncupantur. Et profunde Petrus M. Passerini ad articulum S. Thomae notat, non solum

quod « religio mixta perfectior, postea contemplativa, ultima activa » est, verum etiam quod « religio mixta respicit principaliter contemplationem, ut fructificantem ad extra ». Quod longius et aptissime explanat[27].

Ex munere praecipue apostolatus ordo Praedicatorum *nomen* universale ab actione sua sumptum recepit et non a speciali conventu. Nonnisi in initio, dum adhuc illa impedimenta canonistica anni 1215 vigebant, domus Tolosana in denominationem intravit. Dum igitur congregationes et ordines canonicorum regularium usum iuxta abbatiam originis vel conventum principalem se nuncupandi servabant, ordo a S. Dominico institutus titulo ordinis Praedicatorum insignitus est. Nomine sane praedicatorum ineunte saeculo XIII viri illi honorantur, qui cum Radulpho monacho contra haereticos partium Tolosanarum verbo et disputatione laborabant. Fuerunt praedicatores, sed transitorie. Dominicus pariter praedicatorem et ministrum praedicationis se designat. Mox anno 1215 societatem praedicatorum dioecesanorum Tolosae format. Tandem ordinem, qui Praedicatorum vocaretur et esset confirmandum a Papa petivit. Quae denominatio in documento pontificio anni 1218[28] conceditur. In associatione quoque religiosa a S. Francisco instaurata nomen fratrum Minorum posterius est prima probatione orali per Summum Pontificem edicta. Instabat Sedes Apostolica in fratrum Praedicatorum officio « ad quod deputati sunt » ac « totaliter deputati »[29] et pauperes quidem apparent eosque sub hac voce commendat. Revera magna erat missio eorum, magnum privilegium. Nil quoque maius vel dignius esse potest quam hoc nomen gloriosum ordinis Praedicatorum ex finibus instituti repetere, non ex mysterio neque ex miraculo (Salanhac). Iure iam venerabilis magister Humbertus « Valde — ait[30] — sunt reprehensibiles qui se vocant vel vocari permittunt fratres S. Iacobi, vel S. Nicolai, vel huiusmodi nominibus. Ex hoc enim accidit, quod in diversis locis diversorum ordinum reputantur esse fratres diversi propter diversa nomina. Item accidit quod in multis nationibus nondum scitur esse aliquis ordo Praedicatorum. Ordo iste iuste vocatur Praedicatorum. Sunt enim ordines aliqui qui trahunt nomen a principali domo sicut a capite, ut ordo Cisterciensium, quasi a causa efficiente. Sunt alii qui trahunt a conditionibus personarum, ut ordo fratrum Minorum, quasi a causa materiali. Sunt alii qui trahunt a modo vivendi ut ordo Trinitatis eo quod bona sua dividunt in tres partes quasi a

causa formali. Sed ordo noster trahit nomen suum a fine: melius enim nominatur una quaeque res a suo fine quam ab alio, sicut regula, licet aurea et ab optimo artifice facta et rectissima, tamen melius trahit nomen a fine qui est regulare quam a materia vel artifice vel forma ».

Si ad opus maximum a S. Dominico in Ecclesia condendum, nempe ad ordinis Praedicatorum fundationem, respicimus, si difficultates ordini orituro paratas perpendimus, si observamus quam prospere sancto fundatori res cesserunt, licet illud Pauli[31] etiam ad sancti Pauli zelosissimum imitatorem Dominicum applicare: «Dominus autem mihi adstitit et confortavit me, ut per me praedicatio impleatur et audiant omnes gentes »

b) EXPANSIO ET PLENITUDO ACTIONIS (1221-1291)

S. Dominicus suo ordini universalem actionem ex anno 1217 habenti per quadriennium tantummodo praefuit. Copiae ordinis non tam in multitudine fratrum quam in possessione ideae clarae de ministerio praedicationis et studio sacrarum scientiarum constabant. Quia ordo Praedicatorum characterem, si ita loqui licet, obiectivum maxime prae se tulit, ideo vis fundationis cum morte praematura fundatoris non cessavit neque ad unam vel aliam partem deflexit. Imo potius benedictio illa apprehenditur, quam S. Dominicus moriens fratribus adstantibus confidenter edixit: « quod defunctum eum utiliorem forent habituri quam vivum »[1].

Directione lucida, secura, vigorosa plures illustrissimi viri sanctitate, religionis amore et cultu, gubernandi sapientia atque arte fulgentes ordinem a S. Dominico incoeptum ad magnam roborationem, expansionem et perfectionem adduxerunt, quibus dotibus plenus instrumentum efficacissimum pro apostolatu et missione spirituali Ecclesiae fiebat.

Haud spernenda est evolutio ordinis quoad doctrinae momentum circa medium saeculum XIII et postea. Ideo dum Humbertus libenter verba liturgica ordini fratrum Praedicatorum applicat tamquam illi, « qui est ad laudandum, benedicendum et praedicandum »[2], iam nova formula vel tessera ad designandum ordinem apparet. In scriptis enim venerabilis Mechtildis Magdeburgensis religio nostra « ordo veritatis lucidae Praedicatorum »[3] vocatur.

§ 4. Roboratio et ampliatio ordinis sub B. Iordano.

Iordanus de Saxonia in successionem sancti fundatoris ad magisterium generale ordinis fratrum Praedicatorum electus est per patres in capitulo generali diebus 22 maii quae erat sacra Pentecostes et sequentibus anno 1222 Parisiis congregatos[1].

In hac votatione laus electi maxima edicitur. Vota ferebant socii primae horae S. Dominici ut Bertrandus de Garriga, Suerius Gomez, Petrus Seila aliique. Iordanus tunc provincialem agebat, annos aetatis circiter 30 natus. Ex partibus Guestfaliae oriundus Parisiis iam baccalaureus theologiae effectus S. Dominicum concionantem audivit eique confessus est, verba spiritualia a summo magistro avide capiens. 1220 die 1 februarii ordinem amplexus, e deputatis conventus Parisiensis ad capitulum anno 1220 Bononiam venit. In cuius capituli mandato pro fratribus Parisiensibus lector sacrae scripturae assignatus et 1221 a capitularibus Bononiae sub S. Dominico adunatis provincialis Lombardiae datus fuit[2]. Si iam post annum ad supremam moderationem totius ordinis evectus est, signa et dotes non communes eum ad tale munus commendabant. Et re vera fiduciam electorum meruit. Etenim vir doctus, gratiosus, mentis elevatione, vitae ratione severa, sermone ferventi, penetranti, efficaci pollens ordinis maximus propagator et moderator eius actionis et legislationis piissimus factus est.

Principia eius magisterii generalis in praesidio capitulorum generalium modo Parisiis modo Bononiae habitis, in visitatione provinciarum, in transmissione litterarum tum encyclicarum tum ad conventus, provincias, fratres sororesque in specie datarum, in ponderatione tum processus legislativi tum studiorum et omnigena expansione ordinis apparent. Omnibus capitulis generalibus sub suo regimine celebratis, si illud Bononiense 1235[3] excipitur, adfuit. Varias ordinis ditiones pedibus perlustravit, ut ubique spiritum foveret et directionem daret. A civitate Magdeburgensi usque ad plagas occidentalis Galliae, ab Oxoniensi civitate usque ad Terram sanctam fundationes fratrum propria inspectione certe cognovit[4].

Primo capitulo provinciarum Teutoniae (1225 Magdeburgi) et Angliae (1230 Oxoniae) habito praefuit. Visitata provincia Terrae sanctae Europam petens naufragio 1237 interiit[5]. Ex commercio suo epistularum litterae encyclicae perierunt, at aliquae litterae nu-

mero 56 ad particulares personas et coetus directae de modo Iordani animos ad servitium religiosum confortante testantur[6].

Propagationem ordinis felicissime ipse suscepit. « In promotione ordinis sicut ad attractionem scholarium super omnes erat sollicitus, ita ad conservationem receptorum super omnes erat discretus »[7]. Spiritu alacri et acuto donatus, in convictione de mysteriis sacris profunda, in bonitate communicativa abundans, in se austerus, in alios affabilis et benignus sed non debilis ipse vere praedicator exemplaris habitus est a suis coaevis valde veneratus[8]. Eum ut alterum Dominicum servata personalitatis diversitate admirabantur. Resplendebant in Iordano virtutes Dominici. Ac Dominicum mortuum vi et verbo sublimi, cultu[9] et invocatione prosequebatur et mentibus repetebat[10]. « Circa verbum Dei et praedicandi officium dictus pater fuit adeo gratiosus et fervens ut vix ei similis sit inventus. Dederat enim ei Dominus quamdam praerogativam et gratiam specialem non solum in praedicando sed etiam in colloquendo. Unde omnes eius eloquia sitiebant»[11]. Coram universitatibus et scholis superioribus Iordanus praecipue actionem suam praedicatoriam exercebat. Et non solum ardore verbi vel exemplo suae virtutis plures ex eius auditoribus fuerunt ad religionem dominicanam attracti, sed etiam per sermones eius huic fini accomodatos, iuvenes et viri academicorum coetuum ad habitum ordinis fratrum Praedicatorum petendum venerunt. Ita Parisiis, Vercellis, Patavii, Mutinae, Bononiae, per regiones germanicas, coram anglica universitate Oxoniensi diversis annis et vicibus eloquium suum profudit[12]. Neapoli quoque aut anno 1236 praedicavit aut id 1237 facere intendit[13]. Ubique terrarum iuventus academica Iordanum et per eum maxime ordinem Praedicatorum cognovit. Non solum ipse Albertum Magnum, sed et alios magistros sive decretorum sive artium, baccalaureos plures et studentes plurimos ordini adduxit[14], e. g. Parisiis infra quatuor hebdomadas candidatos 21, inter quos sex magistros artium, alia vice 1228 circiter 40, demum 1236 72, Patavii 1231 30[15].

Dum per hos candidatos a centris academicis ad ordinem advolantes, ascensum vigorosum ad actionem doctrinalem promovebat, Iordanus aperta mente et problemata scholastica secutus est, in Anglia cum cancellario Oxoniensi Roberto Grosseteste certe non solum de rebus administrativis verum etiam de quaestionibus Aristotelismi colloquendo[16]. Sub Iordano ordinatio studii prima facta est, complectens cursus institutionis fratrum Praedicatorum a schola

conventuali usque ad lectiones magistrales in universitatibus vel academiis[17], sicut et eo magistro ordinis duae cathedrae Parisienses fratribus committebantur.

Laborem ordinis in re inquisitoriali ad auxilium et tutamen Ecclesiae praestans extensionem actionis notandae fratrum Praedicatorum pariter fovit[18]. Quoad iura privilegiis et bullis a curia Romana expetitis libertatem ordinis munivit[19], quoad administrationem erectione provinciarum novarum et institutum ampliavit et campum apostolicae industriae dilatavit. Non immensi operis nec strenuae occupationis neque itinerum diuturnitate fractus dulcissimi patris nomen a coaevis merebatur[20] et posteri devotione recordationem eius conversationis et melliflui eloquii servarunt[21].

§ 5. Codificationes constitutionum Iordaniana et Raymundiana.

S. Dominicum quasdam ordinationes et placita in regula seu constitutionibus sui ordinis adscripsisse relatum est. Opus autem, quo formam primaevam statutorum ordinis exhiberet, frustra quaeritur. Postea sub B. Iordano tam pro legislatione quam pro codificatione legum plus praestitutum est quam intuitu simplici pateret. Etenim sub ipso capitula generalia, quae ab anno 1222 usque ad annum 1228 celebrata sunt, leges ordinis condere plene et perfecte singula valuerunt[1].

Sub magistro Iordano evolutio valde prudens sicut et democratica circa faciendas constitutiones per viam inchoationis, approbationis et tandem confirmationis introducitur[2] et capitulorum generalissimorum ius et celebratio[3] instituitur. Denique collectio constitutionum ordinis specialis, cuius textus in codice Ruthenensi adhuc exstat, nomen Iordani expresse ponit: « Iste sunt constitutiones prime ordinis fratrum predicatorum, que erant tempore magistri Jordanis beati Dominici immediate successoris, ex quibus formavit et ordinavit constitutiones alias, que nunc habentur, frater Raymundus de penna forti magister ordinis tercius »[4]. Ad quae verba sequitur brevis narratio de capitulo generalissimo anni 1228, post quam hic titulus codicis legislationis ponitur: Incipiunt consuetudines fratrum predicatorum. Vox consuetudinum apud religiones canonicales, quarum unus ramus ipse ordo fratrum Praedicatorum agnoscitur, ad designandas leges regularis vitae illa aetate saepius occurit. Si e. g. canonici regulares Marbacenses et canonici regulares de Mon-

teforti suas consuetudines habebant[5], nil mirum, si de legibus ordinis Praedicatorum compilandis terminus consuetudinum apparet sicut in prologo redactionis Iordanianae notatur expresse: « Librum istum quem librum consuetudinum appellamus, diligenter conscripsimus ». In redactione Raymundiana nostrarum legum appellatio consuetudinum in terminum constitutionum mutata est. Vox institutionum, qua in formula professionis utimur, etiam ex usu religionum canonicalium explicatur, quarum congregationes variae institutiones possidebant, e. g. Praemonstratenses[6].

Legislatio igitur dominicana recepta in statu et forma adoptatis iam tempore magistri Iordani in codice dicto Ruthenensi praebetur. Manuscriptum autem ipsum posterioris est aetatis, cum ibi nova ordinatio constitutionum Raymundiana edita nominetur. Eo vel magis valor et auctoritas talis codicis Ruthenensis aestimantur, quia unicum manuscriptum, quod leges ordinis Praedicatorum in redactione Iordaniana servavit, esse videtur. « Acta capitulorum generalium seu constitutiones ad annum 1235 inclusive, prout seorsim sumpta et sub quolibet capitulo ordinis digesta, iam tempore suo nempe sub fine saeculi XIII periisse asserit ipse Bernardus Guidonis. Constitutiones igitur quindecim primis capitulis generalibus sancita non habebis nisi in praesenti textu Libri consuetudinum »[7]. Quod confirmatur a cl.mo p. Denifle dicente, se nusquam alium ac nostrum textum redactionis constitutionum, quae sub Iordano vigebant reperisse. Atque explicat idem hanc raritatem duplici ratione primo quidem quia illae consuetudines nonnisi per annos 10 in usu erant, secundo vero quia in aevo medio post succedentem novam ordinationem evulgatam priora documenta vel consignationes de eadem materia destrui solebant[8].

Constat redactio consuetudinum prologo et duabus distinctionibus. Quarum prima 25 materiis, et altera 37 materiis distinguitur, singulis materiis titulo speciali designatis. Dispositio totius rei perpoliri adhuc debuit.

Nova et perfectior praesentatio legum ordinis fratrum Praedicatorum ad rigidiorem formam iuridicam digesta cura magistri generalis Raymundi de Pennafort facta est. Huius doctissimi et sancti viri labor et opus praecipuum durante biennio, quo ordinem gubernabat (1238/40)[9], ipsa haec codificatio emendatior legum ordinis fratrum Praedicatorum exstitit. In ordinibus magistrorum iuris suo tempore famosus Raymundus de Pennafort nobilis Catalanus post-

quam Bononiae per annos tres in universitate rexerat[10], Barcinone inter canonicos ecclesiae cathedralis adscriptus fuit et anno 1222 ordini nuper fundato nomen dedit. Per cardinalem Ioannem de Abbatisvilla, qui pro Summo Pontifice legatione in Hispaniis fungebatur[11], comes adscitus et circa 1230 a Gregorio IX ad curiam Romanam vocatus est, ubi decretalium libros quinque 1234 ordinavit[12]. Post huius compilationis studium aliosque labores feliciter peractos in Hispaniam discedere impetravit, ex qua per electores ordinis iterum eductus fuit. Incunctanter « tertius magister, S. Raymundus, ubi regimen ordinis acceperit, librum consuetudinum, materiis alio ordine distributis, paucisque additis vel mutatis sub nova melioreque forma composuit. Unde auctor libri constitutionum apud nos dictus est: at vero quia magister nullum ius habebat quidvis minimum in constitutionibus immutandis, ideo liber novus a S. Raymundo datus in tribus capitulis generalibus immediate subsequentibus annis 1239, 1240, et 1241 approbatus est »[13]. Codificatio Raymundiana valde in incrementum legislationis et iuris dominicani cessit. Huius redactionis constitutionum ordinis Praedicatorum editionem unam p. Denifle praebuit, quae et communiter adhibetur[14]. Alia editio cura patris Mothon prodiit[15], qui notulis additis intellectum rei legislativae primaevae augere voluit[16].

Quemadmodum manuscriptum originale redactionis consuetudinum non ad nos pervenit, ita similiter forma codificationis Raymundianae in manuscripto primogenio nostris temporibus non transmissum est. At textus Raymundianus in codice archetypo liturgiae ordinis Praedicatorum circa 1260 exarato conservatur, non quidem in sua absoluta puritate sed cum admixtionibus ordinationum aut constitutionum supervenientium usque ad 1259[17]. Iuxta principalem auctorem codicis liturgici magistrum Humbertum textus constitutionum redactionis Raymundianae in illo codice scriptarum textus vel constitutiones Humberti vocatur.

Codificatio Raymundiana velut fundamentum et basis totius operis legislativi ordinis Praedicatorum[18] usque ad codificationem anni 1924 remansit. Re vera hae « constitutiones Raymundianae » dici possunt « regula »[19], iuxta quam ordo fratrum Praedicatorum vixit et ab aliis formis vitae regularis ita distinguebatur, ut iam circa medietatem saeculi XIII practice apud curiam Romanam quatuor regulae religiosorum indicarentur, nempe regula S. Benedicti, S. Augustini, S. Dominici, S. Francisci[20].

Complectitur redactio constitutionum Raymundiana prologum et duas distinctiones. Prima distinctio viginti et altera distinctio quindecim capitulis constat. Illae viginti sub quatuor considerationibus dividi possunt. Dum enim ante omnia ordinationes rei spiritualis ut officium ecclesiasticum, inclinationes, suffragia mortuorum ponuntur, in secundo loco vita quotidiana regulatur per dispositionem de ieiuniis, de cibo, de collatione, de infirmis, de minutione, de lectis, de vestitu, de rasura, de silentio, tertio loco de intrando, probando et profitendo ordine agitur. Quarta et ultima sectio primae distinctionis codicem paenalem continet. Distinctio secunda pariter in sectiones quatuor resolvi potest. Prima sectio capitulum primum de domibus habet, sectio secunda de electione et potestate officialium conventualium, provincialium et totius ordinis sive magistri generalis sive definitorum tractat. Sequitur dispositio singulorum capitulorum quotidiani, provincialis, generalis et generalissimi. Ultimo de muneribus et statibus fratrum in specie nempe de visitatoribus, de praedicatoribus, de itinerantibus, de studentibus, de conversis fit sermo[21].

§ 6. Generalatus venerabilis Ioannis Teutonici.

Magisterium generale nunc venerabilis Ioannis momentum particulare in eo habet, quod ordo Praedicatorum ex statu formationis ad fastigium perfectionis ascenderit et adductus sit. Atque gubernium supremum, quod a sancto fundatore per beatum Iordanum et sanctum Raymundum transmissum fuit, ad Ioannem de Wildeshausen natione Teutonicum virum vere egregium pervenit, cui consensus coaevorum et posterorum beati titulum decrevit[1].

E manibus S. Dominici anno 1220 Bononiae Ioannes habitum ordinis obtinuit[2]. Vir gravis, annos aetatis 40 natus, in scientiis eruditus, in iure peritissimus clarebat et sermonem multiplicem, nempe praeter germanicum et latinum etiam italicum, gallicum et quemdam ex orientalibus callebat[3]. Postquam in comitatu cardinalium legatorum sive pro negotio Terrae sanctae sive pro disciplina ecclesiastica instauranda per Germaniam constitutorum tum praedicatorem ferventem tum consiliarium sapientem se probavit, 1231 provincialis fratrum in Hungaria et 1233 episcopus Bosnensis renuntiatus est. In dissidio Papae et Andreae II regis Hungariae a praesulatu exonerari 1237 impetravit[4], at aliis administrationibus humeros submittere debuit, 1238 ad regendam provinciam Lombardiae[5] et 1241 ad

magisterium ordinis adstrictus, exinde « frater magister et episcopus»[6] aliquando vocatus. De eo notandae voces eius famam asserunt. Nam cum Ioannes « esset inclusus cum aliis tempore electionis suae Parisiis, quidam frater obdormiens in orando vidit quod ipse ferebatur per claustrum in curru igneo. Et vigilans dixit cuidam: Talis erit magister. Quod postmodum rei probavit eventus »[7]. « Hic fuit multum notus in curia Papae et etiam domini Friderici et in diebus eius ordo multum sublimatus est et roboratus in diversis et magnis privilegiis a curia concessis »[8].

Negotium ferendarum legum tempore magisterii Ioannis Teutonici magnam evolutionem internam vel potius auctam vim ordinis respectu quaestionum regiminis, disciplinarium, liturgicarum, scholasticarum denotat[9]. Pro casibus, in quibus magister generalis vel prior provincialis deesset, speciales dispositiones requirebantur. Universalitati demum ordinis, quam largissima mens magistri Ioannis aliis melius intelligere et promovere potuit, per variationem in locis celebrandorum capitulorum generalium prospiciendum erat. Quae exinde non solum in duabus fixis civitatibus sed et alibi si « magistro et definitoribus ex causa legitima quandoque aliud videbatur », haberi posse statutum est[10]. Vi huius novae constitutionis in fine deliberationum Bononiensium 1244 pro 1245 capitulum generale Coloniae in Teutonia assignatur, pro 1247 Montispessulani, pro 1249 Treviris in Teutonia, pro 1250 Londini in Anglia, pro 1251 Metis in provincia Franciae, capitulum anni 1254 Budae in Hungaria[11].

Sicut Ioannes fratrum mendicantium spiritum paupertatis ad exemplum fundatoris et pro officio praedicatorum conversatione suae vitae commendavit, ita idem spiritus insimul cum aliis ordinationibus pro vita regulari et observantiae saepius in capitulis generalibus apparet et inculcatur. Gubernatores ordinis disciplinam accurate custodivisse et vindicasse ex dispositionibus et absolutionibus edictis elucet.

Praeter legum conditionem et applicationem, uniformitas in officio ecclesiastico habendo iterum sub magistro Teutonico tractata est. Iam S. Dominicus et beatus Iordanus huic causae animum admoverunt. At maiorem favorem uniformitas liturgica ordinis Praedicatorum, quae annis 1245, 1246, 1247 acceptata fuit, adepta est, licet definitive non remanserit.

Circa studia disponenda vigilantia pariter et ampliatio adhibenda erat. Vigilantiam et correptionem ineptiae doctrinarum per fra-

trem Stephanum Altissiodorensem enuntiatae imponebant. Ampliatio autem studiorum tunc in tempus valde propitium incidit[12]. Ea non solum ex impulsu, qui per magistros Hugonem a S. Caro et Albertum Teutonicum theologiae, scientiis biblicis, et philosophiae datus est, verum etiam ex multiplicandis centris altioris institutionis attendenda erat. Plures rationes aderant quae pro constituendis studiis generalibus praeter Parisiense militabant. Conventus Parisensis ex affluentibus studentibus omnium provinciarum magnis oneribus gravabatur. Licet autem erectio studiorum generalium per alias praecipuas partes ordinis in eodem capitulo generali anni 1246 inchoata sit, in quo de debitis Parisiensibus commotiore sermone referebatur[13], tamen quaestio oeconomica unius etsi maioris conventus causa unica tanti consilii esse nequivit. Ampliandae formationi scientificae fratrum et actioni scholasticae diffundendae haec distributio superiorum scholarum inserviebat, quae 1248 vim legis nacta est[14]. Huic quidem ordinationi provinciales illarum quatuor provinciarum non eodem modo obtemperaverunt. Studium generale Coloniense per magistrum Albertum et clarissimum iuvenem Thomam de Aquino, quem magister Ioannes Teutonicus aliquando in itinere socium ducebat, illustratum est.

Gubernium magistri Ioannis ex favore quoque Apostolicae Sedis auctum est. Dum fratres Praedicatores privilegia vel petebant vel roborari volebant, Summi Pontifices large hos defensores ecclesiasticae auctoritatis durante lite inter sacerdotium et imperium distinxerunt. Gregorius IX ad magistri Ioannis postulationem « Ego bullabo » dixisse perhibetur[15]. Innocentius IV praecipue cum de libera actione et exemptione res erat, fratres Praedicatores non solum in causis interdicti sed etiam contra clerum saecularem concessionibus et confirmationibus adiuvit[16]. Et capitulares ex sua parte non superfluam hanc monitionem duxerunt, « quod fratres nostri sollicite servent pacem praelatorum »[17].

Ne industria et efficacia ordinis disgregaretur magister Ioannes sicut in cura spirituali sororum cautum se monstravit[18], ita 1245 ab Innocentio IV prohibitionem sollicitavit, ne praelati ex fratribus Praedicatoribus quemcumque absque licentia magistri generalis vel prioris provincialis ad servitia assumerent[19]. Per officia immediate Ecclesiae praestita sive in dignitatibus ut per cardinalatum Hugonis a S. Caro sive per administrationem multarum dioecesium[20] sive per praedicationem verbi Dei ubique terrarum sive per inquisitionem in

pagis haeresi infectis fratres Praedicatores magnum influxum et laborem exercebant. Quos Ioannes Teutonicus alto animo et sapienter dirigens, dum incessantes visitationes per ordinem perficiebat, quae bona vidit laudans, quae non bona corripiens, quae nondum erant excitans.

Admirabilem illum splendorem quo ordo Praedicatorum in omni vitae suae atque actionis sanctitate, nobilitate, potentia et magnitudine fructus faciebat videns, ipse beatus Ioannes Teutonicus noctu inter 4 et 5 novembris 1252 ad tumulum descendit primaevam aetatem ordinis e filiis primae generationis formatam dignissime claudens[21].

§ 7. Res ordinis ab anno 1252 usque ad depositionem magistri Munionis.

Post sanctum fundatorem et formatores ordinis abhinc magistri generales et fratres in capitulis generalibus congregati eum scopum particulari modo sibi praefigere debebant, ut rei sui instituti prospicerent tuitione status boni iam acquisiti et conservatione iurium necnon et continua atque indefessa elaboratione ac moderatione interna.

Persona magistri Humberti (1254/63) auctoritate non caruit[1]. Iuxta locum nativitatis Romans in Delphinatu prope Valentiam, in quo vergente saeculo XII natus est, vocatus, studia universitatis Parisiensis frequentavit. Magister artium effectus ordini Praedicatorum nomen dedit, quem prae Cartusianis ei dilectissimis tandem optavit. In sua provincia Franciae lectoratu et prioratu atque apud Romanos provincialatu ita excelluit, ut 1241 a cardinalibus in Papam eligendus censeretur. Post Romanae et Franciae ditionum regimen ad gubernium ordinis evectus, in ea altitudine, ad quam praedecessores sui ordinem attollebant, secure et fecunde rexit. Eodem ipso tempore, quo gubernium fratrum incoepit, eius nomen cum studio novae ordinationis liturgiae dominicanae connectitur. Ad magistri Humberti exemplar, solemniter ab ordine anno 1256 acceptum et confirmatum, denuo ecclesiasticum officium fratrum Praedicatorum compositum exstitit, cui provinciae se conformarent[2]. At non solum modos sacros suaviter gustare potuit, sed et amaritudines atque acerbitates rei adversae.

Imprimis e pace liturgici operis et pulchritudine laudis divinae causam agere et litem sustinere pro ordine suo magister generalis

debuit. Quaestio erat de parte utique notabilissima missionis apostolicae ordinis, nempe libere docendi, defendenda. Huic contentioni a Mendicantibus nomen est, at eius originis causa apparet esse in taedio, quo magistri cleri saecularis in universitate Parisiensi contra magistros ex ordinibus Mendicantium ortos affecti sunt[3]. Cum rex Ludovicus IX crucis et Terrae sanctae causa in oriente (1248/54) commorabatur, professores cleri saecularis maiorem spem successus nutriebant ut mendicantes ordines ab influxu increscente eorum in doctrina et re universitaria impedirent. Particularibus huius contentionis sub capitulo de studiis relatis, hic scire iuvat, magistrum Humbertum magni momenti litteras de hac re Parisiensi ad ordinem direxisse dicentes inter alia: « Sane plerique magistri theologiae Parisius doctorum nostrorum pluralitatem atque multitudinem scholarium et doctrinae gratiam aemulantes congregatione clandestina olim quaedam iniqua statuta, cum tamen nihil possent de iure statuere, ediderunt in nostrum ac omnium religiosorum enorme praeiudicium et gravamen... Haec pauca... duximus intimanda, ut processum dicti negotii aliqualiter cognoscentes superna pietate et compassione commoti apud Christum ac virginem matrem eius, ordinis advocatam et beatum Dominicum patrem nostrum et sanctum Dei Petrum martyrem gloriosum, cuius sanguis noviter fusus ad Deum sicut confidimus pro ordine suo clamat cum in hoc negotio diabolo procurante ruina toti ordini praeparatur preces precibus cumuletis... et nostram innocentiam ubi necesse videritis excusantes sicut viri prudentia praediti ex praesentibus coniciatis aliquid de futuris »[4]. S. Thomae de Aquino opusculum, Contra impugnantes Dei cultum et religionem, quod occasione defensionis contra adversarios Parisienses confecit, sicut similia Alberti Magni et doctorum franciscanorum S. Bonaventurae et Bertrandi de Bayona consideranda sunt tamquam primae monographiae scientificae de statu ordinum Mendicantium tractantes.

Precibus fratrum ad felicem compositionem litis universitariae obtinendam instantiae animarum ordini Praedicatorum devotarum iungebantur. Ita et venerabilis begina Mechtildis Magdeburgensis ordinem orationibus iuvit[5].

Placidior quidem quam extranei industriam doctrinalem ordinis impugnantes, sed non absque tenacia, factio quaedam inter fratres ipsos contra eximium zelum studii, qui apud plures eosdemque non spernendos, ut B. Albertum, Vincentium Bellovacensem, S.

Thomam, notari potuit, animadvertebat. At haec factio, cui Gerardus de Fracheto, Thomas Cantimpratanus aliique favebant[6], pietati monachali potius quam studiorum sacro cultui addicta, numquam ad separationem « spiritualium » sicut apud Minores, vel divisionem ordinis transiit. Corrigendae et reprimendae huic parti contentio Parisiensis universitaria haud inefficaciter adlaboravit, sicut et ratio studiorum anno 1259 apud Valencenas data[7] rem scholasticam inclusa philosophia bene disposuit.

Internae quoque ordinis res per magistrum Humbertum adversus virum optimis intentionibus praeditum et permotum, qui Hugo de S. Caro cardinalis exstitit, tuendae erant. Ipse die 3 februarii 1255 ad humilem et supplicem instantiam Alexandro IV porrectam, facultatem recepit, ut de consilio magistri et discretorum fratrum ordinis regulam, constitutiones et consuetudines fratrum Praedicatorum « diligenter inspicere ac ex illis quae potiora et utiliora fuerint eligere » valeat « et in unam regulam redigere sive de ipsis aliter ordinare »[8].

Ad huiusmodi bullam ac concessionem pontificiam silentium mox factum est, ita ut de tali regula formanda sermo non redierit. Nullus certe conservator iuris proprii et independentis ordinis Praedicatorum nisi magister Humbertus agnoscendus erat. Intercessit hac prima vice factum alicuius immixtionis cardinalitiae in causas ordinis, prout temporibus sequentibus interdum repetetur. Quod Hugo facultatibus extraordinariis nitens inculcare tentaverat, id magister Humbertus per modum obsecrationis fratribus commendavit, ut nempe regularibus moribus excellant et « studium, per quod sicut corpus per animam totus vigor ordinis consistit, colant »[9].

Obtenta die 28 martii 1261 pro ordine Praedicatorum ab Alexandro IV illa bulla « Virtute conspicuos », quae mare magnum i. e. diploma privilegia privilegiis cumulans exstitit quaque libertates et favores pontificii fratribus Praedicatoribus sicut et eorum consuetudines probantur[10], magister Humbertus († 1277) in capitulo generali Londinensi anno 1263 cessionem muneris petiit et impetravit[11]. In maiore otio exinde commentarios suos de regula S. Augustini et constitutionibus fratrum Praedicatorum et homiletica multa ipse consignavit[12], quibus ordinem interna vi instruere non cessat. Si « pro fratre Hymberto quondam magistro ordinis et pro fratribus qui secum laboraverunt in officiis ordinis et pro attinentibus sibi secundum carnem quilibet sacerdos 1 missam »[13] iuxta voluntatem capi-

tuli generalis 1264 dicere debuit, monemur, sub Humberto procuratorem generalem[14] ordinis in curia Romana institutum fuisse, qui negotia et causas apud Papam perageret. Insuper his collaboratoribus in officiis ordinis capitulares generales, priores, provinciales, socius[15] vel socii magistri ordinis specialiter adnumerari videntur.

Sequentibus annis tuitio et roboratio iuridica ordinis continuo processit anno 1267 die 6 februarii quaestione de cura sororum ordinis per Sanctam Sedem definita[16] et die 7 iulii ecclesiastico officio iuxta dispositionem magistri Humberti ab eadem auctoritate approbata[17]. In concilio Lugdunensi II anno 1274 celebrato partes et status ordinum Mendicantium valde agitabantur. Numerosae communitates mendicantes post concilium Lateranense IV ortae, quae nullam Sanctae Sedis confirmationem meruerunt, prohibebantur et exstinguebantur, dum ordinibus mendicantibus rite confirmatis ius recipiendi novitios ablatum est. « Personis quoque ipsorum ordinum omnimo interdicimus quoad extraneos praedicationis et audiendae confessionis officium aut etiam sepulturam. Sane ad Praedicatorum et Minorum ordines, quos evidens ex eis utilitas Ecclesiae universali proveniens perhibet approbatos, praesentem non patimur constitutonem extendi. Ceterum Carmelitarum et Eremitarum S. Augustini ordines... in suo statu manere concedimus, donec de ipsis fuerit aliter ordinatum. Intendimus siquidem tam de illis quam de reliquis etiam non mendicantibus ordinibus prout animarum saluti et eorum statui expedire viderimus providere » (c. 23)[18]. In quo conciliari decreto fratribus Praedicatoribus ante omnes ordines mendicantes locus primus assignatur, quem non quidem quantitate at potius qualitate suorum membrorum tenuerunt et ex eorum claritate finis et mediorum, ad quem alii ordines mendicantes propter opus salutis animarum exercendum necessario assurgere debuerunt. Et revera fratres Praedicatores et Minores tum in ipso concilio Lugdunensi[19] tum in re unionis ecclesiasticae cum Graecis[20] tantae operae pretium et actionis valorem exhibuerunt, ut eorum utilitas apertissime ostenderetur.

Si ordo in novitiis recipiendis strenue semper dispositiones observandas inculcat[21], ut et vigori suo et officio salutis animarum procurandae provideret, Sancta Sedes per Martinum IV die 20 ianuarii 1282, in bulla « Ad fructus uberes »[22] exordiente, concessit Praedicatoribus facultatem praedicandi et confessiones audiendi cauto tamen, quod magister generalis vel provinciales cum definitoribus capituli provincialis sive fratribus idoneis hanc facultatem rite conce-

dant, cauto etiam quod qui fratribus dictis confiteantur tamen semel in anno presbyteris paroecialibus confiteri teneantur. Per hanc constitutionem praesentatio fratrum, ob facultatem obtinendam, ordinariis locorum superfluxit. Tantum privilegium fratribus Praedicatoribus et Minoribus tributum exarcerbationes excitare non omisit, quae in lites mox eruperunt. Ne ex magnitudine privilegii et actionis libertate fratres extollerentur, capitulum generale Viennense anni 1282 monet et hortatur ut « ob reverentiam ordinariorum et rectorum ecclesiarum parochialium et pacem cum eis habendam » nostri a praedicatione desistant, si ordinarii vel rectores ecclesiarum id volunt, dum in sua ecclesia praedicant[23].

Ordo ob nactam extensionem tunc temporis particulares dispositiones circa administrationem postulabat, quae quidem nondum definitive datae sunt. Servata provinciae unitate sub uno provinciali quidam vicarii per singulas partes provinciae constitutae sunt nominati per provincialem audito voto provincialium, definitorum et priorum respectivarum vicariarum[24]. Salubri statui ordinis per visitationes sive per magistrum generalem sive per visitatores alios consultum fuit. Atque Ioannes Vercellensis, qui postquam studens S. Dominicum et B. Iordanum vidit, ex magistro iuris frater Praedicator[25] et provincialis Lombardiae factus est, dum virgam ordinis (1264/83) tenuit, infatigabili itinere omnes fere terras Europae et conventus suos perlustravit[26] pro sua religione in cultu et scientia et praedicatione zelans. Arcam marmoream ad condendum corpus S. Dominici anno 1267 novam Bononiae adstantibus fratribus capituli generalis ordinis et coetus provincialis Lombardiae instauravit[27]. Ex clariorum fratrum corona tunc praesentes Iacobus de Voragine et Bartholomaeus de Bregantia atque Aquinas definitor Romanus notentur[28]. Ioannes Vercellensis non solum consilia magistri de Aquino quoad elucidandas quaestiones saepius petivit[29], sed etiam devotissimum eius memoriae et doctrinae se praebuit[30].

Die 12 maii 1285 Bononiae a capitularibus magistro Ioanni Vercellensi, qui sancto fine die 30 novembris 1283 Montispessulani quieverat[31], Munio de Zamora provincialis Hispaniae, vir 48 annorum, suffectus est. Absque particulari titulo doctrinae vel praedicationis famosae, tamquam administrator prudens, in observantia tenax, charactere firmus apud electores innotuit[32]. Tali magistro ordo Praedicatorum indigebat, cum sub magnitudine sua atque ubertatis mole quodammodo oppressus gemeret.

Etenim appetitus proprietatis apud plures religiosos invaluit[33]. Contra morum simplicitatem usus equorum aut equitandi saepius deprehendebatur[34]. In capitulo generali Palentino anno 1291 vetatur, ne fratres « habeant molendina vel domos vel aliqua quae habere possessionum speciem videantur »[35]. Depositum quoddam personale argenti, cuius praxis ex vita sancti Thomae cognoscitur studentibus pictantiam in festo S. Agnetis offerentis[36], cuiusque depositi praxis a legibus tolerabatur[37] ex actibus iteratis abusus quosdam secum duxit.

Quare capitulum generale Ferrariense 1290 ordinavit, « ut fratres extra domum et loca communia et in domo etiam pecunias diutius non teneant sed eas ponant quam citius in libris seu in aliis necessariis expendant »[38]. Notabatur quoque appetitus titulorum lectoris vel praedicatoris generalis[39]. Insuper ex eventu depositionis magistri Munionis libertatem linguarum non defuisse patet[40], cum magister electus victima detractionum evaserit. In quibusnam autem rebus ansam detractionis praebuerit, ignoratur.

Bene quidem magister Munio tertium ordinem S. Dominici forma regulariore donaverat[41], Papis Honorio IV et Nicolao IV privilegia Praedicatoribus confirmantibus[42]. Benignum ordini Praedicatorum se monstrasse Nicolaum IV, qui e fratribus Minoribus ad cathedram Petri elevatus est, scribit Munio de Zamora ex capitulo generali Lucensi[43]. Sed anno 1290 Nicolaus IV « circa curam vestri ordinis sollicitudinis apostolicae adhibere studium » cupiens duobus cardinalibus Latino Malabranca et Hugoni de Billom potestatem dedit quoslibet officiales vel praelatos intra ordinem absolvendi si opus esset[44].

Quam facultatem dicti cardinales fratribus quatuor delegatis, scilicet Salvo provinciali Romano, Iacobo priori Minervitano, Alrado priori Argentinensi et Iacobo de Voragine coram capitularibus generalibus Ferrariae degentibus denuntiarunt, et quidem non solum in generali sed in particulari. Mandarunt enim cardinales per suos delegatos definitoribus, ut magistrum generalem qui « non parvo iam tempore noscitur laborasse » in munere suo, inducant « ut praedicto officio cedat suamque absolutionem petat humiliter et instanter »[45]. Revera Munio sponte et humiliter examinationi se subdere voluit, at capitulares id non permittentes tum Munionem tum ordinis libertatem vindicare voluerunt[46]. Contra factam immixtionem car-

dinalium Latini et Hugonis sicut etiam in alias expectandas immixtiones Sanctam Sedem capitulares appellarunt[47].

Quod ex quatuor mandatariis priores Minervitanus et Argentinensis magistrum Munionem depositum declararunt, modo illegali factum est. Romam dein Munio a Nicolao IV vocatus officio non cessit sicut Papa desideravit. At iter ad capitulum generale Palentiae celebrandum agens per Papam, « certis emergentibus causis » ab officio absolutus fuit[48]. Cum vero litterae pontificiae in tempore non advenerint, capitulares sessiones in pace celebrabantur. Iratus Pontifex die 13 augusti 1291 depositionem Munionis roborans eum cum definitoribus Palentinis Romam citavit[49]. Quae utique ratio tali modo procedendi contra Munionem Nicolao IV fuerit, non constat. Mortier[50] rem ex formatione regulae tertii ordinis dominiciani Papae franciscano haud accepta repetit. Certe Nicolaus IV non una vice in Praedicatores minus gratum se ostendit[51]. Contra depositum magistrum, dum ad episcopatum Palentinensem libere electus fuit, iterum lis acta est[52]. Libere a praesulatu discedens Munio in conventu S. Sabinae de Urbe anno 1300 quievit « sanctae memoriae » famam relinquens[53].

c) EXUBERANTIA ORDINIS ET PARTIALIS DILAPSUS (1291-1380)

Ordo Praedicatorum a fine saeculi XIII et in prima medietate saeculi XIV exuberantiam status ostendit, quae in extensionem actionis et in dissolutionem quamdam suae vitae interioris cessit. Magistri generales non illam fecundissimam et securam directionem in ordinem exercere poterant, cum sibi celerius succederent. Et quoad vitam conventualem magis magisque ille sese habendi modus, qui conventualismus dicitur, invaluit. Facta pariter historiae ecclesiasticae et civilis et universalis valde in ordinem influebant. Et quidem non solum vividior participatio curiae Romanae in componendis vel dirigendis rebus ordinis apparet, verum etiam contentiones inter papatum et Franciae regnum et postea translatio residentiae Romanorum Pontificum ab Urbe Avenionem et lites inter Papas Avenienses et Ludovicum Bavarum, oppressio populorum per ecclesiasticas paenas[1] necnon et bellum centum annorum inter Anglos et Gallos

agitatum[2] et super omnes hos eventus epidemia pestis[3] et dilapsus conventuum[4] sive calamitates ex parte sive molestias toti ordini inflixerunt.

Attamem conspicuam missionem in sinu Ecclesiae, pro salute animarum usque ad extremas plagas fratres Praedicatores feliciter exercebant. Huius rei enuntiata pontificia et praecones et testes exsistunt. Habet pro ordine Benedictus XI haec verba laudis[5]: « Ex horto delicioso Ecclesiae sacrosanctae ineffabilis providentia conditoris pro sui nominis attolenda gloria et salute fidelium procuranda praeclarum ordinem Praedicatorum diebus novissimis inter speciosa et fecunda plantaria quasi lignum vitae produxit quod superni roris benedictione perfusum sic a suis primordiis laudabilibus incrementis processit, sic se divina operante gratia in altum provexit, sic se longe lateque diffudit ut sublimitate sua caelos pertigerit et ad fines ultimos orbis terrarum suos extenderit palmites generosos. Isti sunt palmites pretiosi Christo viti verae inhaerentes fratres videlicet ordinis S. Dominici qui a superfluitatibus terrenorum purgati et sarcinis divitiarum abiectis abnegaverunt salubriter semetipsos et amplexi paupertatem et regularem vitam professi ad convivium regis caelestis honoris et honestatis flores suaves et fructus uberes attulerunt. Isti sunt electi Christi ministri conspicua religione fulgente et honestate vitae clarissimi, quos in lucem gentium Dei sapientiam dedisse dignoscitur velut splendentia sidera in Ecclesiae firmamento et tamquam lucernas ardentes in domo Dei illuminantes cunctos evangelicis documentis et spiritualibus radiis ostendentes mortalibus viam vitae ». Similia alii Pontifices edixerunt. His laudibus teguntur, quae ordines religiosi apud scripta atque auctores profanos Chaucer, Rutebeufs, Roman de la Rose aliosque[6] invenire debebant.

Post pestem utique siderea claritas ordinis diminuta ac fracta apparet.

§ 8. Series magistrorum generalium.

Depositio magistri generalis Munionis per Summum Pontificem non quidem ratione laesionis regulae vel constitutionum ex parte depositi sed solummodo ratione alicuius opportunitatis ex parte inimicorum quicumque fuerint tanti magistri facta, graviter ordinem fratrum Praedicatorum affecit imo ordinem afflixit. Atque rapide per tempus immediate ad depositionem Munionis sequens magistri

generales sibi successerunt ac si omnes, ex quibus aliqui detractioni indulserant, solatium moderatoris firmi et stabilis exspectare deberent.

Stephanus Bisuntinus per biennium (1292/94) magisterium ordinis exercebat. Magister Parisiensis exsistens[1] doctrina, praedicatione verbi Dei, scriptis praesertim homileticis, regimine provinciae Franciae excelluit. In generalatu strenuus assertor virtutum religiosarum esse innotuit ita ut aliquibus chronistis valde durus appareurit. « Rexit ordinem in virga ferrea » notat Olmeda[2]. Et Taegius memorat, quod magister Stephanus « rotam quamdam ferream magnam lampadibus plenam et ad sepuchrum beati Petri martyris dependentem totamque ecclesiam illustrantem amoveri iussit dicens illam paupertatem nostram deformare »[3].

Per aliud biennium deinde B. Nicolaus Boccasini e secundo suo provincialatu Lombardiae[4] ad supremum regimen ordinis assumptus fratres Praedicatores gubernabat (1296/98). Sub eo constitutio de dimensionibus ecclesiarum decenter mutata est. Ordinem contra detractiones multas ex parte fraticellarum membrorum et cleri saecularis motas petendo a Bonifatio VIII roborationem privilegiorum munivit[5].

Dum ipse ad cardinalatum ascendit iam in electione sui successoris pro magisterio generali se immiscebat litteras commendatitias ad capitulum generale dirigens. Albertum de Ianuis, ubi vestitus est, vel de Chiavari, ubi natus fuit, quem Bonifatius VIII magistrum generalem proposuerat, capitulares votis suis quoque electum designarunt[6]. Notabile factum, quod sub eius magisterio generali trium mensium evenit, est publicatio bullae Bonifatii VIII, quae verbis « Super cathedram » exorditur quaeque restringens concessiones Martini IV in bulla « Ad fructus uberes » datas Mendicantes ad statum primi sui temporis per respectum ad clerum saecularem reduxit[7].

Defuncto magistro generali Alberto Ianuensi regimen ordinis ad provincialem Teutoniae tamquam vicarium constitutionalem transire debuit, at hac vice non absolute sed dependenter a cardinali Boccasini. Huic Bonifatius VIII commisit ut per se vel per alium seu alios curam de regimine ordinis gereret cum facultate provincialis qui vicarius ordinis est cuiusque potestati derogari per hoc non intenditur, processus corrigendi, mutandi, reformandi, emendandi[8]. Ad capitulum electivum iterum cardinalis Boccasini non solum consilia sua destinavit sed candidatum quoque eligendum Lambertum

Laudensem proposuit. De cetero alius Lombardus nempe Rambertus de Primadizzi candidatus, sicut iam antea, ita nunc exstitit[9]. Re vera autem Bernardus de Jusix mense maio 1301 Coloniae electus est. Postquam litem inter Philippum Pulchrum et Bonifatium VIII summe accendi vidit, Treviris anno 1303 magister generalis obiit.

Tandem Aymericus de Placentia longiorem generalatum et moderationem efficaciorem ordini praebuit. In gratiam pontificis novi Benedicti XI, qui discipulum Aymericum habuit, praecipue hic filius provinciae Lombardiae votis electorum designatus est. Et Papa favoribus Mendicantes et haud ultimo loco fratres Praedicatores auxit. Non solum bullam Bonifatii VIII « Super cathedram » revocavit[10] sed etiam cardinales tres, quos creavit, nonnisi ex ordine Praedicatorum assumpsit[11]. Mors praematura Papae adiutorem validum magistro Aymerico abstulit. Clemens V enim, per factionem gallicam cardinalium exaltatus instante Nicolao de Prato[12] ordini quidem Praedicatorum favit sed non eius magistro Aymerico. Ansa dissensus in re Templariorum quaerenda est[13]. In quos inquisitores dominicani inquirere debebant. Cum magister Aymericus et inquisitores nostri per Castellam et Legionem multos inquisissent eos innocentes inventos torturis non submiserunt[14]. Quod certe Gallis non fuit acceptum. Aymericus concilium Viennense pro anno 1311 convocatum devitans, in capitulo generali Neapolitano anni 1311 officio magistri generalis renuntiavit, apud conventum Bononiensem quietem ultimam reperiens 1327[15]. In historia doctrinae et litterarum magister generalis Aymericus cum mentione relevatur. Etenim non solum magna centra studiorum libris pretiosis coniunxit (bibliam hebraicam Parisiensem fratribus Bononiensibus attulit)[16], sed etiam scriptores ordinis ut Theodoricum Fribergensem[17] tum alios ut Petrum Crescentium Bononiensem[18] ad editiones et studia incitavit.

Ei vicarius ordinis provincialis Tolosanus Berengarius de Landore Carcassonae anno 1312 in magisterio generali suffectus est. Antea in docendo ad gradum magistri theologiae et in administrando ad provincialatum pervenerat. In moderatione totius ordinis et studia ac doctrinam S. Thomae promovit[19] et litteris directionis varias partes ut nationem hibernicam[20] et societatem fratrum Peregrinantium[21] munivit vel formavit. Has qualitates magistri Berengarii Ioannes XXII intuens anno 1318 eum ad pacificandas terras Burgundiae et Flandriae cum Francia destinavit et postea archiepiscopum Compostellanum, loci tunc propter peregrinationes celeberrimi, con-

stituit. In pugna contra Mauros vulneratus atque ad conventum Hispalensem portatus, apud fratres ordinis anno 1330 obiit[22]. In capitulo generali Lugdunensi anni 1318 Herveus Nédélec (Natalis, Brito) vicarius ordinis exsistens ad magisterium generale evectus est. Fuit Herveus non solum « in saeculo honorabilis clericus et dives valde, qui beneficiis omnibus ecclesiasticis relictis ordinem Praedicatorum ingressus est », sed etiam « vir acutissimi ingenii, in philosophicis et in theologicis peritissimus »[23] prout eius fama et opera relicta demonstrant. Lustrum in regendo mense augusto 1323 finivit[24], ante obitum Thomam de Aquino caelitibus adscriptum die 18 iulii eiusdem anni adhuc comperiens[25].

Barnabas Cagnoli de Vercellis tum dotibus suis scientiae iuris, facilitatis et prudentiae in provinciali gubernio et inquisitione tum natione sua Lombarda electoribus plurimis acceptus pro magisterio ordinis commendatus est. Praedecessorum industriam in evocanda obligatione paupertatis et studii secutus est[26]. Contra detractores sororum de paenitentia S. Dominici in Lombardia et Tuscia pie viventium, ne in damnationem beginarum vocarentur, a Ioanne XXII litteras tutaminis impetravit[27]. Missionum opus ampliavit[28]. Indignationem Papae, cuius opinioni privatae de visione beatifica defunctorum usque ad diem iudicii dilata contradixerat, subiens et in Italiam redire prohibitus magister Barnabas die 10 ianuarii 1332 Parisiis mortuus est[29], officio generalitio exinde per annos fere 50 ad Gallos transeunte.

Ex illustri familia Burgundiae ortus Hugo de Vaucemain, magister theologiae, provincialis Franciae Divione anno 1333 regimen ordinis obtinuit[30]. Gubernandi dexteritas, scientia competens, spiritualis vitae praxis eum decorarunt, ut B. Henricus Suso testatur[31]. Nec leve officium gessit. Etenim Benedictus XII, qui plurium ordinum religiosorum statuta emendare studuit, fratres quoque Praedicatores nova forma donare cupivit. Hugo ante compositionem huius rei Avenione die 6 augusti 1341 decessit[32]. Et mors Papae pacem constitutionalem ordini Praedicatorum reddidit.

Gerardum de Daumar de la Garde eodem anno 1342, in quo magister generalis electus fuit, Clemens VI ad purpuram promovit[33], Petro de Palude doctore conspicuo et scriptore magno e provincialatu Franciae ad summum ordinis gubernium assumpto[34]. Ex tempore eius regiminis biennalis 1343/45 minime copiae factorum cognoscuntur, quibus ante suum generalatum abundavit[35]. Mortuo magistro Petro

de Palude, apud Brivam (Brives) anno 1346 capitulares Guarinum de Gy-l'Evêque magistrum ordinis elegerunt[36], qui sicut tres eius antecessores magister theologiae exstitit.

Ea aetate pestis epidemia supervenit, in qua ultima acta magistri generalis sicut et ipse tunc mense augusto vel septembri 1348 perierunt[37].

Ordinem viduatum reliquit, qui — etsi a fervore primaevo quoad partem dilapsus — haud parvam maiestatem internam in magistris et mysticis et sanctis fratribus sororibusque et externam in praedicatione atque operibus ecclesiasticis ostendit.

§ 9. Quaestiones de paupertate. Dissensus ordinis cum Benedicto XII.

Paupertas religiosa, quam fratres Praedicatores a sua fundatione in forma mendicitatis sobria et severa observabant, lapsu temporis tum ex remittente spiritu zeli primaevi tum ex necessitate statum acquisitum tenendi imo et ob auctas conditiones et indigentias ampliandi tum ex voluntate munificorum benefactorum et sepultorum apud coemeteria ordinis reconditorum tum ex duritia egestatis et voluntate provida Ecclesiae, iam in saeculi XIII altera medietate sensim mitigata erat. Semper qui ordini praefuerunt invigilabant, ne domos modum et mensuram humilitatis et mendicitatis statuta praeterirent[1], ne praeter vineas hortosque adiacentes et necessarios novae acquisitiones fierent[2], ne grangiae, ne molendina haberentur[3], « ne fratres extra septa monasterii proprietatem domorum vel quarumcumque possessionum ultra annum retineant ullo modo, sed alienare vel vendere teneantur »[4], quacumque cumulatione bonorum temporalium prohibita. Inchoante saeculo XIV fundi et agri etiam distantes accipiebantur, eo praesertim pacto, quod anniversarium a conventu pro donatoribus celebraretur. Reditus sicut pecuniae manuales per longum tempus vel vendebantur vel in cibum aut alios usus necessarios ut libros vel supellectilem mutabantur[5]. Solebant postea saepe in terris, in quibus fratres Praedicatores vicini sororibus eiusdem ordinis exsistebant, reditus sororibus dari cum onere ex his annuam summam fratribus exsolvendi[6]. Tandem absque tali medio adhibito directe fratribus reditus vel possessiones consignabantur. Interdum utique potestas civilis huiusmodi donationes manui mortuae factas interdixit, e. g. in civitate Argentinensi, in regionibus Geldriae et Fri-

siae[6] dum ex alia parte principes non defuerunt, qui fratres Praedicatores ita ditabant, ut extra mendicitatem constituerentur[7].

Contra eos, qui a possessione modesta vel iam aucta fratrum Praedicatorum decimas exigere intendebant, Innocentius IV aliique Papae exemptionem ordinis Praedicatorum inculcabant. Imo et eadem auctoritas eosdem protexit contra illos, qui sub praetextu portionis canonicae legata fratribus Praedicatoribus destinata diminuere conabantur[8]. In celeberrima bulla Alexandri IV « Virtute conspicuos » anno 1261 tempore indulgentis magistri Humberti edita ii reditus ordini conceduntur, quibus fratres ad ornamentum ecclesiae, ad sacram supellectilem, ad libros aliasque necessitates ex donatione vel ex testamentaria traditione potiuntur[9]. Sustentationi Praedicatorum Clemens IV 1265 multiplici statuto prospexit, prohibens erectionem aliorum conventuum in vicinitate domorum ordinis, declarans «quod vos in temporalibus bonis, in quibus succederetis in saeculo exsistentes licite potestis succedere et bonorum ipsorum possessionem apprehendere ac vendere libere bona ipsa eorumque pretium in utilitatem vestram convertere »[10].

Invidiam, quam ex accipiendis hereditatibus vel testamentis Mendicantes in se suscipere debebant, ipsi iuxta admonitiones capitulorum suorum moderari studebant dicentium, quod fratres populum inducant ad iura et testamenta ecclesiis paroecialibus reddenda et a sepultura apud ecclesiam paroecialem habenda non avertant[11]. Haec invidia occasione concilii Lugdunensis II ad suppressionem religionum mendicantium de iure pervenit, licet de facto fratres Praedicatores et Minores aliique ob utilitatem Ecclesiae et sub speciali regimine tolerarentur factaque per Gregorium X facultate quod « tuta conscientia aliquod proprii » possidere possent[12]. Magis adhuc Bonifatii VIII bulla Super cathedram Praedicatoribus nocumentum intulit, statuendo quantam partem omnium obventionum tam de funeralibus quam quarumcumque vel quomodocumque relictarum... « ad quoscumque certos seu determinatos usus, de quibus etiam quarta seu canonica portio nec dari nec exigi consueverit vel debet de iure » necnon datorum vel qualitercumque donatorum, quae Praedicatoribus contingunt paroecialibus sacerdotibus et ecclesiarum rectoribus seu curatis integraliter largiendam esse[13]. Per hanc constitutionem apostolicam in tempore, quod mendicitatem ad sustendandos conventus impossibile ostendit, etiam aliorum proventuum fons limitatus est. Praeoccupatio ordinis in commentariis cuiusdam ano-

nymi sic expressam invenitur: « ex hac clausula vitalis habitus intercluditur, vulneratis omnibus supradictis »[14].

Consequentia huius statuti Bonifatiani apud fratres Praedicatores in maiore industria habendorum bonorum, redituum, proventuum fixorum apparet ut vita protrahi possit[15]. Unum exemplum percelebris et magni momenti conventus rem demonstrat. Dum fratres Colonienses usque ad annum 1300 nullos reditus acceperant, ex tunc reditus multiplicabantur[16]. In aliis partibus autem reditus iam ante statutum Bonifatii VIII tenebantur[17]. Semper autem ordo fratrum Praedicatorum possessionem privatam abhorruit, etsi possessio in communi iam quasi de facto invaluit. In sermone, quem occasione canonizationis S. Thomae de Aquino die 14 iulii 1323 Ioannes XXII Avenione recitavit, dum Papa litem Franciscanorum de paupertate sustinere debuit, dixit istum sanctum in ordine Praedicatorum gessisse vitam apostolicam, cum ordo nihil in proprio et in speciali, licet in communi haberet, addens: « et hanc vitam apostolicam reputamus »[18].

In praxi autem singulorum fratrum plurium mores particulares circa paupertatem invaluerant, qui non solum ex industria librorum acquirendorum apud studentes et lectores maxime notata[19] vitam quamdam privatam[20] domibus religiosis introduxerunt, verum etiam conventualismum formare coeperunt, quo nomine ratio modi religiose se habendi super fundamentum quodammodo vitae privatae saepe designatur. Si voce « conventualis » in initio id omne intelligebatur quod ad conventum ordinis pertinebat (ut prior *conventualis* vel iuxta Gregorium IX ecclesia *conventualis*)[21], postea denominatio conventualismi ex historiographia religionis seraphicae ad alios ordines transsumpta est[22], ut modum vivendi remissiorem, de facto[23] connexum cum quadam stabilitate loci indicaret, ob quam fratres quoad officia communia provinciarum vel ordinis difficile mobiles reddebantur.

Contra remissiorem vitam regularem quidam zelatores « spirituales » ab anno 1300 in provincia Romana instabant, quorum opinandi ratio in capitulo generali anno 1321 discussa est, ordinis unitate servata[24].

Benedictus XII, antea ordinis Cisterciensis, postquam reformationem usuum Romanae curiae, ordinum variorum monachalium et canonicalium et fratrum Minorum perfecit[25], anno 1337 apud fratres Praedicatores viam planam instaurare voluit. Ordo apud Papam

accusatus erat[26]. Ideo Benedictus XII magistrum generalem Hugonem de Vaucemain et quosdam probos circumspectosque fratres ad praesentiam suam citavit, ut cum iis remedia ordini pararentur. Capitulum generale anni 1338 Metis assignatum, auctoritate pontificia Avenionem translatum sed a magistro suspensum est[27]. Commissio specialis fratrum Avenione pro constitutionibus reformandis laborabat[28]. His in tractationibus magister generalis iudicium theologicum famosi Petri de Palude petiit, quod de praecipuo puncto paupertatis controversiae in reformatione a Papa intenta agebat[29]. Temperatum iudicium Petri magistro generali datum hoc importat, quod non est « contra votum paupertatis habere reditus et possessiones cum ista habeant omnes monachi, qui habent votum paupertatis ut nos. Item non videtur esse contra regulam nostram, cum ista habeant omnes canonici regulares eiusdem regulae professores. Est autem contra constitutiones nostras, quod totus ordo ista habeat, manentibus constitutionibus in suo statu. Sed tamen propter hoc non est contra votum nostrum, quia non vovemus servare constitutiones sed promittimus obedire secundum illas. Unde non trasgredimur votum nisi contra praeceptum obedientiae illa faciamus. Quia vero nihil tam naturale est, quam unumquodque solvi eo genere quo ligatum est, sicut ordo in generalissimo capitulo statuit inviolabiliter de reditibus et possessionibus non recipiendis sicut de carnibus non comedendis, ita per simile capitulum generalissimum utrumque posset retractari si expediens iudicaretur sicut per tria capitula generalia possent constitutiones alias immutari ». Cum autem magister nonnisi de particularibus casibus quaesivit, Petrus de Palude respondit magistrum ordinis in particularibus casibus pro loco et tempore ex causa rationabili sine transgressione constitutionum posse circa census, reditus ,aliaque huiusmodi dispensare sicut ex rationabili causa praelati ordinis in carnibus comedendis dispensant[30]. His explanationibus fretus Hugo ideae Papae non acquievit, qui mendicitatem Praedicatorum supprimere ordinique novum regimen iuris dare cupivit[31]. Necessitatibus autem obvians generalis magister cum conventibus singulis in materia proventuum fixorum dispensavit[32], dum libertatem et independentiam constitutionalem sui instituti nimia pietate litterali absque temporis evolutionis perspectione vindicare contendit[33].

Notanda nunc hodiernorum historiographorum iudicia de hac lite ordinis cum Benedicto XII in divisiones abeunt. Si modus pro-

cedendi Benedicti XII ex eius celeritate offendit, tamen eius cogitatus ad illum rationabilem statum apud Praedicatores habendum tendit, qui sub Sixto IV et solemnius sub concilio Tridentino determinatus fuit[34]. Dum Mandonnet Benedictum XII supprimere mendicitatem et liberare ordinem de subiectis insufficientibus ita ut corpus selectorum praedicatorum et doctorum efficeretur autumat et magistri Hugonis modum se habendi tamquam incomprehensionem considerat[35], Altaner immixtionem Papae in res intimas ordinis relevat[36], alii[37] vero cum antiquioribus praecipuam litem Papam inter et ordinem de paupertate agitatam agnoscunt, cum qua re etiam violatio internae dispositionis ordinis cohaeret. De cetero sicut Benedictus XII apud Minores haud cogitatum pacis sed exacerbationis excitavit, ita et apud Praedicatores[38].

§ 10. Sortes ordinis post pestem

Pestis magna per naves Genuenses ex oriente in Europam allata est. Anno 1348 incipiente per Galliam meridionalem, Italiam, Germaniam grassabatur ubique homines carpens terrasque totas aliquando usque ad medietatem perdens[1]. Hac calamitate motus Clemens VI indulgentias speciales concessit quibuscumque curam morientium et sepeliendorum gerentibus. Conventus et monasteria ordinis Praedicatorum numeros horrendos suorum mortuorum in illa clade indicant. Dum multi conventus depopulabantur, alii emortui sunt. Societas Peregrinantium in plagis orientalibus quasi ad ruinam perducta fuit[2]. In Italia duo vicarii provinciales Romani sibi brevi in sepultura succedebant[3]. Florentiae 80 fratres, Pisis 40, Lucae 20 obierunt[4], in monasterio Ripulitano 100 sororibus decedentibus[5]. Conventus Carcassonensis historia narrat de priore Guillelmo de Garric qui primum fratres Minores peste infectos caritative sepelivit et postea propriis fratribus vel morte vel fuga subreptis ipse mortuus est. Provincia Provinciae numerum defunctorum ad 378 aestimat[6]. Sicut in Gallia ita et in aliis partibus nempe Angliae et Germaniae victimae saepe immensi numeri a peste postulabantur[7]. In Bohemia multi e conventibus devastatis egressi sunt nihilque de quo viverent habentes ad familias suas vel ad alias partes fugerunt[8]. Aliqui ex nostris, dum flagellantibus praecipue in Germania sub turbata specie pietatis incedentibus resisterent, interfecti sunt[9].

Durante tanta calamitate et colluvie miseriae negotium regiminis capitulorum generalium tranquille processit. Mentio quidem epidemiae in consessibus legiferis obiter fit. At ex statu generali labefactato ordini inflicta vulnera perspicimus. Capitulum generale Lugdunense 1348 ad terrorem et calamitatem pestis alludit dicens: « Cum bona consistentia nostri ordinis in personis idoneis consistat, et Deo permittente numerus fratrum nostrorum per communem pestilentiam sit in diversis partibus diminutus rogamus fratres universos et eis imponimus quod in attrahendo bonos et aptos iuvenes ad ordinem sollicitudinem exhibeant diligentem et recipiantur ad praesens in quibuscumque conventibus etiam si sint de terminis alienis ».

Insuper in ordinis capitulo anni 1348 dictum est: « Praecipit magister ordinis in virtute sanctae obedientiae definitorum consilio et assensu, quod libri fratrum decedentium pro libraria utiles non venumdentur, nisi consimiles in communi libraria habeantur »[10].

Ex his paucis verbis officialis nuntii horrorem pestis auribus tremenda loquela insonat. Tristi illo tempore ordinibus mendicantibus quidem saepe legata magna contingebant ,ob quae acriter a quibusdam carpebantur[11]. Moderationem ordinis post annos pestis et litem iteratam de privilegiis praedicandi, confessiones audiendi et sepeliendi, Mendicantibus concessis, sustinere debuit Ioannes de Molinis 1349 Barcinone electus[12]. In epistula ex capitulo generali Montispessulano 1350 data, ad quod absque dubio communicationes de damnis et desolatione per epidemiam causatis referebantur, magister de « temporis malignitate et imminuti ordinis necessitate » scribit[13]. Provide indigentiis satagere cupivit revocando per acta capitularia fratres ad observantiam abstinentiae et paupertatis, fratres et sorores ad clausuram servandam, monendo magistros theologiae ad vitam communem, omnes ad concordiam inter se et cum saecularibus, et ad cessationem ab ambiendis honoribus. Sub eo multiplicata sunt praecepta formalia et excommunicationis sententiae[14]. At sicut non unico ictu radix infirma dissipationis sanatur ita et magister de Moulins effectum suarum ordinationum non vidit eo vel minus quod 1350 cardinalatu auctus e magisterio ordinis discessit († c. 1353)[15].

Simon Lingoniensis anno 1352 in magistrum generalem electus famam piscatoris hominum possidebat, quam non solum ex annis professoratus sed maxime ex eius gubernio et praedicatione acquisiverat. Per annos 14 ordini praefuit, donec 1366 ad episcopatum Nan-

netensem promotus e magisterio discessit († 1384)[16]. Praesulatus ei decretus et testimonium benevolentiae pontificiae in eum fuit (magna pro curia Romana in rebus gravibus ecclesiasticis et politicis negotiando perfecerat) et modus eum ab officio magistri ordinis liberandi, cum commercia principum non facile obligationibus pro ordine suscipiendis addere valuerit[17]. Capitulis generalibus 1355, 1360, 1364, 1365 non intererat, quia vel coronationi imperatoris Caroli IV regis Bohemiae Romae assistere vel regem Angliae Eduardum III legatus adire vel alias diplomaticas missiones explere debebat[18]. Solemnis celebratio capituli generalis Pragae 1359 instituta non solum amicitiam domus regiae Luxemburgensis cum Praedicatoribus signavit sed etiam optima protestatio contra venenationem imperatoris Henrici VII per Bernardum de Monte Politiano ab aliquibus inventatam exstitit[19]. Prae occupationibus aliis, quibus magister detinebatur, instauratio et conservatio ordinis cedebant. Capitulum generalissimum, quod pro anno 1351 si id provinciis placeret intentum erat, locum non habuit[20]. Similiter aliae ordinis relevandi occasiones frustra mittebantur.

Elias Raymond Tolosanus, qui antea magister theologiae, paenitentiarius apostolicus, imo ab anno 1365 vicarius ordinis per Urbanum V institutus erat, ab initio sui regiminis 1367 contra exceptiones quascumque bellum indixit[21]. Attamen fratribus et sororibus sibi subiectis gratias concedere paratus erat, cum legitime de hac necessitate ei constiterit[22]. Contra vitam privatam commodam similiter luctavit sicut contra recursum indebitum ad curiam Romanam. Inobendientias in Provincia, Aragonia et Anglia repressit[23]. Incremento ordinis providens auctoritate sua oblatos assumi posse decrevit, qui septennium excedunt[24]. Sub eo series capitulorum generalium in biennalem non absque oppositione adversantium fratrum mutata est ita ut exinde anno 1370 huiusmodi consessus alternis annis instituerentur, Gregorio XI rem 1373 probante[25]. Ex hac praxi coetuum generalium biennalium auctoritas et administratio magistri generalis maius momentum nancisci potuit. Sub magistro Elia prima vice protector ordinis in actis capitulorum generalium nominatur[26], corpus S. Thomae de Aquino 1368 Tolosam transfertur[27], S. Catharina Senensis Gregorium XI ad Sedem Romanam reducit[28].

d) AEVUM OBSERVANTIAE INSTAURANDAE (1380-1507)

Aevum, quod ordo Praedicatorum a vergente saeculo XIV ad initium saeculi XVI percurrit, temporibus procellosis assimilatur, quae ab ipsa Ecclesia haud sine magnis agitationibus et schismatibus transacta sunt. Conamen reformationis morum clericalium, quam S. Catharina Senensis instantissimis desideriis semper advocaverat[1], signum ingentis industriae ecclesiasticorum virorum bonae voluntatis fuit. Superata schismatis divisione, quae reformationem ex habita confusione dupliciter necessariam postulavit, etiam apud fratres Praedicatores tendentia maioris observantiae et disciplinae regularis sub B. Raymundo in una parte christianitatis incoepta progredi potuit. In saeculo XV decurrente quaestio semper fuit, quomodo observantia severior seu strictior a supremis moderatoribus acciperetur. Ex hoc puncto historia interna huius periodi ordinis Praedicatorum pendet.

Si in antiqua chronica Pisani conventus ad annum pestis 1348 dicitur: « Post istam mortalitatem diram et crudelissimam numquam mores ordinis et religionis disciplina potuit ad pristina restaurari »[2], si teste S. Antonino post pestem « rigor ille reparari non potuit ex tepiditate supervenientium tam praesidentium quam subditorum »[3], si ex bellis[4] et epidemiis[5] et totius rei socialis deterioratione[6] conventus gemebant, actio vigorosa ad instaurandam vitae rationem ferventiorem suscepta novum aevum inaugurat. Eos qui sponte ad reformationem observantiae aspirabant B. Raymundus colligebat, eis consiliis et pontificio robore adfuit, minime autem quoscumque ad severiorem disciplinam adstrinxit. Quaedam divisio per hanc methodum in ordinem vel potius in regimen ordinarium provinciarum necessario invecta est, nisi aliqua provincia ad observantiam transire elegit. Occasione huius divisionis uni Conventuales, alii Observantes communiter appellabantur. Qui terminus ex domibus varii generis fratrum Minorum desumebatur, quorum Conventuales loca conventualia et sectatores strictioris observantiae in principio nonnisi residentias minores atque eremitoria habebant. Fratres Praedicatores sive traditionales sive instauratores conventus pro more constitutionali implebant absque introductione domorum specialium. In ca-

pitulo generali anni 1428 fratres observantiae severiori addicti « recollecti » vocantur[7].

Duas factiones unusquisque ordo religiosus, praesertim ordines Mendicantium tunc habebant. Quae Holzapfel[8] pro ordine Minorum de hac re exponit, ad res nostras illustrandas transumere nobis liceat: « Utriusque factionis [Conventualium et Observantium] origo pertingit usque ad saeculum XIV. Quo magis utraque procedebat in suis studiis, eo magis in diversis ordinibus apparebat tendentia reducendi *Conventualitatem* ad *regularem observantiam*. Dominicanis contigit, ut adiuvante Pio V Conventualismum in suo ordine totaliter eradicarent, in ceteris vero religionibus orta sunt schismata, quia sectatores vitae laxioris suas consuetudines in quantum admitti poterant salva vita religiosa, sibi lege confirmari curabant, constituentes hoc modo legitimas quidem, sed ab Observantibus separatas societates. Ab hoc temporis momento differentia specifica inter Conventuales et Observantes ordinis Minoritarum posita erat in relatione eorum ad paupertatem ordinis. Ast in principio, praesertim durante saeculo XIV, differentia inter ipsos non tantummodo relate ad paupertatem vigebat, sed magis relate ad disciplinam ordinis in communi, in qua Conventuales valde remiserant. Hac in re situs erat defectus eorum principalis et simul causa, quare Observantes tam a populo quam a clero maioris aestimarentur. Non tamen omittendum est etiam in numero Conventualium multos fuisse viros egregios, sicut et inter Observantes peiora inveniebantur membra ».

Parva conamina observantiae repristinandae saeculo XIV exeunte duris probationibus comitantibus sub Texier, Astensi, Vincentio Bandelli, Thoma de Vio Caietano victoriam viderunt[9]. Sub Sixto IV dissensus inter factiones duas ordinum religiosorum decisionem pontificiam sollicitarunt, qua et Observantibus et Conventualibus iura describuntur ac roborantur[10].

Praeter instaurationem observantiae regularis aevum nostrum tum actione conciliari, in qua fratres Praedicatores egregia praestiterunt, tum notabili cultu sacrarum scientiarum necnon et fructiferae praedicationis, promotionis rei rosarianae atque eximiis fecundae sanctitatis exemplis pollet. Quibus fit, ut finis medii aevi quoad ordinem Praedicatorum magna ex parte non dilapsum sed potius refloritionem indicet.

§ 11. Regimen ordinis durante schismate occidentali.

Anno 1378 dirum schisma incepit, quod gregem Christi ad annum 1417 et ex parte adhuc ultra divisum tenuit. Urbanus VI Romae 8 aprilis 1378 canonice electus suo charactere et zelo imprudente plures cardinales ita offendit, ut sub protectione regni Neapolitani alium Papam mense septembri eligerent, qui velut Clemens VII Avenione residentiam fixit. Etsi Papa «Romanus» verus Papa exstitit et habendus erat, tamen per assertiones cardinalium oppositorum iura et electio Clementis VII commendata et rata habita a plurimis partibus sunt. Dum nobis ambigua res ex exentu facilior patet, illius aevi homines dubiis gravibus angustiabantur et saepe ante unius vel alterius partis Papae acceptationem diuturna dubitatione haeserunt. Et quidem non una vice tantummodo electio inter Papam Romanum et illum ditionis Avenionensis facienda erat, sed quoties unius obedientiae caput supremum obiit, iterata quaestio agitabatur. Tandem cumulus confusionum in concilio Pisano perfectus fuit, cum tertia obedientia creata sit.

Haec divisio ecclesiastica regiminis nefastum effectum et seqelam sicut apud omnes coetus ecclesiasticos, ita et apud fratres Praedicatores secum duxit. Ad schisma in Ecclesia schisma ordinis secutum est. In capitulo generali 1378 apud Carcassonam celebrato « pro sanctissimo in Christo patre et domino Urbano papa VI quilibet sacerdos tres missas » dicere obligatur[1]. Interea cardinales Urbano VI adversi Nicolaum de S. Saturnino magistrum S. Palatii Parisios mittunt ad regem Franciae et magistros Parisienses edocendos[2], qui antipapae potius favebant. Urbanus VI S. Catharinam Senensem advocatam suae causae adhibens eam litteras illas mirandas de unitate Ecclesiae et validitate electionis Urbani scribere fecit. Et legatos, inter quos Raymundum de Capua, in Galliam perorandae suae rei causa misit. Qui legati de prohibitionibus et obstaculis in eos instructis certiores effecti, Galliam non penetrarunt. Rege Carolo V pro Clemente VII se declarante universitas Parisiensis eamdem obedientiam ecclesiasticam tandem assumpsit. Quod et magister ordinis Praedicatorum fecit[3], pro Clementis agnitione iter cum cardinali de Luna in Aragonia instituens[4].

Neglecto statuto capituli Carcassonensis 1378 quod capitulum generale 1379 Caesaraugustae celebraretur[5], magister Elias suam

adhaesionem ad ditionem Avenionensem iam manifestavit 1379. Schisma per ordinem plene invaluit. Dum in parte obedientiae Avenionensis Elias regere continuavit, in parte Romana Thomas de Bossolasca provincialis Lombardiae superioris vicarius generalis iam 1379 per Urbanum VI institutus apparet. Anno 1380 utraque factio ordinis in comitia generalia congregata est, una Bononiae, alia Lausannae.

Rationem specialem suae adhaesionis ad Clementem VII Lausannenses dare debuerunt et dederunt[6]. Numero fratrum gloriantur, cum quoad quantitatem provinciarum pauciores essent. « Nos fr. Elias magister ordinis Praedicatorum et definitores praesentis generalis capituli Lausannae celebrati... ceterique fratres numero circiter ducenti octaginta denuntiamus fratribus universis, ut non circumveniantur, non moveantur, non seducantur per quemcumque, quod nos habita deliberatione diligenti cum multis in sacra theologia magistris, intendentes et attendentes ac in facto supponentes tamquam veram, seriosam et deliberatam assertionem fere omnium antiquorum et indubitatorum cardinalium, qui post obitum sanctae memoriae domini Gregorii indubitati Papae XI novissime in Urbe defuncti, in partibus Italiae remanserunt, hic Dei gratia exsistentes et habitantes, ad quos noscitur de iure domini Papae electio pertinere, asserentium, referentium et dicentium, ut providerent periculo animarum suarum, prout relatum exstitit medio iuramento per multos nostri ordinis fratres in sacra theologia magistros, se post mortem praedicti Gregorii dominum Robertum S. R. E. cardinalem, verum seu Romanum Summum Pontificem nunc dictum Clementem VII, et non aliquem alium rite et canonice elegisse et recepisse et se ex tunc in hoc perseverasse usque ad praesens». Tali modo electus autem debet pro legitimo Papa haberi et fratribus tenendus et praedicandus imponitur[7]. Lausannenses de toto ordine decernunt, de rebus Oxoniensibus et Coloniensibus sicut de gallicis vel hispanicis ac si nil accidisset. Illi autem, qui « ad anticapitulum generale quod dicitur in Bononia praesumptuose de facto celebrari, accesserunt contemptis litteris praedictis » ab officiis absoluti et ad ea inhabiles et tamquam paenis plectendi declarantur[8].

Ad Papam Romanum steterunt provinciae Romanae, Lombardiae inferioris, Lombardiae superioris, Teutoniae, Saxoniae, Bohemiae, Hungariae, Dalmatiae, Poloniae, Daciae, Angliae, Lusitaniae, Graeciae, Terrae sanctae, fratres observantes Germaniae et

Italiae, fratres Peregrinantes et ordinis Unitorum Armeniae, partim quoque Aragonia et Sicilia. Papis Avenionensibus adhaerebant provinciae Hispaniae, Aragoniae, Tolosona, Provinciae, Franciae, Regni[9].

In ditione Romana discipuli virginis Senensis Raymundus Capuanus et Ioannes Dominici, in parte Avenionensi S. Vincentius Ferrer praecipue clarebant et pro sua respectiva opinione laborabant.

Quaenam confusio obedientiae et regiminis in ordine exorta fuerit, paucis monstretur. E conventibus Aragoniae quidam ad tempus Urbano VI adhaeserunt, donec regia voluntas eos adduxit ad Clementem VII. Conventus Lombardiae superioris duci Sabaudiae subiecti ut Taurinensis et Cheriensis Clementem VII secuti sunt[10]. In ipsa provinciae Tolosanae parte Anglis subdita provincialis Urbanista Vitalis d'Aurissa per magistrum generalem Eliam excommunicatur. Conventus Flandriae primum vicario generali et mox proprio provinciali subduntur[11]. Provincialis Teutoniae « Avenionensis » Petrus de Lauffen paucos conventus ut Friburgensem, qui iuramento obstrictus Clementi adhaesit, dirigebat[12], dum fratres Basileenses et Gebwilrenses quidam Avenionensis factionis per suos fratres Urbanistas e domo eicebantur[13], provincialis Petri de Lauffen camera vi aperta et partim discerpta. Demum magister Elias vehementer impetit in Bartholomaeum scandalosissimum, quo nomine Urbanum Papam, et in Raymundum sceleratum et reprobum, quo titulo magistrum ditionis Romanae designare solebat[14].

Pendente lite ordinis cum universitate Parisiensi magister Elias 1389 obiit, successorem Nicolaum de Troia Apulum habens, qui 1391-1393 Avenionensem partem ordinis gubernabat[15]. Sub magisterio Nicolai Vallisoletani (1394/97) pax cum universitate Parisiensi stipulata est[16]. Ioannes de Puinoix 1399 electus, dum annos vitae 36 ageret, strenue res provinciae Aragoniae schismate provinciali dilaceratae componere debuit[17]. Ad episcopatum Catanensem in Sicilia mense februario anni 1418 promotus Ioannes suum ius magisterii abdicavit († 1431)[18]. Status ordinis in factione Avenionensi peior fuisse videtur quam ille partis Romanae, etiam si negligitur respectus ad instaurationem observantiae regularis, quae per discipulos S. Catharinae Senensis summe promovebatur. Notentur apud Avenionenses deficientia in paupertate et praedicatione, inordinatio mensae communis, lapsus studii et scientiae[19].

Magistro Elia ab Urbano VI discedente, anno 1380 in capitulo generali Bononiensi magister generalis electus est magnus assertor iuris Romani Pontificis Raymundus Capuanus, qui adhuc Ianuae stabat. E regno Neapolitano oriundus, Bononiae studuit, in Tuscia et Romae ordini proficue praefuit et docuit. Confessarius virginis Senensis eius hereditatem spiritualem curavit et coluit[20]. Minime facile viro timorato erat, antagonistam magistri Eliae agere, at omnia pro assertione Urbani et Romani Pontificis etiam legationes ad Gallos et Siculos assumpsit sicut et intrepidus assertor accuratioris disciplinae ordinis exstitit. Licet natura pavidus, Raymundus pro re bona cognita discrimen vel asperum intrepide sustinere non cunctatus est[21], sicut cum provincia Angliae ingratam litem gessit[22]. Per Raymundum stabilis quaedam residentia magistri generalis ordinis apud conventum Minervitanum de Urbe delecta est. Alia manifestatio centralisationis Raymundianae in largitione gratiarum ex potestate generalitia factarum dignoscitur[23]. Tandem Norimbergae sancte Raymundus 1399 obiit.

Eum, patrem observantiae regularis, in magisterio generali Thomas Paccaroni Firmanus (1401/14) secutus est, qui antea provincialis Lombardiae inferioris et procurator generalis erat. Observantibus fratribus non eumdem favorem praebuit ac olim Raymundus[24]. Quo magis se ab Observantibus retraheret, eo tamen non parciorem industriam pro bono ordinis prae se ferebat. Pro vita regulari meliore fratrum et sororum capitula sub eo celebrata etiam quoad clausuram salutaria statuunt[25]. Bona quaedam privata religiosis conceduntur, ea servanda conditione, quod elenchus de his ad manum prioris consignetur[26]. Sicut ipse vir scientiae eminentioris fuit[27], studiorum cultum promovit[28]. Et ad augendum ordinis bonum cura particularis et circa instructionem candidatorum ordinis habendae scholae pro grammatica latina praescribuntur[29]. Papae acceptus magister Thomas plura impetravit[30], e. g. robur apostolicum circa institutionem procuratoris generalis per ordinis magistrum faciendam[31], facultatem ut in capitulis generalibus uni digno laurea magistralis in theologia conferri possit[32], confirmationem tertii ordinis (1405)[33].

Concilio Pisano anno 1409 congregato ordo Praedicatorum in magistro generali et plurimis maioris suis filiis interfuit, Thoma Firmano per Alexandrum V Papam velut magistro ordinis « uniti » confirmato denuntiatisque provincialibus « veris » per singulas provincias constitutis[34]. Determinationes Bononienses anno 1410 factae

auctoritate Alexandri V ita valere declarantur ac si per tria capitula fuissent approbatae sive confirmatae[35]. Non obstante hac unione Ecclesiae Pisana ordo in ditionibus Avenionensi et Romana continuavit. Fratres observantes, discipuli B. Raymundi et B. Ioannis Dominici, semper Urbanum VI, Bonifatium IX, Innocentium VII, Gregorium XII agnoverunt, etiam contra Pisanos[36]. Quare Observantes carceribus, anathemate, expulsionibus affligebantur. Ita in ultimis annis magistri Thomae de Firmo (+ 1414) apud ordinem Praedicatorum sectatores tum Papae Romani tum Papae Avenionensis tum illius Pisani numerabantur.

Cum maior pars ad Pisanam ditionem steterit, Ioannes XXIII speciali bulla viduato ordini de vicario generali providit Leonardum Dati designans. Qui et Ferrariae eodem anno magister generalis electus est[37]. Concilio Constantiensi ipse cum Ioanne de Puinoix magistro generali Avenionensi et Hugolino de Camerino vicario generali Observantium adfuit. Suum officium uniti demum ordinis usque ad obitum (+ 1425) tenuit anno 1419 primo capitulo generali uniti ordinis Friburgi habito[38]. Reformationis opus atque verbum, quod concilium Constantiense pro Ecclesia repetebat, ipse pro ordine suo usurpabat, non quidem ubique reformationem Raymundianam introducens sed regularitatem observantiae ubique fovens et pro posse augens.

§ 12. Origines et normae reformationis Raymundianae.

Opus reformandi disciplinam et observantiam ordinis, quam magister generalis Elias Raymond tentaverat, sed ob bellum centum annorum et schisma ecclesiasticum perficere nequivit[1], B. Raymundus prece et promissione auxilii S. Catharinae Senensis fretus suscepit[2]. Iam anno 1387 in ordine fratres reformati contra non reformatos distinguebantur[3], dum strictior observantia anno 1382 apud moniales Pisanas incoepta fuerat[4]. Visitando ordinis suae ditionis provincias ex Italia ad Hungariam ut praeesset capitulo generali Budensi (1382), ad Germaniam (1384), ad Lombardiam, ad Germaniam (1387), ad Italiam[5], ad Germaniam (1397) profectus est, in qua deinde anno 1399[6] de vita migravit. « Cum dudum ipse suum ordinem visitaret, reperiit inter cetera multos fratres eiusdem ordinis devotionis fervore accensos, desiderantes regularem observantiam per beatum Dominicum et alios antiquos fratres ordinatam

servare ad unguem; qui considerans quod dictorum fratrum desiderium salva conscientia impedire non poterat nec debebat per dilectum filium Conradum de Prussia... in partibus Alemanniae incepit praedictos fratres secundum consuetudinem dicti ordinis congregare et in Columbaria Basilien, dioecesis circa triginta fratres congregavit, quibus idem magister dictum Conradum praeposuit qui constitutiones dicti ordinis integraliter observant cum effectu et adeo praedicationi verbi Dei exemplo dicti beati Dominici virtuose insistunt, quod de tota patria circumstante concurrunt homines ad audiendum doctrinam eorum, quam factis etiam virtuose confirmant ». Ita Bonifatius IX de his testatur, quae in obervantia per magistrum Raymundum instauranda anno 1389 evenerunt[7]. Ex his quoque methodus a Raymundo assumpta apparet. Etenim, ut ipse enarrat, « post longi temporis deliberationem et multiplicem habitam collocutionem cum fratribus magis timentibus Deum, decrevi omnino tam pro inceptione reformationis totalis quam pro satisfactione sancti desiderii fratrum supradictorum, taliter ordinare, quod in qualibet provincia sit ad minus unus conventus, in quo regularis observantia teneatur ad unguem iuxta nostrarum constitutionum tenorem et formam ». De ferventium fratrum consilio et assensu necnon et auctoritate sui officii et potestate ei commissa a capitulo generali Viennensi anni 1388 Raymundus deputationem huiusmodi conventuum saltem 12 fratres alentium in singulis provinciis intra annum faciendam praecepit liberam et imperturbatam huiusmodi fratrum vitam desiderans. Qui autem superiores provinciarum huic praecepto non paruerint, absoluti in paenam et inhabiles ad officia declarabantur. Ordinationes huiusmodi, statuta et mandata auctoritate apostolica Bonifatii IX die 9 inuarii 1391 probata sunt[8], elevata subito ex parte plurium murmuratione contra modum procedendi a magistro generali adhibitum[9].

Raymundus contra has murmurationes cardinali Philippo de Alençonio rationem reddidit[10], Papa bulla diei 1 decembris 1393 et magistro generali epistula diei 16 martii 1395 (ut quaedam documenta citentur) rem reformationis confirmantibus[11].

Intererat Raymundi ante omnia *conventus speciales* pro observanda disciplina accurata statuere. Hoc fecit, ut discrete procederet. Non enim omnes conventus ad reformationem adduci posse scivit, sicut nec cunctos fratres ad severiorem vitae praxim obligavit, licet omnes invitavit[12]. Formatos fratres in hisce conventibus velut grana

ad maiorem fructum percipiendum in aliis conventibus dispergere intendebat, ut sic totus ordo in regulari observantia firmaretur. Insuper ad modum conventuum studiorum generalium, in quibus iuvenes in scientia proficere debent quam postea panderent alibi, ipse ius pro se et fratribus id volentibus vindicabat, ut pro scientia sanctorum, id est ferventioris vitae, conventus speciales erigerentur[13].

Praeterea Raymundus *vicarios* super conventus Observantium constituit, quibus necessaria et sufficiens iurisdictio suffragatur, intacta quidem pertinentia conventuum reformatorum ad provincias respectivae regionis[14]. Cavebat facto sicut et verbo unitatem regiminis, contra calumniantes eum de dividendo ordine licet ordinis imaginem magis per fideles sectatores regulae et constitutionum exprimi dicebat quam per remissos fratres. « Discant ergo [ita ipse] quid sit ordo et quid sit dividere, et tunc disputent de ordinis divisione: nam illi, qui servant ordinem integraliter non possunt dici dividentes vel destruentes; sed illi potius, qui non servant »[15].

Si iudicium de reformatione quaeritur, id eo sensu difficile non est, quod ipsa necessaria fuerit[16], alio sensu autem de eius modo servando opiniones in varias sententias abeunt. Excessus humani zeli imprudentioris et difficultates intrinsecae Observantibus non defuerunt. Raymundus ipse sectatores reformationis non solum ad perseverantiam verum etiam ad humilitatem monet[17]. Sicut fundatio ordinis quondam suum tempus et expansio ordinis tempus aliud exquirebat, ita incoeptio reformationis aliis annis attribuenda est quam eius radicatio et extensio. Et tota epocha reformationis nonnisi intervallum transitionis exsistere debuit ad ordinem vel ex parte vel ex toto suae meliori formae restituendum. Si modi quidam novi in rem reformationis illapsi sunt, ii opus totum non solum non diminuunt, sed potius signum magnae efficientiae intrinsecae et evolutionis administrativae atque adaptationis ad aevum illud exhibent. Dignissime pars reformata ordinis ad labores ordinis ascendit[18], postquam fundamentum interius solide posuit.

Imprimis attente semper ad conditiones illius aevi religiosorum respiciendum est. De contentione duarum rationum vitae agebatur[19]. Apud non reformatos clausura de facto non observabatur. Vel feminis ingressus liber ad cameras notabiliorum membrorum conventus propter horum infirmitates vel de alia causa multum rationabili concedebatur. E contra fratres qui ad vitam observantiae se dederunt, statuta constitutionum accurate et amplexi et exsecuti sunt ad aedi-

ficationem summam fidelium, quibus pulchritudo et austeritas religiosorum iterum efficacissime per hanc observantiam praedicabatur. Excursus extra conventum Observantibus restringebatur nisi de officio religionis vel salutis animarum res erat, prorsus interdicto aditu ad balnea publica. Recollectio et conversatio cum Deo magis Observantes ornare debuit quam gyrovagatio aut dissipatio, per quas non observantes tempus suum et nomen bonum saepissime triverunt.

In initio Raymundus Capuanus suique sequaces praesertim Conradus de Prussia et Ioannes Dominici mendicitatem instaurare cupierunt, quae tamen in saeculo XV amplius non in programmate reformationis inveniebatur. Attamen Observantes omnia communia reputabant secundum regulam et constitutiones, non cognoscentes illas domunculas vel cameras aut reditus et fructus acquisitos personales Conventualium.

Si Observantes quoad substantialia votorum, nempe in clausura regulari et renuntiatione proprietatis privatae, statum decorum repristinant, pariter quoad « caerimonialia » mores antiquos excitare curant. Ad celebrationem officii divini chorali omnes legitime non impediti adesse iterum iuxta leges ordinis tenebantur. Custodia silentii, cuius notio et praxis apud fratres et moniales in desuetudinem venerat, sicut ieiunium et asbtintiae praescriptiones apud Observantes praxi denuo mandabantur. Neque excludebant Observantes legem dispensationis cum totam legislationem ordinis implere intenderent. Ipse B. Raymundus a ieiunio eximere se debuit[20], sicut postea conventus S. Marci Florentini[21] aliique[22] de possessionibus in communi retentis dispensati sunt. Reformatio spiritu magistri Raymundi incoepta arbitrarias considerationes excludit reditumque ad observantiam totius vitae dominicanae importat[23].

Et demum si crimini Observantibus datur, quod magnos doctores non produxerint et in litteraria industria praecipue theologiae morali, historiographiae, rebus pietatis, libris pietatis et asceticis vacaverint[24], inepta est assertio. Etenim generatim saeculorum XIV et XV scientifica actio potius traditio erat quam creatio novae speculationis[25]. Deinde quemdadmodum fratres Praedicatores saeculi XIII scientias practicas, prout p. Denifle notat[26], magis coluerunt antequam ad speculativas necessitate coacti attigerunt, et in illis semper ex zelo salutis animarum insudaverunt[27], ita etiam Observantes finem studii in salute animarum procuranda iuxta ordinis leges posuerunt. Et — praeter Capreolum — famosissimi doctores

saeculi XV[28] S. Antoninus, Ioannes Nider, Franciscus de Retza, Ioannes Creutzer, Gerhardus de Elten, Petrus Nigri, Conradus Köllin, Petrus Crockaert, Thomas de Vio, sicut plures magistri Lombardi ex parte Observantium prodierunt.

Praedicatores quoque efficacissimi apud Observantes nutriebantur.

§ 13. Progressus reformationis regularis.

Plantandae reformationis B. Raymundus primum in partibus Germaniae et mox etiam in Italia conventus invenit tamquam terras propitias, in quibus novi rami, novi flores et fructus vitae et actionis ordinis Praedicatorum prodirent. Dum de industria et evolutione reformationis regularis apud Germanos indagationes iam publicae luci datae sunt[1], Italorum conatus alio modo, nempe per beatorum figuras innotescunt, qui cultus ecclesiastici confirmatione ornantur. Similis cultus Observantibus Germanis praestitus tempore Lutherano interrumpebatur.

Venerabilis Conradus de Prussia († 1426)[2] e conventu Coloniensi primus vicarius pro primo conventu observantiae, scilicet Columbariensi, in provincia Teutoniae anno 1389 constitutus est[3], renuntiato anno 1390 Ioanne Dominici vicario pro secundo conventu observantiae S. Dominici Venetiarum[4]. In aliis regionibus idea reformationis Raymundianae vivente B. Raymundo non multum extendebatur. Tentamina in Anglia et Hibernia apparent nominatis Guillelmo de Barleton vicario apud Novocastrum, et Nicolao Hil vicario in conventu Pontano[5]. Provinciae Graeciae Thomas Caffarini prior institutus reformationem afferre debuit, at peste infectus ante munus perfectum Venetiis obiit[6]. Ad praecavendas decisiones reformationi et institutioni vicariorum contrarias in capitulo generali Francofurtano die 9 aprilis 1397 litterae apostolicae Bonifatii IX directionem « dilectorum filiorum Conradi de Prussia ac Ioannis Dominici et nonnullorum aliorum ordinis» fratrum confirmantes servandae inculcatae sunt[7].

Conradus conventum fratrum Colombariensem et monasterium vicinum de Schönensteinbach et anno 1396 conventum Norimbergensem reformavit, in capitulo provinciae Teutoniae 1392 denuntiato, quod nullus reformationem impediret[8]. Godefridus de Mengen, vicarius nationis Sueviae fratres per civitatem Constantiensem ad acci-

piendam reformationem transeuntes comiter excepit[9]. Inter magnanimos sectatores observantiae excelluit Ioannes Mülberg, qui Herbipoli successum reportare nequivit. Alia tentamina, ut illa Coloniae instituta, pariter felicem exitum non nacta sunt[10].

Ad conventum observantiae pro Italis Venetiis erectum convolarunt Bartholomaeus de Pisis, Benedictus et Basilius de Florentia, Angelus de Camerino, Franciscus de Urbeveteri, Hieronymus de Trevisio, Ioannes de Ravenna, Petrus de Aquila, Robertus de Venosa, Philippus de Apulia, Hieronymus de Plangno, Ioannes de Durachio, qui episcopatui renuntiavit odore observantiae attractus[11]. Sicut in Germania, et in Italia duodenarius numerus conventualium ad fundandum conventum observantiae saepius notatur[12].

Adductis reformationi conventibus S. Dominici Venetiarum ac Cluginensi et SS. Ioannis et Pauli Venetiano magister generalis Ioannem Dominici vicarium generalem Observantium per Italiam dedit[13], provinciali Romano propensioni reformationis favente[14] et pluribus conventibus Romanis et Lombardis partim ad strictiorem vitam transeuntibus[15].

Defuncto B. Raymundo res Observantium vacillare coepit ex defectu auctoritatis plene eam roborantis. Deposito apostolica decisione Ioanne Dominici ab officio vicarii Observantium anno 1400, post biennium privilegia quoque Observantium tolluntur per Bonifatium IX[16]. Attamen commissarium Observantium esse Ioannem Dominici magister generalis Thomas de Firmo permisit, conventibus Cortonensi et Faesulano, qui anno 1406 per Ioannem Dominici fundatus est[17], observantiae dicatis. De cetero notandum est conventum Faesulanum et postea illum S. Marci Florentiae a Faesulanis anno 1436 erectum[18], cum ab ipsis Observantibus fuerint exstructi, numquam in compagines alicuius provinciae inclusos fuisse[19]. Tempore schismatis Pisani Observantes Gregorio XII dediti Fulginium petierunt e Faesulana domo pulsi, donec per cardinalem Dominici 1418 reducerentur[20], exsistente tunc vicario generali conventuum Observantium Thoma de Regno ex ordinatione et dispositione magistri ordinis Leonardi Dati[21].

Qui quidem post statuta Constantiensia reformationis favorem et iura reformatis apertius tribuebat. Ex normis Raymundianis autem in capitulo generali 1421 formatio ad minus unius conventus observantiae in unaquaque provincia per provincialem erigendi reassumpta est[22], revocatis et cassatis omnibus vicariatibus et auctorita-

tibus extraordinariis regiminis et administrationis per magistrum ordinis cuicumque concessis[23]. Ideo et series vicariorum Observantium per annos circiter decem desideratur[24]. Id non perpendentes quidam gratis asseruerunt, vicarios Observantium fuisse in Germania Franciscum de Retz[25], in Italia centrali Antoninum, in Sicilia Petrum Geremia[26].

Deinde Bartholomaeus Texier in initio sui magisterii praeceptis capitulorum generalium obtemperans provincias reformare voluit ope fratrum Observantium, excluso horum regimine distincto speciali. Ita conventus Bononiensis optimum Conradinum Brixinensem priorem ad strictiorem vitam introducendam recepit[27], Antonino Neapoli assignato[28], Petro Geremia in Sicilia pro digna observantia statuenda destinato[29].

Nisi Thomas de Regno semper vicarius generalis remanserit (usque ad annum 1436)[30], ad institutionem specialium vicariorum magister generalis Texier iterum processisse videtur, postquam anni quidam super edicta praecedentium capitulorum effluxerunt et ipse necessitatem huiusmodi institutionum perspexit.

In Italia Antoninus saltem anno 1437 vicarius magistri Texier, 1439 vero « vicarius in observantia ordinis beati Dominici in civitate Florentina et alibi », tandem 1442 vicarius generalis dicti ordinis citra montes vocatur, Laurentio a Riprafratta interdum Antoninum in vicariatu sequente[31], 1444 caput Observantium in Italia septentrionali Conradus de Asti apparet[32], ab anno 1447 particularis vicarius, reformatorum in provincia Romana (praeter Faesulanos et Marcianos) adest[33]. Demum 1459 congregatio lombardica, 1460 congregatio hollandica, 1493 congregatio Tusciae iuridice fundatae sunt moderationi vicariorum generalium subditae.

In Germania quidem Ioannes Nider vir virtutibus, scientia et religione summe conspicuus aliquando vicarius generalis dicitur[34], forsitan ex prolepsi quadam. Cum autem promotio observantiae in provincia Teutoniae sub magistro Texier saepe praesente (memoretur cura de observantia Basileae radicanda, ex quo observantia totam provinciam invasit)[35] per provincialem Nicolaum Notel (1426/46) et postea per Petrum Wellen (1446/55, 1457/62) perfecta fuerit, 1463 vicarii Observantium pro tribus nationibus unius provinciae Teutoniae conceduntur, anno 1465 electo vicario generali Observantium provinciae Teutoniae ex facultate magistri generali obtenta[36]. Qui vicarius generalis Innocentius Stingelhammer de Vienna exstitit

(† 1473)[37]. Postquam Observantes provinciae Teutoniae 1475 provincialem ex suis partibus eligere potuerunt, Conventualibus ipsius provinciae exinde vicarius generalis deputatus est. Unicum est hoc exemplum provinciae Teutoniae, quae tota ad observantiam 1475 transiit.

Praeter conventum Basileensem alius conventus provinciae Teutoniae centrum magnum reformationis regularis pandendae constituit, nempe ille Viennensis. Qui anno 1434 per fratres Basileenses et Norimbergenses observantiae adductus, sub Leonardo Huntpichler de Valle Brixinensi (Brixental), Iacobo Fabri de Stubach, Innocentio Stingelhammer refloritionem vitae regularis, cultum studiorum actionemque vere dominicianam promeruit. Viennenses reformati deinde suam operam etiam vicinis provinciis Hungariae et Bohemiae contulerunt. Admirantes proceres Hungariae statum conventus Viennensis Leonardum rogarunt, ut Viennenses Hungaris opitularentur. Quod anno 1454 factum est[38]. Iam 1444 Observantes Teutoniae duce Iacobo Rieher e conventu Basileensi ab Eugenio IV ad Hungariam destinati fuerant[39]. Discedente Leonardo ab Hungaria Iacobus Rieher iterum eo vocatur, anno 1457 titulo vicarii generalis conventuum reformatorum Hungariae decoratus moxque ad episcopatum in Valachia promotus[40].

In provincia Dalmatiae 1475 particularis vicarius conventuum duorum reformatorum a congregatione lombardica solutorum exstitisse notatur[41].

In vastatis ex bello hussitico ditionibus Bohemiae et Moraviae provincia ruinae proxima curis Viennensium fratrum partim Brunnae, Budovici, Olomuci reformata est. Anno 1487 per breve intervallum conventus quidam provinciae Teutoniae in austriaca portione siti sub provinciali Bohemiae constituti sunt[42]. Provincia Poloniae satis dilapsa a magistro Texier subsidia et adiutores petivit, qui conventum Wratislaviensem exemplarem designavit[43], re reformationis anno 1484 amplius pressa[44].

In partibus provinciae Daciae et vitalitas quidem et varii fratres pietate eximia illustres tunc fuisse perhibentur, at nihil de speciali reformatione compertum nobis est[45].

Pro Scotia ad instantiam regis a capitulo generali anni 1468 Andreae de Oroden reformatio conventuum committitur[46].

Hiberni fratres reformati circa annum 1500 specialiter congregati exstiterunt[47].

In Gallia conventus quidam provinciae Franciae ad congregationem hollandicam uniti sunt, dum Lugdunensis conventus pugnam fratrum inobedientium contra sectatores vitae regulares vidit, ut in actis capituli generalis 1434 apparet[48]. Montis Acuti (Montaigu-en-Laye) pariter fratres observantiae se fixerunt[49] et probabilius etiam Castris[50].

Per provinciam Tolosanam praeter rixas ordinum Mendicantium inter se aliae causae ruinarum aderant, quae reformationem imponere videbantur. Magister Texier, qui velut provincialis huic ditioni aliquando praeerat, collaboratorem observantiae ibi Andream Abellon nactus est, vita regulari in conventibus Arelatensi, Massiliensi, Aquensi restaurata[51].

In Hispania Alvarus «Zamorensis» alias Cordubensis († 1430)[52] anno 1423 prope Cordubensem civitatem conventum observantiae Scalae Dei nuncupatum fundavit, eum religiosis e tota paeninsula attractis replens. In hoc conventu stationes viae crucis erexit[53]. 1427 prior maior reformatorum in Castella a Papa nominatur, cum iure successores per electionem reformatorum habendi[54]. Observantibus Aragoniae magister Texier 1440 vicarium generalem[55] praefecit. Reformator provinciae Aragoniae Stephanus Salmantinus fuisse perhibetur[56]. Observantiae conventum Beneficensem apud Lusitanos instaurandum doctus et pius Vincentius Lisbonensis confessarius regis ex huius beneficiis anno 1399 curavit[57].

His partibus ordinis in re observantiae modo generali inspectis relevetur id, quod quo magis vita reformata in ordine radices fixit, eo magis unitas ordinis se expressit, absque legali particularismo observantium[58] et reformatis ad solutionem integram contributionum antiquarum ordinis adstrictis[59]. Libri registraturae generalis ordinis per secretarios magistrorum conscripti, prout adsunt, nonnisi ab anno 1520[60] congregationes speciales distinguere solent extra compagines provinciarum constitutas, dum usque ad illum annum non solum congregationes reformatorum in provinciis exsistentes sub his provinciis registrantur sed etiam congregationes maiore independentia fruentes ut lombardica, hollandica, Tusciae sub antiquis ditionibus ordinis, quibus iuxta regionem cohaerent, afferuntur.

§ 14. A magistro Texier ad mortem magistri Auribelli.

Ad quem vicariatus ordinis defuncto magistro Leonardo Dati de iure spectaret, non patet. Martinus V ordini prospiciens, vicarium sua auctoritate instituit Thomam de Regno, qui erat moderator observantium fratrum Italiae. Sicut iam in electione anni 1401 ita nunc pariter numerus eligentium incompletus per pontificiam concessionem auctus est[1]. Assignatis comitiis generalibus Bononiae anno 1426 in duas partes electores abierunt, istis Thomam de Regno, illis Ludovicum Vallisoletanum volentibus. Ex mandato electorum constitutionalium ille magister ordinis haberetur, quem hi fratres magni concorditer designarent[2]. Qui Bartholomaeus Texier fuit, cuius mores religiosi et zelus praedicandi et ordinis innotuerant. Tempore suae elevationis ad magisterium generale Praedicatorum ipse Provinciam praedicando circumcursavit, et quidem cum ob sanitatem debilem pedes ire nequiret, asino insidens, non equo, itinera sua perfecit. Licet non de Observantium factione processit, in regimine omnia lente, prudenter, fortiter eo direxit, ut observantiam stabiliret et roboraret[3]. In conventu studiorum Bononiensi cuius momentum in saeculo XV maius erat quam antea, priorem Conradinum Brixinensem de observantia instituit[4]. Mox in Germaniam visitaturus proficiscens ibi collaborando cum provinciali Nicolao Notel quaecumque proficua pro observantia probavit vel introduxit[5]. Visitando gallicas et italicas partes atque iterum germanicas ubique exemplum vitae factus et curam ordinis, etsi in quaestionibus conciliaribus occupatus, numquam dimittens necessitate temporis et fratrum indigentia constrictus a Martino V impetravit[6], « ut posset cum conventibus dispensare super retentione possessionum et redituum annalium, ex quo eleemosynae deficiebant ». Res notatu digna utpote ab exemplari viro petita. Utique tempora seu potius conditiones acquirendi necessariam sustentationem in saeculo XV alia erant atque in saeculo XIII. Ultimo vitae tempore in Gallia remanens magno comitatu Lugdunensium magister Texier 1449 sepultus est. « Claruit autem miraculis in vita pariter et in morte » narrat de eo Taegius[7].

Magistrum Texier fautorem regularis vitae tres Galli in moderando ordine secuti sunt, quorum saltem duo intimi collaboratores eius fuerant[8].

Petrus Rochin, observantiae addictus, eximius professor et 1426 regens Bononiensis, virtutibus et in rebus expediendis excellens 1450 magister generalis electus est, quod officium per 25 dies tenuit[9].

Exstitit tunc temporis procurator generalis ab anno 1449 Guido Flamochetti e provincia Franciae, qui cum magistro Rochin Romam ire debuit. Post cuius mortem solus eo profectus a Papa invitis Hispanis, quibus ut videtur ius vicariatus illa occasione competebat, vicarius ordinis constitutus et in electione capituli Romani 1451 magister generalis factus est. Fuit primum capitulum generale fratrum Praedicatorum, quod in civitate S. Petri tunc per Pontifices fastosos recta, actum est et vere celebratum. Dum Observantes de tali viro electo laetabantur, omnis ordo eius obitum post menses quinque regiminis deploravit.

Vicariatus ordinis provinciali Romano contigit, qui per patres Nannetis congregatos ad magisterium non delectus est, quia eius merita in terra tam distanti non innotuerant, ut chronista Italus notat. Vota Martialem Auribelli (1453/62, 1465/73) signarunt. Studiis eximius, prudenti administratione tum conventuali tum provinciarum Provinciae et Franciae commendatus[10]. Forsitan quia permittere noluit, ut aliqua congregatio ordinis specialem ditionem satis independentem a ramo ordinis formaret, quod Thomas de Leuco cum suis Lombardis a Summo Pontifice impetraverat, Pius II magistrum Auribelli deposuit[11]. Senis, ubi Martialis Auribelli ad obedientiam Papae resignavit, mense augusto 1462 Conradus Astensis e congregatione Lombardorum ad magisterium generale evehitur[12]. Zelo multo et mediis fortibus utens hic tali modo in triennio sui gubernii ordinem rexit, ut Martialis anno 1465 reelectus de fracta ordinis pace et extinctis legibus, repulsis patrum consiliis, de incremento sectarum internarum, de substitutione meliorum provincialium per violentas electiones nuntium dederit[13]. Conradus quidem sancte in conventu Astensi diem ultimum 1470 obiit[14]. Iuliano Naldi, qui velut procurator generalis Lombardis favebat, paena gravissimae culpae a capitulo generali Romano anni 1468 inflicta est. Etsi hoc capitulum acephalum propter absentiam magistri ordinis fuerit, tamen paena in Iulianum per regulare capitulum generale Avenionense anni 1470 probatur[15]. Cum regimine Martialis Auribelli canonizationes Vincentii Ferrer[16] et Catharinae Senensis[17] et processus rehabilitationis famae Ioannae virginis dictae Aurelianensis[18] connectuntur. Etiam studia reformationis in pluribus regionibus ordinis sub magistro Auribelli

feliciter continuabant[19]. Memoria Martialis Auribelli († 1473) ab aliquibus pressa[20], non absque ambiguitate in historia manebit[21].

§ 15. Magistri generales (1474-1507).

Ex generalatu Leonardi de Mansuetis Perusini novum tempus statuere varias ob causas internas licet. Vir ille doctus, qui non solum per multos conventus lectorem egit, verum etiam post provinciam Romanam rectam ad magisterium S. Palatii vocatus est, et religionis custos inter annos 1474/80 munus gubernii supremi fratrum Praedicatorum gessit[1]. Postquam fratres Minores a Sixto IV anno 1472 relaxationem paupertatis obtinuerant[2], die 1 iulii 1475 idem Pontifex abolitionem mendicitatis pro ordine Praedicatorum ad petitionem magistri Leonardi concessit[3]. Quod factum magnum est aeram novam inaugurans. Vi huius dispositionis status fundamentalis fratrum Praedicatorum per respectum ad paupertatem de iure innovatus est, iure exinde factis conformato. Ex tunc quicumque conventus ordinis ius possidendi et actus proprietarii perficiendi habebat. Fratres mendicare adhuc libere poterant, sed eis insuper res accumulare pro diebus futuris licebat. Si iam magister generalis Texier ab Eugenio IV licentiam obtinuit dispensandi conventus singulos ut possessiones bonorum et redituum habere possent, nunc sub magistro de Mansuetis ius absolutum a Papa ordini recipiendi bona et possessiones factum est. Haud incongruum videtur rationes huius concessionis allatas ex ipsa bulla[4] excerpere: « licet in dicto ordine in quo magna eruditissimorum virorum habetur multitudo, benedicente Domino novi palmites succrescant in dies et fratrum Praedicatorum numerus ubilibet augeatur et in futurum propter exemplarem vitam et ipsorum sanctimoniam augeri posse speretur, tamen propter eorum paupertatem ac temporum sinistros eventus ac crebras afflictiones partium diversarum tum etiam quia tepescit caritas multorum et eleemosynae, ex quibus sustentari consueverant, atque alia pia subsidia adeo in plerisque locis diminuta sunt quod ipsis fratribus et eorum domibus multa eis necessaria saepe deficiunt et tam ipsi quam domus et loca ipsorum indigentia plerumque nimia comprimuntur. Et sicut didicimus si eisdem fratribus vel eorum domibus, quod in communi proprios reditus et proventus habere illosque perpetuo retinere possent concederetur, nonnulli Christifideles saepenumero reperirentur, qui eisdem domibus et fratribus in eis

pro tempore commorantibus ob singularem devotionem quam ad ordinem gerunt antedictum possessiones, domos, census et alia bona immobilia testamentaria dispositione relinquerent vel etiam in vita donarent, quae res cederet in magnam dictorum fratrum subventionem et ipsi exinde studiis commodius vacare et cultui divino ardentius intendere valerent... Generali praedicto ac prioribus et fratribus domorum dicti ordinis praesentibus et futuris quod possessiones, domos, census et alia immobilia bona eis et ipsorum domibus praedictis pia fidelium largitione inter vivos vel causa mortis donata aut testamentaria dispositione largita vel alias relicta et quae eis pro tempore donari relinqui seu legari contigerit pro subsidio studentium et aliorum eis incumbentium onerum supportatione, in communi et non aliter retinere ac illa per deputandos ab eis administrare libere et licite valeant auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac regularibus institutis dicti ordinis, quodque ipsi Mendicantes nuncupentur et sint ac ex incerta mendicitate iuxta illas vivere debeant ». Per breve Sixtus IV declaravit « ut de pecuniis fratribus et domibus nostris collatis bona stabilia per nos emi possint ». Bullam et breve Sixti IV[4] grato animo in ordine toto et in capitulo generali Perusino 1478 agnoscuntur[5]. Insuper idem Papa et mare magnum, quod bulla « aurea » nuncupatur ob pondus gratiarum, ordinibus Praedicatorum et Minorum tribuit[6]. Bullam auream nimis Mendicantibus faventem nocivam potius quam utilem fuisse aliqui putant[7].

Ex magisterio Salvi Casetta Siculi (1481/83)[8] notandae sunt visitatio conventuum et monasteriorum Germaniae et missio pontificio iussu ibidem implenda, et prima documenta generalitia de rosario eiusque propagatione. Antequam Casetta urbem reliquit, ordini de superiore providens non vicarium instituit, sed fratribus et sororibus notificavit, cardinalem protectorem Oliverium Carafa pro suo quidem in ordinem amore gubernium suscipere durante absentia magistri[9]. Qua potestate tali modo translata non solum extranei rei ordinis praefuerunt, sed etiam porta ad immixtiones qualescumque latissime patuit. Ineunte augusto 1482 magister Casetta profectus est Venetias, inde Aenipontem, Basileam, Coloniam ubi insimul cum magistris universitatis et magno confluxu fidelium corpus B. Alberti elevavit[10].

Etiam contra monstruosum illum Andream Zamometic O.P., Crainensem archiepiscopum dictum, qui 1482 Basileae concilium proclamavit, praedicare fecit[11].

Romam reversus vix relationem Papae dare valuit, cum die 15 septembris obierit[12].

Eius successor ad propositionem cardinalis protectoris anno 1484 electus est, nempe Bartholomaeus Comazio vicarius congregationis lombardicae. Timor Conventualium, qui maxime in Italia ab opinione virorum cultiorum et Humanismo addictorum iuvabantur, de ordine totaliter reformationi tradendo sub magistro Bartholomaeo non veraficabatur, cum morte praeventus 1485 ipse nil maius susceperit[13]. Immixtione cardinalis protectoris capitulum generale proximum anno 1486 Parisiis indictum Venetias translatum et dignissimus Iacobus Fabri de Stubach e conventu Viennensi vicarius generalis institutus est[14]. Electus ordinis magister Barnabas Sansoni (Sassone) Neapolitanus post mensem Venetiis iam fatis abreptus est[15], Venetiis anno 1487 in supremo gubernio ordinis ei Ioachim Torriani († 1500) suffecto. Qui septuagenarius, scientiae et litteris clarus, Observantibus satis alienus, bis provincialatum Lombardiae inferioris gesserat. Peractis Italiae regionum visitationibus ad capitulum generale Cenomanos contendit. Eius generalatus ex vicissitudinibus cum Hieronymo Savonarola huiusque congregatione Tusciae habitis memorandum exsistit[16].

Vehementiore spiritu, quem in se gerebat, magister generalis Vincentius Bandelli (1501/06)[17] ordinem animabat et studia bonae disciplinae et vitae necnon et scientiarum valde promovit. Caietanum religiosum doctissimum et austerum procuratorem generalem constituit. Vitam privatam impugnavit. Extensas visitationes per provincias Italiae, Galliae et Hispaniae instituens observantiam et scientiam auxit, praesertim Hispanos ad magnum aemulationem doctrinalem impellendo[18]. Sub eo editiones constitutionum Mediolani 1505 et 1506 typis impressae sunt[19].

Alius ex congregatione Observantium et quidem hollandica frater anno 1507 magister generalis designatus est Ioannes Clerée, qui antea conventum Parisiensem reformaverat, certe opus haud spernendum, et Ludovico XII a confessionibus fuerat. Cuius regis nutu Papiae in magisterium Ioannes Clerée electus est. Ex paucis eius ordinationibus (praefuit ordini per duos menses) illa de non admit-

cendis in ordinem Maranis i. e. christianis iudaicae originis relevetur[20].

His viris, qui magis et magis ex strictiore vita in regimen ordinis totius adsciti sunt, aspiratio ordinis optime apparet, qui interna vi et vehementia actionem animabus et Ecclesiae utilem producens suae exsistentiae rationem in aevo medio exeunte plene probavit.

II. Constitutio ordinis.

Si quis efficaciam fratrum Praedicatorum inter ordines religiosos tempore medii aevi saluti animarum colentes eruere vult, nonnisi studio constitutionis ordinis vacare debet. Simul S. Dominicum spiritum res et aptitudines mire perspicientem inveniet et eius ordinem perfecte dispositum non in angustiis parvarum dimensionum, sed in lineamentis magnitudinis et fortitudinis. Et haec claritas constitutionis per B. Iordanum et primos fratres exculta et conscripta ordini Praedicatorum illum successum tribuit, quem fundator in quatuor supremis annis vitae suo instituto excitare solus nequivit. Dum apud fratres Minores persona fundatoris ante omnia dirigit, in opere S. Dominici idea praeest. Fratres Praedicatores in modis ordinum canonicorum incipientes sed hunc modum noviter angentes[1] ex magis ponderata paupertate et universaliore actione praeter et saepissime ante fratres Minores formatores novorum auxiliorum Ecclesiae devenerunt, qui quam maxime in saeculo XIII servitia et officia summi momenti pro bono christianitatis explere debebant. His ordinibus mendicantibus apostolicis Sedes Apostolica utebatur in solvendis negotiis maioris momenti. De foedere loqui solent quidam inter papatum illius aevi et fratres mendicantes inito, postquam ordines monastici non amplius illam actionem praepotentem in vita publica Ecclesiae exseruerunt[2]. Imo foedus hoc inter papatum et Mendicantes ad faustissimas gratias hos ordines adduxit, dum iis exemptio ab episcopali iurisdictione concederetur. Antea quidem exemptio aderat, at potius pro una domo. Nunc autem exemptio ordinum ipsorum vigere incipit[3].

Ut ordo Praedicatorum quoad dispositionem regiminis et formationis tum personarum tum domorum per singulas partes sub hoc capite constitutionis inspiciatur, et momentum, quod efficaciam ac-

tionis potentissimae ordinis in saeculo primo suae exsistentiae ac postea probat, et claritas, sobrietas atque ars gubernandi, quae in legibus et gubernio ordinis includuntur, commendant. Neque exinde deerat progressus in inveniendis specialibus statutis, si quae temporum ratio nova exigebat. An autem huiusmodi progessus semper in favorem constitutionis primitivae ordinis cessaverit, alia est quaestio. Videtur enim ,quod ordo, si iuxta tenorem suae originalis constitutionis regitur, omnia plene possidet, quae ad efficaciam summam obtinendam requiruntur.

§ 16. Magister generalis eiusque vices gerentes.

Inter superiores ordinis summum locum obtinet magister generalis. Dominicus ipse, dum suum institutum fundavit et gubernavit, prior primum S. Romani Tolosani et postea prior ordinis vocatus est[1]. In capitulo generali anni 1221 huiusmodi titulus in alium magistri ordinis mutatus apparet. Vox *magistri* ex legislatione ordinum militarium sumpta est, qui pro ordinanda secunda distinctione constitutionum ordinis Praedicatorum magna ex parte inspiciebantur[2]. Dum in lingua curiae Romanae per aliquod tempus designationes prioris ordinis et magistri ordinis promiscue pro capite fratrum Praedicatorum adhibebantur[3] et in constitutionibus etiam Raymundianis nonnisi de magistro ordinis sermo fit[4], anno 1233 Gregorius IX Iordanum nominat magistrum *generalem*[5]. In qua nomenclatura exprimitur (iuxta similem modum loquendi studiorum generalium, praedicatorum generalium) magistrum ordinis esse magistrum pro omnibus. Magistri *totius* ordinis appellatio tempore Raymundi Capuani oritur[6]. In appellatione magistri appositio venerabilis[7] vel reverendi[8] addi solebat. De Raymundo Capuano notat Fontana[9] quod fuit « primus nomine *reverendissimi* salutatus, cum prius venerabilis esset consuetus titulus magistrorum ordinis ».

Magister ordinis per capitulum generale eligitur, a quo potestatem suam obtinet nullius indigens confirmatione. Designatus magister officium refutare potuit, sicut Raymundus de Pennafort exemplo est. Ex eo autem, quod electores instantias ad acceptandam electionem fecerunt, eruitur, electores tunc initium magisterii generalis Raymundi a tempore eius acceptationis sive consensus censuisse. Duratio officii ad vitam erat, nisi aliquis muneri renuntiare disposuit, vel ab eo remotus fuit. Inter magistros ge-

nerales novem, qui in saeculo XIII ordini praeerant, quinque in munere obierunt. Tres alii Raymundus, Humbertus, Munio absoluti sunt, primus quidem ad eius petitionem, alter probabiliter etiam ad petitionem propriam, tertius contra voluntatem ordinis ex auctoritate pontificia, quemadmodum postea Martialis Auribelli. Nicolaus Boccasini officium deposuit, cum ad cardinalatum assumptus fuerit. Similiter, cum ad principatus ecclesiasticos promoverentur, alii magistri generales magisterium ordinis deposuerunt, ut Berengarius de Landore, Simon Lingoniensis, Ioannes de Puinoix. Si capitula generalia in saeculo XIII et saeculo XIV (addatur casus Aymerici Placentini 1311) renuntiationes magistrorum acceperunt[10], in saeculo XV idem evenit dimittente officium Conrado Astensi ante electionem iteratam Martialis Auribelli.

Munus et potestas magistri ordinis « est de toto ordine sibi commisso gerere assiduam sollicitudinem. Fratres praesentes verbis, absentes vero litteris promovere debet », et curare quod provinciae bonos provinciales habeant, se gratum ostendere fratribus qui laudabiliter et fructuose pro ordine laborant, « maiorum fratrum excessus viriliter corrigere, minoribus tamen se talem exhibere quod ad eum non timeant accedere », « apostatis et eiectis ad se confugientibus audientiam praebere ipsisque auditis... quod visum fuerit expedire », curiam Romanam temporibus opportunis visitare, praelatos quoque per quorum dioeceses transit, salutare, in terminatione capituli generalis terminum praefigere potest, infra quem fratres redeant, « si timetur de mora fratrum et domus gravamine ». « Denuntiare quoque (debet) quo proponat iter dirigere, ut sciant ubique fratres ubi poterit inveniri, si eo indiguerint ». « Licet autem magister habeat plenam et generalem potestatem in ordine, tamen numquam est ei utendum huiusmodi potestate ubi causa rationabilis non occurrerit. Officia inferiorum non debet sibi assumere libenter, nisi causa urgente. Licentias, quae per alios expediri possunt, raro dare debet... Circa dispensationes et licentias quae sibi reservantur, ut de studio in liberalibus artibus, de eundo ad curiam vel quae non consueverunt fieri per aliquem de facili, ut de ingressu mulierum in claustrum et similia, talem mediocritatem tenere debet, quod propter nimiam eius duritiam circa haec maior fructus non impediatur... et rursus, ne ex nimia facilitate periculosa dissolutio in ordinem inducatur »[11]. Omnia potest in toto ordine et super fratres omnes, quae provincialis super suam ditionem et personas sibi subiectas potest[12]. Insuper magi-

stro soli quaedam reservantur, e. g. licentiam dare illegitime nato, qui ad ordinem receptus et dispensatus fuit quod possit fieri prior, ut talis insuper definitor capituli generalis, aut provincialis, aut praedicator generalis aut elector magistri ordinis fiat. Apostatae unius provinciae in aliam recipi absque eius voluntate non possunt. Delinquentes praedicatores generales, conspiratores, apostatas ipse tantummodo ad officia obeunda capaces iterum reddit. Confirmat priores provinciales, instituit procuratorem generalem, indicat de tenendo capitulo generalissimo[13]. Magistro vel vicario ordinis potestas fit assignandi alibi ac statutum fuit proximum generale capitulum[14]. Haec vere generalis potestas super omnes fratres in formula professionis exprimitur, cum novitii ei personaliter vel alteri loco sui obedientiam spondeant[15].

Tanta potestas magistri per capitula generalia temperatur. Magister quidem praeest sessionibus capitularibus, dirigit discussiones, explanat rationes praecedentium coetuum circa inchoationes et approbationes factas atque efficiendas confirmationes. Minime vero ei viam et deliberationes praescribere licet. Votum unum solum tenet. Imo ipse rationem capitulo reddere et respondere debet, quod eum pro datis casibus punire vel amovere potest. Id quidem cautela maxima et diligentissima adhibita fieri debet[16]. « Et non deponatur nisi pro haeresi vel pro alio criminali peccato, quod non possit sine magno scandalo ordinis tolerari »[17].

Ex immediata actione curiae Romanae in res ordinis aliquando institutiones vicarii ordinis per Summum Pontificem factae sunt.

Ex alia parte magister ordinis velut mandatarius votorum capituli generalis saepe notatur, sive agitur de officio divino componendo[18], sive de providendo studiis pro generali utilitate ordinis[19], sive de sensu constitutionum declarando[20].

Quoad vitam et modum se habendi magistri ordinis non solum Humbertus de Romans, verum etiam capitula generalia normas et hortamenta dederunt. « Non convenit magistro libenter se absentare a divinis officiis et maxime a completorio ». « Cum autem camera sit ei concessa propter certas utilitates ordinis, attendendum est ei ne redundet in damnum ordinis talis concessio ». In itinere pie se habeat. In conventibus sermonem vel collationes vel admonitiones faciat et capitulum teneat. « Fratres omnes advenientes, nisi sit certum quod inordinate vadant, cum laeto vultu et ad osculum pacis semper recipere debet »[21]. Aliquis socius conversus magistrum comitatur ad

procurandum ei de vestibus et usui necessariis et ad portandum sigillum[22]. Residentiam fixam enim magister ordinis non semper habuit. S. Dominicus quidem Bononiae praesertim degebat[23].

Sub Raymundo Capuano conventus Minervitanus de Urbe velut residentia ordinaria magistri generalis considerari coepit[24].

Sigillum magistri ordinis ex tempore Iordani adhibitum est[25]. Anno 1240 cavetur, ne quis excepto magistro ordinis in sigillo suo faciat fieri crucifixum[26]. Quae forma sigilli sub Ioanne Teutonico, Ioanne Vercellensi, Raymundo Capuano, Bartholomaeo Texier invenitur[27] et communis pro magistro fratrum Praedicatorum reputatur.

Vacante magisterio generali vices gerunt varii iuxta determinationes constitutionales. Mortuo vel amoto magistro ordinis « priores dictarum provinciarum in omnibus quousque magister fuerit electus, plenariam ipsius obtineant potestatem et eis omnes tamquam magistro teneantur obedire ». Tres fratres antiquiores inter electores pro illa occasione pariter provincialium confirmationem exercent[28]. Budae 1254 inchoatum, Mediolani 1255, approbatum, Parisiis autem 1256 non confirmatum est, quod mortuo vel remoto magistro « prior provincialis in cuius provincia praecedens capitulum proximo fuerit celebratum vicem magistri obtineat quousque magister sit electus »[29], dum autem in capitulis generalibus annorm 1274, 1275, 1276 constitutio evasit, quod mortuo vel remoto magistro « prior illius provinciae ubi sequens capitulum fuerit celebrandum vices magistri in omnibus obtineat. Si autem illa provincia tunc priorem provincialem non habuerit vel infra tempus suae vicariae eum mori vel amoveri contigerit, prior provincialis illius provinciae ubi immediate praecedens capitulum generale fuerat celebratum vices obtineat supradictas et sic deinceps retrocedendo »[30].

§ 17. Socii magistri ordinis. Procurator generalis.

Ex lege religiosa habendi socium in via ipse primus ordinis moderator S. Dominicus et magistri generales cum sociorum comitatu itinera sua perfecerunt[1]. Notiores S. Dominici viae socii Bertrandus de Garriga, Guillelmus de Monteferrato[2], Matthaeus de Francia alique[3] fuerunt, dum Iordanus Gerardum, Conradum, Henricum, Ioannem, Bernardum[4] socios plerumque habuit sed etiam aliquando Bertrandum de Garriga. Pro sociis suis preces a B. Diana effundendas

postulat[5]. Ioannis Teutonici diu socius exstitit Hermannus de Havelberg qui magistrum in visitatione decem provinciarum comitatus est[6]. Aegidius de Vaozela unus e sociis magistri Humberti fuisse traditur[7].

De ratione officii huiusmodi sociorum, qui a magistro eliguntur, Humbertus haec refert: sint « Deum timentes, ordinis zelatores, discretione pollentes, religiosae et amabilis conversationis, corpore potentes, qui et inter fratres se sicut unus ceterorum gerentes, nihil in hoc officio quaerant, nisi solam ordinis utilitatem ». Sunt velut memoriae et monitores magistri, pacificatores fratrum « quos turbatos viderint occasione repulsarum petitionum vel alia de causa erga magistrum ». « Horum unus debet esse conversus, cuius erit officium speciale custodire sigillum, sigillare litteras... libros magistri et vestes aliquas... portare in via et circa necessitates eius corporales sollicitudinem gerere. Alius debet esse notarius competens, qui magis debet laborare ad notandum sententiose et breviter quam ad ornatum verba multiplicare... Litteras de beneficiis et alias, quae committuntur aliis scribendae vel faciendae, ante sigillationem debet inspicere, ut videatur si sint debito modo formatae et scriptae. Potest [magister] etiam praeter istos, si sibi visum fuerit, tertium assumere socium, virum consilii et litterarum, cum quo possit habere consilium... et in iis quibus sibi studendum est etiam ipsum adiutorium habere »[8].

Bartholomaeus de Faventia[9] et Laurentius Blundi de Tuderto[10] celebrati socii magistri Ioannis Vercellensis erant. E sequentibus Guido Flamochetti a magistro Texier socius adscitus fuit eique mediate quidem in magisterio supremo successit[11]. Dominicus Spadafora per magistrum Torriani in socium assumptus[12] beatorum cultu postmodum distinctus est. In saeculo XV socii magistri ordinis iam haud exiguum influxum ac momentum in rebus administrandis nanciscebantur[13].

Si sociorum vel alicuius secretarii generalis[14] erat tum litteras iussu magistri ordinis scribere tum sigillum custodire, non minus ad eorum munus spectabat, registraturam ordinis sive generalem perficere. De qua ex altera medietate saeculi XIV aut notitia aut liber ipse registraturae adest. Loquitur enim Elias Raymond[15] anno 1368 de aliquibus fratrum subreptitiis litteris, « de quibus nulla mentio in registro ordinis et in eis signetum minime apparet, ut est moris ». Et de Raymundo Capuano pars registri annorum 1386/99, non quidem in originali, sed in copia anni 1752 servatur[16]. Registra pro annis

1400/74 dispersa esse videntur, dum ab anno 1474 quodammodo regulariter currunt usque hodie[17].

Ab ipsis ordinis initiis negotia in curia Romana pertractanda erant. S. Dominicus eiusque successores personali praesentia instanter iura et privilegia ordinis roboranda vel obtinenda sollicitarunt[18]. Elapsis autem paucis decenniis specialis officialis sicut apud alios ordines[19] ita apud fratres Praedicatores nomine *procuratoris* ordinis apparet. Parisiis 1256 haec admonitio notatur: «Quicumque de cetero habebit facere in curia, provideat procuratori de expensis necessariis ad negotium illud »[20]. Anno 1257 communicantur memorialia fratris Troiani procuratoris ordinis ad magistrum[21]. 1267 vero admonentur fratres , qui mittuntur ad curiam vel ibidem morantur, ut non de aliis ac suis negotiis vel pertinentibus ad ordinem « et secundum consilium et assensum procuratoris ordinis generalis » se intromittant[22]. Muneri procuratoris iam dignitate et momento aucto gratiae adnectuntur, cum suffragiis particularibus ditetur « si in procurationis officio decesserit »[23]. Ex Humberto patet[24], quod a magistro ordinis costituendus est semper aliquis frater in curia litteratus, discretus et zelator ordinis, honestae et amabilis conversationis inter saeculares, firmus in amore status ordinis et personatus, qui sit ibidem generalis ordinis procurator... Cui etiam committenda est potestas super apostatas ordinis et super fratres ad curiam inordinate venientes et etiam super illos qui ordinate veniunt, ut cum consilio suo procedant et circa alia quaedam, prout visum fuerit, expedire. De expensis vero ei necessariis debet cum definitoribus generalis capituli vel per se, quod expedierit ordinare ». Etsi procurator in curia Romana non sit superior regularis, tamen tum ex usu tum interdum ex speciali mandato capitulorum generalium fratres quos « in dicta curia repererit insolentes seu vagantes indebite contra ordinis honestatem vel ibidem sine iusto et rationabili titulo exsistentes », debite punire et ad ordinis disciplinam reducere debet[25].

Procurator generalis primus Troianus de Regno provincialis Romanus exstitit, quem fratres ex provincia Romana vel tempore Avenionensi ex provinciis gallicis aut Aragoniae secuti sunt. Eylardus de Schönfeld (1398) et Ioannes Stojkovic (1426/33) alias provincias digne repraesentarunt[26]. Benedictus XI statuit, ut procurator ordinis licet a magistro institutus hoc defuncto in officio permaneret, donec alius magister de eo aliter disponeret[27]. Saepius procuratores ordinis vicariatum ordinis vel magisterium generale obtinuerunt[28].

Ad procuratoris generalis officium tractandi negotia cum curia Romana adiunctum fuit munus quodammodo syndici generalis. Expensas pro bullis et concessionibus curialibus solvendas ex provinciis recipere iam in saeculo XIII debuit. Elenchum quemdam contributionum, quae procuratori pro expensis in curia Romana faciendis a singulis provinciis dari statuuntur, capitulum Venetiis anno 1325 celebratum exhibet[29], postea libris contributionum institutis[30]. Quarum solutio in Kalendis ianuariis incipienda et pridie Kalendis ianuariis proxime futuris finienda erat[31].

§ 18. Capitulum generale. Capitulum generalissimum.

Usus ordinum regularium celebrandi capitula generalia maxime per monachos Cistercienses promotus atque a concilio Lateranensi IV laudatus est[1]. Si S. Dominicus iam anno 1216, dum de electione alicuius regulae et institutionum approbatarum agebatur, vota sociorum fratrum et audiverat et consideraverat[2], si ei anno 1220 placuit « quod definitores constituerentur in capitulo, qui haberent plenam potestatem super totum ordinem et super ipso magistro et ipsis definitoribus, scilicet definiendi, ordinandi, statuendi et puniendi salva reverentia magistri »[3], ex fundatoris voluntate momentum capitulorum generalium satis elucet, quae partem essentialem in regendo ordine obtinent[4]. Non quidem coetu omnium fratrum capitula generalia componuntur, sed congregatione selectorum. Et distinguuntur capitulum legislativum, electivum, imo aliud tertii generis nempe legislativum sequens ad electivum[5].

In primo capitulo praeside S. Dominico anno 1220 Bononiae celebrato statutum fuit, annuatim capitula instituenda esse tempore Pentecostes. Si magistrum generalem mori vel amoveri ante festum S. Michaelis contigerit, anno proximo capitulum regulariter habendum est cum electione, sicut annis 1241, 1264, 1301, 1312 aliisque accidit. Si vero magister post dictum festum officium reliquerit, supersedebatur illo anno a capitulo[6]. Ab anno 1372 biennalia facta sunt capitula generalia[7]. Ad locum pro capitulo celebrando primum definitores feria secunda post Pentecosten convenerunt et feria quarta sessiones per magistrum ordinis apertae sunt. Anno 1255 autem adunatio ad sabbatum ante Pentecosten et inauguratio sessionum feria secunda post Pentecosten translatae inveniuntur. Deinde capitulum anni 1274 statuit, quod auctoritas definitorum cum sabbato ante

Pentecosten inciperet. Tempus capitulo generali limitatum anno 1266 apparet ad unam hebdomadam, nisi ex rationabili causa magistro et definitoribus prolungandum videatur[8]. Humbertus in suis commentariis magistrum edocet de citiu finiendo coetu generali, si domus ex sustentatione fratrum nimis gravatur[9].

Quoad locum habendorum capitulorum anno 1220 « statutum est, generale capitulum uno anno Bononiae, altero vero Parisiis celebrari. Ita tamen ut proximo futuro anno 1221 apud Bononiam ageretur »[10]. Postquam anno 1243 magistro ordinis et definitoribus potestas facta fuit pro opportunitate mutandi locum capitulorum, 1245 primum capitulum generale extra sedes Bononiensem vel Parisiensem Coloniae habitum est aliis diversis assignationibus per orbem sequentibus. Anno 1350 cessat in actis Reichertianis praenuntiatio loci sequentis capituli. Forsitan privata notitia definitores de loco futuri capituli exinde instruxit[11], vel textus integer deest.

Anno 1337 proximum capitulum Metis assignatum, sed a magistro suspensum fuit. Haud una vice indictiones fiebant durante anno vel ex circumstantiis comitiorum ecclesiasticorum (ut concilii Lugdunensis 1274) vel voluntate pontificia (1292) vel ratione particulari (1318) Lugduni loco Viennae, 1325 Venetiis loco Erfurti, 1330 Trajecti loco Coloniae, 1339 Claromontii loco Metarum, 1341 Avenione loco Carcassonae[12]. Interdum Summi Pontifices litteris vota et directionem praesentarunt[13].

Talis ordo in capitulis generalibus servabatur ut duobus annis definitores (unus e quacumque provincia)et tertio anno provinciales cum magistro ordinis omnia definirent, constituerent, tractarent. Ex provinciis duodecim, quae anno 1228 exsistebant, tempore labente octodecim evaserunt, quorum repraesentantes capitulum formarunt. Videtur ab exordio ordinis in loco, ubi capitulum generale fuit celebrandum etiam capitulum provinciale[14] provinciae «hospitis» assignatum vel translato capitulo generali etiam translatum fuisse. Ita capitulum generale anno 1268 Pisis celebrandum erat. Capitulum provinciae Romanae pro 1268 pariter Pisis indictum est, sed translato capitulo generali Viterbium etiam capitulum provinciale eo translatum est.

Quae multitudo fratrum ad locum comitiorum generalium accessit, ex aestimationibus fundatis illustrare libet. Anno 1250, dum capitulum generale Londoniis agebatur, conventus ille fratres 80 proprios alebat, quibus accensentur fratres 200 velut membra capituli

provincialis Angliae, insuper magister generalis cum sociis suis, duodecim definitores provinciarum cum suis sociis ideoque circiter fratres 30, totaliter igitur plusquam fratres 300. Qui numerus concordat cum assertione Matthaei Paris fratres circiter 400 convenisse[15]. Huiusmodi coetus ingentes pro vita oppidana et ecclesiastica et civili medii aevi momenti maioris exstiterunt, regiam beneficentiam et splendorem et influxum haud una vice experientes aut provocantes. Si 1254 capitulum ob devotionem regis et reginae Hungariae Budae celebratum fuit[16], ad comitia electiva generalia anni 1264 litterae Urbani IV Papae, cardinalis Hannibaldi, regis Castellae, ducissae Brabantiae, Ioannis marchionis Brandenburgensis, Agnetis filiae regis Daniae pervenerunt[17]. Commercia principum quoque anno 1271 notantur[18]. Capitulum anni 1291 assignatum est apud Palentiam « ad petitionem et instantiam domini regis Castellae qui promisit totum capitulum magnifice procurare »[19]. Summum fastum autem capitulum generale electivum anni 1296 Argentinae habitum ostendit, in quo fratres ordinis super nongentos convenerunt, concurrentibus rege Romano Adulpho de Nassovia, rege Bohemiae Venceslao IV, episcopo Argentinensi Conrado de Lichtenberg, Diethero de Nassovia O.P. fratre germano regis Adulphi, nobilibusque innumeris et populo ingenti[20]. Hae et similes celebrationes facilius nobis inferunt monita de vitandis solemnitatibus notabilibus occasione capitulorum generalium.

Redeundo ad repraesentantes provinciarum in capitulo generali legislativo dicendum, quod definitores capituli generalis non aequiparantur definitoribus provincialis capituli, qui segregati fuerunt ex iis, qui ad capitulum provinciale accesserunt, sed definitores capituli generalis suam provinciarum repraesentationem gerunt, loquentes, votantes, iudicantes aeque sicut alii definitores vel magister generalis in illo capitulo. Selectio bonorum definitorum ordini Praedicatorum iuventam et efficaciam deliberationum et statutorum capitularium miram praebuit.

Quoad electores magistri ordinis statutum est anno 1228, quod essent priores provinciales provinciarum et repraesentantes duo provinciarum, exceptis provinciis Hieroslymitana, Graeciae, Poloniae, Daciae, quae nonnisi unum repraesentantem mitterent[21]. Haec restrictio pro provinciis minoribus anno 1241 sublata est, 36 electoribus exinde ordinis in designatione magistri ordinis concurrentibus. Postea augebatur numerus electorum magistri ordinis ex creatione provinciarum novarum, si tamen omnes electores ad capitulum accedere poterant[22].

Pro casu quod magister post capitula provincialia et ante festum S. Michaelis decessit, ita ut provincia non haberet electores magistri qualificatos, placuit, definitoribus eorumque sociis potestatem electorum magistri tribuere[23]. Electio ipsa magistri generalis in conclavi fiebat, ut iam ex constitutionibus 1228 et ex facto anni 1238 certe constat, aliis fratribus in conventu electionis viventibus orantibus, ut Deus de pastore idoneo provideret[24].

Generali capitulo magister ordinis praefuit ordinarie — nisi id protector ordinis ut anno 1451 — fecit[25]. Ab anno 1269 in absentia magistri unus ex definitoribus eiusdem capituli ab ipsis definitoribus vel maiore parte eorum assumebatur in vicarium magistri, cuius vices habebat in omnibus dumtaxat, quae ad tractatum et acta capituli pertinebant[26]. Dispositio loci provinciarum in capitulis generalibus iuxta antiquitatem praecipue originis vel etiam momenti earum determinata fuit[27]. Ab anno 1421 in editione Reichertiana capitulorum generalium nomina capitularium apparent[28]. Quo etiam fit, ut sciatur an capitula fuerint definitorum vel provincialium, quod in saeculo XIII ex actis solis minime eruitur[29].

Definitor capituli generalis, a capitulo provinciali electus, nexum inter provinciam et regimen ordinis constituit. Etenim ipse a capitulo provinciali electus exstitit, accepto socio, qui a provinciali insimul cum quatuor definitoribus eiusdem capituli provincialis eligebatur. Hi fratres electi sunt in aestate pro capitulo generali habendo tempore proximae Pentecostes. A provinciali et definitoribus capituli suae provinciae litterae testimoniales tum definitori capituli generalis tum eius socio dandae erant. Definitor circa rem proximi capituli generalis praeparare se debuit, ut competenter laboribus, consilis, discussionibus, iudiciis, statutis capitularibus interesset. Coram sequente provinciali capitulo definitor capituli generalis eiusque socius de eorum gestis respondere debebant et exhibere litteras magistri ordinis occasione illius capituli datas et copiam actorum ipsius capituli generalis[30].

Cum ex morte magistri celebratio capituli generalis differri potuerit, informatio specialis de tali obitu per ordinem totum communicanda occurrebat. Et quidem prior illius conventus, ubi magister decessit, nuntium dare Parisiis vel Bononiae debuit. « Et alteruter istorum conventuum, cui primo denuntiatum fuerit, teneatur similiter reliquis nuntiare ». A conventu Parisiensi provincialibus Hispaniae, Provinciae, Angliae, Teutoniae, postmodum etiam Da-

ciae, Saxoniae, Aragoniae, Tolosanae, e contra a conventu Bononiensi Hungariae, Romanae et aliis nempe Poloniae, Terrae sanctae, Graeciae, Siciliae, Bohemiae, Lombardiae superiori id intimandum fuit[31].

Ritu quodam ordinato[32] capitulum generale, quod post annum 1255 sabbato ante Pentecosten congregabatur, opera sua peragebat et explevit. Aliqua eorum communia sunt cum capitulis provincialibus, alia coetibus generalibus propria. Capitulum generale ante omnia erat corpus legislativum ordinis. Quare et constitutiones formabat, mutabat et etiam inculcabat, monendo, ordinando. Exercebat pariter idem capitulum inspectionem disciplinarem, iudicando, puniendo, ab officiis deponendo. Inter absolutos adsunt provinciales plerumque et lectores. Institutiones peragunt capitula generalia lectorum et vicariorum saepius. Religiosis officiis memores capitulares precibus fratrum suorum benefactores et auctoritates commendare solebant[33]. Ideo elenchi commendationum in fine actorum ponuntur saltem ab anno 1240[34]. De cetero Summi Pontifices post electionem suam ordinum religiosorum orationes specialibus litteris efflagitabant. Statuunt capitula generalia quoque alias preces et de assumendis officiis liturgicis.

Proprium capitulo generali erat suprema potestas super ordinem post Papam. Ordinis constitutiones insimul cum regula S. Augustini normam eius potestatis et dederunt et circumscripserunt. Totus modus procedendi et laborandi capitulorum cum forma actorum definita circa annum 1250 fuit excultus[35]. Facultatem definitive statuendi sive constitutionem faciendi capitulum generalissimum anni 1228 eo sensu limitavit, quod constitutio non fieret nisi quid per tria capitula successiva vel « tres lectiones » probaretur[36]. Inchoatio in uno capitulo facta per sequens approbari et per tertium confirmari debuit, ut de constitutione constaret, magistro generali rationem dante, ob quam definitores praecedentium consessuum talem inchoationem vel approbationem decreverint. Non procedente re ad approbationem vel confirmationem, constitutio non evenit. Dum acta saeculi XIII largissime tribus gradibus formativis constitutionum replentur, ab anno 1320 declarationes introducebantur, si de sensu constitutionem determinandum esset, processu inchoationum, approbationum, confirmationum neglecto[37].

Capitulum generalissimum est speciali modo solemne et componitur prioribus provinciarum cum duobus definitoribus a capitulo

suo provinciali electis. In decursu historiae ordinis nonnisi duabus vicibus nempe annis 1228 et 1236 sub B. Iordano capitulum huiusmodi celebratum fuit. In illo prima redactio constitutionum ordinis compilata est, dum in hoc idem magister generalis ante visitationem provinciae Terrae sanctae legislationem totam usque ad illum terminum emanatam ordinare voluit. In principio sive maiori numero provinciarum sive magistro ordinis soli petere seu statuere celebrationem capituli generalissimi licuit. Anno autem 1261 magistro generali haec potestas sublata est. Et provinciae, quae huiusmodi generalissimum capitulum desiderabant, rationem suam scripto redigere debebant[38]. A provincia Provinciae anno 1250 generalissimum capitulum postulabatur[39] annoque 1352 Castris denuntiatum est universis provinciis, « quod si eis videbitur in sequenti capitulo generali, petant capitulum generalissimum celebrari et assignent causas ad hoc rationabiliter inducentes prout ordinis conservationi viderint expedire »[40]. At cum hac denuntiatione res tunc remansit, sicut pariter anno 1426[41].

§ 19. Provinciae earumque administratio.

Provinciae ordinis Praedicatorum sunt adunationes conventuum plurium sub una administratione particulari prioris provincialis datorum[1]. In capitulo generali anno 1221 Iordano de Saxonia « officium prioratus super provinciam Lombardiae » impositum est[2], sicut et alii huiusmodi provinciales per designationem instituebantur. In constitutionibus anni 1228 sermo est de priore provinciali vel regnorum, qui in sua provincia vel regno potestatem eamdem habet quam magister ordinis in ordine, et eadem priori provinciae reverentia a subditis « provincialibus » exhibetur quae magistro competit, nisi magister praesens exstiterit[3]. Usus curiae Romanae nomine prioris ordinis saepius unum provincialem ordinis, ut Lombardiae vel Franciae, vocat[4].

Competit ergo priori provinciali ditionem suam moderari habito respectu ad ordinis magistrum et ad priores conventuales, quorum officia perfecte debet cognoscere et iuvare, ut bono provinciae iuvetur[5].

Priori provinciali curandum est, ut conventus bonos priores habeant. Eos confirmat et super confirmatos invigilet. Circa receptionem candidatorum speciales dispensationes exercere potest et fratri-

bus extra limites conventuales vel ad capitula generalia vel ad curiam eundi licentiam aut litteras tribuere, fratres insuper ex uno conventu ad alium assignare[6]. Praecipue provinciali saltem una vice per se vel per alium provincia visitanda est. « Cum autem de provincia recedit, debet semper relinquere vicarium vel vicarios per diversas partes provinciae, et interdum etiam cum praesens est in provincia in aliquibus locis magis remotis vicarium vel vicarios instituere potestate eorum taxata semper per litteras et expressa »[7].

Prior provincialis in capitulo provinciali eligebatur. Et solus magister ordinis electum confirmare potuit[8]. Ut in moderatione provinciae incoepto labori et operi prospiceretur, provincialis novitates nullas cito introducat, auditis de causa fratrum pro religione zelantium et discretione pollentium consiliis. Cupiat per socios antecessorum instrui et dirigi in officio humiliter et devote[9].

Electio provincialis per priores conventuales additis ex unoquoque conventu aliis duobus fratribus peragitur, non requisito conclavi pro tali processu. Mortuo vel amoto provinciali is, qui locum eius obtinet, sive vicarius provinciae pro tempore capitulum electivum convocat, etiam si capitulum provinciale iam celebratum fuit[10]. Provinciae Graeciae et Terrae sanctae anno 1334 iure eligendi provinciales privatae sunt. Iis quoad provinciales per magistrum ordinis et maioritatem definitorum capituli generalis vel per magistrum solum providebatur[11].

Duratio officii prioris provincialis in medio aevo limitationem temporis non admisit[12]. Cum igitur evenire potuerit partem provinciae vel capitula provinciae de administratione prioris satisfactam non esse, ad definitores capituli provincialis spectabat excessus provincialis corrigere, provincialem audire, emendare eique paenitentiam iniungere. « Si autem quod absit, incorrigibilis exstiterit, ipsum usque ad capitulum generale suspendant ab officio prioratus, priorem loci, ubi capitulum provinciale celebratur, loco eius substituentes et excessum eius ad capitulum referant generale scripto communiter sigillato »[13]. Ex anno 1251 loco talis prioris conventualis alium fratrem idoneum provinciali suspenso substituere licuit. Insuper anno 1283 definitive usus de scrutinio super provincalem retinendum vel absolvendum in capitulis provincialibus faciendum approbatus est. Quod scrutinium ad capitulum generale seu ad magistrum pervenit[14]. Alsolutio priorum provincialium ad solum capitulum generale spectabat. Saepissime tales absolutiones in actis notantur, interdum

adiecta prohibitione ne immediate denuo eligatur vel impositis paenitentiis. Si iam capitula provincialia mutationes modi regiminis priorum provincialium petebant, potius capitula generalia iudicabant et puniebant tales moderatores provinciarum[15].

Vicarii provinciae variae sunt acceptiones. Vacante provincialatu prior illius conventus, in quo capitulum provinciale pro sequenti anno indictum fuerit, vicem provincialis obtinet[16]. Aliquando vel magister ordinis aliquem vicarium super provinciam constituit[17]. De cetero de institutione vicariorum super partes provinciarum praecipue octavo decennio saeculi XIII et eitam postea constat[18]. Deinde etiam capitula generalia vicarios super nationes diversarum partium provinciarum constituebant. Et Raymundus Capuanus ob multiplicationem vicariorum acriter carpebatur[19]. In provincia Angliae pro Hibernia vicarius generalis a provinciali Angliae institutus noscitur[20]. Super provincias Tolosanam et Provinciae anno 1474 commissarius constitutus apparet[21].

Capitulum provinciale velut medium efficacissimum regiminis et administrationis tum provinciae in genere tum singulorum fratrum illius ditionis praedicatur[22]. « Capitulum provinciale in festo sancti Michaelis in loco statuto... celebretur »[23]. Quae determinatio temporis anno 1256 mutata est in aliam, secundum quam prior provincialis cum voto definitorum tempus agendi capituli pro provincia designaret. De facto designatio haec in aliquibus provinciis ante annum 1238 fiebat. Provincia Provinciae mensem iulium, provincia Angliae augustum, provincia Romana septembrem[24], provincia Teutoniae saltem exeunte saeculo XV aprilem[25] pro habendis comitiis provincialibus eligebat.

Locus in quo capitulum provinciae congregabatur duplici modo statutus est, aut per assignationem capituli generalis in aliqua provincia, quae tunc eodem in loco sua comitia celebrare debuit aut per determinationem provincialis cum definitoribus capituli praecedentis annotatam in actis capitularibus. De uno in alium locum consessus provinciales transferebantur propter tranquillitatem (in provincia Romana capitulum sequens, quod « in Pentecoste fiet Viterbii si fuerit pax, alioquin fiet Urbevetere in nativitate B. Virginis »[26], re vera 1245 Urbeveteri habitum est) aut propter alias rationes etiam a solo provinciali motas[27].

« Capitulum autem provinciale appellamus priores conventuales cum singulis a capitulo suo electis et praedicatores generales »[28].

Fratres conventus post annum suae professionis capitulo culparum, quod in comitiis provincialibus fiebat, interesse poterant, non autem deliberationibus. Pariter alii fratres cum licentia particulari ad locum capituli provincialis accedebant, non vocatis autem vel licentiatis paenitantiae imponebantur[29].

Pro capitulis electivis prioris provincialis alia compositio notatur comprehendens priores conventuales et duos fratres cuiuslibet conventus, non allatis praedicatoribus generalibus vel magistris theologiae[30]. Ad capitula provincialia iuxta magnitudinem provinciarum multi vel plures fratres accesserunt. Fratres 500 in provincia Teutoniae anno 1302 capituli locum adierunt[31].

Praesidebat capitulo provinciali prior provincialis vel vicarius provinciae. Adveniens in conventu, qui capitulum suscipere debuit, praeses huius consessus discernebat de fratribus, quinam membra iuridice capituli essent. Membra capituli tunc ante omnia definitores quatuor qui insimul cum provinciali tractabant et definiebant de rebus ad eos pertinentibus, deinde etiam definitores capituli generalis et visitatores eligebant, et demum de petitionibus capitulo generali praesentandis deliberabant. Audita quoque relatione definitorum capituli generalis ultimi in consessu pleniore, quatuor definitores suas tractationes negotiorum incipiebant. Quemadmodum in principio, ita et in fine capituli provincialis prior provincialis congregavit omnes fratres conventus, publicatis actis recentium statutorum, decisionum, electionum. Tempus insumendum pro celebratione capituli provincialis anno 1252 ad dies quatuor et 1276 ad terminum capituli generalis nempe ad hebdomadam ordinabatur. Ante regressum ad conventum proprium singuli socii conventuum copiam actorum sibi curare debebant.

Labores capituli in pleniore congressu peragendi versabantur circa electiones et definitorum tum ipsius capituli provincialis tum capituli generalis et electorum magistri ordinis. Series harum electionum generatim in actis capitulorum provincialium apparent. Insuper vota alia ut scrutinia et petitiones in pleno coetu perficiebantur, a definitoribus capitulo generali apportandae. Deliberationes definitorum provincialis capituli cum provinciali legislationem, administrationem, ordinem spiritualem, iudiciarium, taxativum respiciebant. Ita admonitiones et inhibitiones de legislatione sunt, dum administratio designationem socii definitoris euntis ad capitulum generalis, inspectionem provinciae per visitatores nominandos et studiorum per

institutionem lectorum et sublectorum spectat, necnon assignationem fratrum de domo ad aliam et divisiones terminorum faciendas in ipsa ditione provinciae, vel vicariarum stabiliendarum. Iniungebant capitula provincialia preces recitandas pro benefactoribus vel fratribus, paenas et paenitentias delinquentibus infligendas, demum taxas sive contributiones a conventibus solvendas pro necessitatibus provinciae[32]. Huiusmodi taxae ex anno 1250 cognoscuntur[33] et tempore observantiae documento sunt, conventus observantiae ad provincias pertinuisse, cum ad taxas cogerentur[34], nisi vere extra compagines provinciae orti fuerint, ut e. g. conventus Faesulanus et S. Marci. Capitulum provinciale spiritum et propensiones, vim ac laborem provinciarum expressit et moderavit[35].

§ 20. Conventus singoli Priores et fratres conventuum.

Ad modum conventuum, quales canonici regulares communiter possidebant, S. Dominicus domos sui instituti ordinabat. Prior ipse S. Romani Tolosani vocabatur. Et post unam exceptionem abbatis Matthaei superiores domorum ordinis Praedicatorum prioris titulum habebant[1]. A capitulo conventuali electus prior obtenta per provincialem confirmatione officium suum incoepit. Eius munus multum ab illo abbatis monastici discrepat. Non patrem familias agit, sed potius administrum seu servum domus et fratrum eius moderationi subditorum, in regimine magnopere ligatus ad vota capituli conventualis et consilia variorum fratrum. Dum potestas prioris quodammodo circumscripta apparet, regimen conventus stabile ac securum in se esse et quoad extraneos harmonice procedere videtur. Debet prior omnia ad suum et superiorum statum pertinentia notare, « pro religione primo et pro studio secundo plusquam pro aliis quibuscumque zelare », non nimis abesse neque semper domi manere, circa spiritualia potius quam temporalia occupari[3]. Prior quoscumque officiales conventus nominat, licet consiliarios super haec audire monetur[4]. Quoad singulos fratres « ipsius est cognoscere tam intus quam exterius varias conditiones et complexiones et dispositiones fratrum suorum et non eodem modo tractare omnes et coaptare se quantum ratio et religio permittit singulis secundum eorum dispositionem ». « Item ad officium eius pertinet scire clare et plene... cuiusmodi potestatem habeat ordo in confessionibus audiendis, in praedicationibus, in dispensationibus circa fratres et in indulgentiis et in aliis multis...

Et licet, quantum rationabiliter fieri potest, sit ei zelandum pro animarum salute, tamen magis expedit pro ordine et fratribus quod minor potius fiat fructus, dum minus idonei laxantur indiscrete ad praedicationes, ad consilia danda, et ad confessiones audiendas et similia ». In procurandis quoque temporalibus sive per fratres cavendum est ei, quantum fieri potest, ne graventur homines notabiliter et ne fiant quaestus etiam honesti[5].

De iure prior membrum est capituli provincialis, elector prioris provincialis, potest certis in conditionibus vicarius provinciae esse et numerare vota in capitulis provincialibus. Officia sua — praeter alia iam notata — comprehenduntur in cooperatione cum magistro ordinis, priore provinciali, visitatori facienda, quando conventum inspiciunt. Si omnibus officiis bene providit, longe prioratum quis exercere potuit, vel de uno ad alium conventum consentiente vel instituente provinciali transferri. Si quis prior in administratione defecit a provinciali capitulo plerumque vel a generalibus comitiis absolutus est. In ordine Praedicatorum sicut priores provinciales ita et priores conventuales potius capitulis quam superiori alicui respondere debebant[6]. Ab anno 1283 scrutinia capitulorum conventualium de retinendis vel amovendis prioribus capitulo provinciali subiciebantur[7].

Circa capitula notandum est, in conventibus capitulum culparum frequenter celebratum fuisse, imo nomine quotidiani vocatum esse, quia quotidie fieri potuit. Huiusmodi capitulum et in provincialibus et generalibus coetibus locum habuit[3]. Ad capitulum culparum saepius capitulum conventuale a priore moderatum secutum est, quod consiliarios in adiutorium prioris designavit, et examinatores recipiendorum constituit, sigillum actibus et litteris — priore consentiente — apposuit, de iis tractat, quae ad conventum tamquam communitatem pervenerunt, socium prioris euntis ad capitulum pariterque duos electores prioris provincialis eligit, petitiones et informationes ad capitulum provinciale mittendas componit, ipsum priorem conventus eligit[9].

Supprior, qui a priore conventuali de consilio discretorum fratrum instituitur, sub Ioanne Teutonico ad munus limitatae inspectionis in conventu maiora officia recipit, inquantum mortuo vel amoto priore eius vices obtinet tamquam supprior in capite[10]. Tempore reformationis regularis instituebantur multi vicarii, qui particularibus facultatibus praediti loco priorum imo aliquando super priorem et communitatem insimul constituti regebant[11].

Voce conventus in initio ordinis communitas quaedam fratrum signabatur, non autem directe aedes hanc communitatem hospitantes[12]. Cum institutionibus Praemonstratensium numerus duodecim fratrum pro conventu formando apud ordinem Praedicatorum requisitus communis habetur: « Conventus citra numerum duodenarium et sine licentia generalis capituli et sine priore et doctore non mittatur »[13]. Si tempore labente numerus alicuius conventus diminuebatur, complendus praecipitur. Deficiente numero constitutionali alicuius conventus, hic legitime in capitulo provinciali repraesentari nequivit. Ex casu mortis unius fratris conventualis durante anno uno conventus iura repraesentationis illo anno non perdidit, sed de novo fratre adsciscendo curare debuit[14]. Concessio novorum conventuum inter capitula provincialia et generalia dividebatur ita quidem, ut licentia fundandi conventum a comitiis generalibus pluries daretur antequam ad exsecutionem provincia procedere potuerit[15]. Ad fundandos conventus vel aptitudo alicuius terrae per fratres praedicantes cognitae vel petitio ex parte dominorum civilium vel municipii inducebat. Et iuxta convenientiam talis conventus « recipiebatur » a capitulo provinciali[16]. Recepti sunt etiam loci, qui conventus non erant. Tales loci iuribus constitutionalibus non gaudebant, sed poterant praesente numero fratrum in conventum formalem seu perfectum erigi. Conveniebat fratribus tales locos habere, ut in itineribus stationem apud suos facerent et ministerium etiam in illis partibus exercere possent, ubi plenum conventum non possidebant. His locis vicarius praeesse consuevit[17].

Singuli fratres, quibus conventus regularis constabat, in ordine Praedicatorum non illam stabilitatem in particulari conventu possidebant, quam monachi vi suae professionis in monasterio acquirebant. Fratres Praedicatores quidem in conventu professionem emittebant, sed magistro generali, non priori conventuali, obedientiam promittentes, at priori conventuali loco magistri ordinis. Nihilominus conventus aliquis a fratribus tamquam suus considerabatur. Adstringebantur fratres unius conventus ad preces vel suffragia peragenda pro defunctis fratribus talis conventus, imo etiam pro fratribus emissis, qui alium conventum definitive nondum constituebant. Haec habitudo ad unum conventum minime importat; fratres in conventu suae professionis maiorem partem vitae suae transegisse. Ille conventus, in quo quis laborabat, huic in necessariis providere debuit, intacta pertinentia ad conventum pro-

fessionis huiusque obligatione ad suffragia particularia pro suis conventualibus etiam alibi defunctis[18]. In saeculo XIV pertinentia ad conventum in systema conventualismi abusibus comitantibus variis deflectere coepit.

Conventus suppositum exstitit pro peragendis officiis canonicalibus liturgiae et pro observantiis regularibus et pro actione ministerii sacerdotalis per curam animarum atque apostolicam praedicationem et doctrinam. In domibus conventualibus humilibus[19] fratres in paupertatis statu et perfecta communitate rerum vivebant, pro servitiis communibus officialibus deputatis, quorum partes per Humbertum apprime delineantur[20]. « Angustiores istae nostrae domus saeculi XIII et XIV in varias dividebantur partes pro variis incolentium usibus, scilicet in claustrum, dormitorium, capitulum, refectorium, infirmariam, reliquasque minores officinas ».

Cellae ab exordio unicuique erant ad studendum[21], ad dormiendum autem nonnisi specialibus officialibus ut superioribus et lectoribus concedebantur, dum postea plures eas haberent[22]. « In cellis praeter Christi ad crucem suspensi et B. Virginis imaginem nihil aliud reperiri erat »[23]. Aedes conventuales lege communi, non autem canonica, clausura circumseptae[24], silentii ritu consecrabantur, nisi necessitas loquendi facultatem voce submissa tribuebat[25]. Hortus quidam claustro inclusus inter domum et ecclesiam vel etiam citra aedes conventuales aut ecclesiam extendebatur[26]. Ecclesia conventualis ad divina officia, missam, praedicationem, caerimonias celebrandas serviebat. Praeter munditiem, paupertatis decorem, ecclesiae fratrum Praedicatorum iam in saeculo XIII divitias pulchritudinis architectonicae aliarumque bonarum artium ostendebant vel colligebant[27]. Statutis horis et temporibus in iis modi discreti, piissimi et sapientes liturgiae fratrum Praedicatorum praesertim circa altare conventuale, in quo eucharistiae sacramentum asservabatur[28], et exercebantur et resonabant.

Propter statum mendicitatis primitivae fratribus Praedicatoribus neque possessiones praeter domos suas, ecclesiam hortosque adiacentes neque reditus recipere licebat, sed potius in signum paupertatis apud locos, ubi habitabant, panem petere conveniebat. Quaestus necessariorum a conventibus fiebant intra speciales terminos sive diaetas ad quas etiam actio ministerii ordinarii extendebatur[29]. Si conventus ad confinia terminorum alterius conventus accedebat, compositio divisionis diaetarum plerumque auctoritate capitulorum provincialium ordinabatur lites terminorum crebro ortae sunt[30].

Praeter quaestum et eleemosynas ordinarias conspicuas factae dotationes per principes et benefactores insignes fratribus non solum vitae necessaria verum etiam supererogatoria tribuerunt. Accessit demum ad sustentanda onera communitatis fructus ex ministerio, ex anniversariis et sepulturis perceptus[31].

Conventualis vitae dominicanae cultus et severitas, sobrietas et pulchritudo claros interpretes invenit[32], ad quorum expositiones studiosi remittuntur.

Dum conventus regulariter intra compaginem definitarum provinciarum erant, in saeculo XV aliqui sub immediata iurisdictione magistri generalis constituebantur[33].

Ordo fratrum Praedicatorum membris clericis ordinarie constabat, qui actionem sacerdotalem apostolicam praedicationis et salutis animarum procurandae exercere possent. Fratres conversi in ordinem assumebantur, ut — exsistentes veri religiosi — necessariis officiis manualibus applicarentur.

Augmentum ordinis ex vocationibus dependebat, quibus multiplices viae providentiae divinae illustrabantur. Monitu interiore vel attractione exempli vel hortatu virorum de vel ex fuga periculorum mundi iuvenes aut viri ordini Praedicatorum nomen dederunt[34]. Receptionem autem ad ordinem speciale examen antecedebat. Quod examen iuxta constitutiones anni 1228 per tres fratres idoneos de communi consilio capituli destinatos instituendum erat. Relata de exitu huius examinis facti circa particulares quaestiones deinde in capitulo conventuali discutiebantur. Secundum sententiam maioris partis capituli enuntiatam prior candidatum recipere potuit vel reicere debuit[35]. Conversi recipiebantur ex consensu necessario provincialis[36].

Examen recipiendorum versabatur circa statum liberum, sanitatem, mores et scientiam candidatorum[37]. Hoc ultimum requisitum pro ordine Praedicatorum adesse debuit. Iordanus de Saxonia aliquando accusabatur, quod 60 fratres parvae litteraturae receperit[38]. « Caveant (notat capitulum provinciale Provinciae anni 1242) priores ne sine diligenti examinatione litteraturae et morum recipiant fratres, cum non deceat talem ordinem inutilibus onerari » et eadem anno 1250 : « non recipiant novitios insufficientes in scientia et aetate »[39]. Monet capitulum Romanae provinciae fratrem Bonaventuram anno 1250 « ut quos minus idoneos receperit in grammatica instruere teneatur »[40]. Imo Humbertus dicit : « ubi est tantus defectus quod non inveniuntur aliqui sufficientes qui intrent ordinem, expedit ali-

quos iuvenes de quibus speratur, quod possint bene proficere, recipere interdum et curam apponere circa eorum instructionem diligentem, ut ipse ordo personas bonas sibi faciat quas mundus mittere cessat ». Et adicit p. Berthier: « Inde patet hallucinari valde qui scholas apostolicas hacce nostra aetate inventas putant »[41]. Tempore labente scholae grammaticae ad institutionem rei humanioris dandam in multis conventibus notantur[42].

Magister latinitatis, nisi ordo eum habebat, extrneus laicus pro stipendio esse valuit[43]. Talis cursus litterarius certe non semper ante receptionem sed etiam post eam absolvebatur[44].

Quoad aetatem pro ingressu ordinis « infra XVIII annos » nullus recipiendus erat[45]. Videtur autem hoc primitivum statutum robur amisisse, saltem post medietatem saeculi XIII. Anno 1265 admonitio adest, quod « nullus infra XV annum completum recipiatur ad ordinem sine prioris provincialis licentia speciali »[46]. Et anno 1323 declaratur receptionem ante aetatem octodecim annorum pro conversis tantummodo vetitam esse[47]. Haec declaratio et prohibitio tamen saepissime negligebatur. Nicolaus Bocasini annos 14 natus[48], Henricus Seuse anno aetatis 13[49], Petrus de Arenys 12[50], Ioannes de Mena 10[51], Ioannes Meyer 9[52] ad ordinem recepti sunt. Imo usque ad septennium recipiendorum in temporibus calamitosis condescendebatur[53]. Huiusmodi pueri[54] oblatis comparari possunt, qui non solum apud ordinem monasticum, verum etiam apud fratres Minores[55] et Praedicatores exsistebant.

Ad tempus probationis sive novitiatum quod attinet, prius (anno 1228) vigebat spatium « sex mensium vel eo amplius prout praelato videbitur, ut et ipse [recipiendus] austeritates ordinis et fratres mores experiantur ipsius, nisi forte aliquis maturus et discretus probationi praedictae renuntiare voluerit et instanter se offerat professioni faciendae »[56]. Citatur quidem Gregorii IX bulla diei 11 iulii 1236, qua praescriberetur annus novitiatus[57]. At immerito. Nam illa bulla nonnisi de reditu libero ad pristinum statum infra annum loquitur de duratione probationis nihil statuens, quae explicite per Innocentium IV determinatur ad annum, haud absque exceptionibus mox concessis[58]. In capitulo generali Londoniensi anni 1250 tempus probationis mensium sex ad annum prolongari coeptum est, confirmatione huius statuti non sequente[59].

Alexander IV impositionem unius anni novitiatus repetivit[60]. Quem et in constitutionibus Humbertini codicis[61] et in commentariis Iumberti[61] exinde valere constat.

Novitii infra annum, qui annus novitiatus in initio non fuit, sed aliud spatium maioris tuitionis, « ad longinquas partes nisi ob causam necessariam non mittantur nec in aliquo officio occupentur et vestes eorum ante professionem non alienentur nec ipsi ante professionem ordinentur »[63].

« Prior novitiis magistrum diligentem in instructione eorum praeponat, qui eos de ordine doceat, in ecclesia excitet et ubicumque negligentes se habuerint, verbo vel signo quantum poterit eos studeat emendare... Humilitatem cordis et corporis doceat eos habere... Quomodo ubique et in omnibus sese habere debeant, ipsos debet instruere... Item novitii infra tempus probationis suae in psalmodia et officio divino studeant diligenter »[64]. De magistri novitiorum munere plenius commentarii varii plene informant[65]. Novitiatus tempore elapso professio emittebatur iuxta formulam venerandam, ad professionem benedictione habitus sequente[66].

Si in provincia Romana anno 1284 impositum fuit, « quod fratres iuvenes donec impleverint decimum octavum annum etiam post factam professionem semper sint sub cura magistri novitiorum vel alterius, cui praelatus iniunxerit, qui circa profectum scientiae et religionis ipsorum sollicitam curam gerat »[67], in capitulo generali Venetiano 1325 legitur, « quod nullus notabiliter iuvenis mittatur ad studia artium ante tertium annum ab ingressu »[68]. Quod tempus complementare tamen non velut novitiatus sed potius maturationis et iuste quidem considerandum est.

Qui se ordini addixerunt, in conventibus quibuscumque assumi poterant, donec ab anno 1326 collectio novitiorum in aliquo conventu principaliore singularum « visitationum » facienda ordinata sit. « Noviter autem professi, ne nimia libertate vagentur, sub cura fratris religiosi per biennium saltem nutriantur, donec sufficientes sint in scientia et in vita ut ad studia transmittantur »[69].

Qui ordinem intraverunt, ab illo conventu, a quo vel pro quo recepti sunt, sustentabantur. Ita e. g. usus provinciae Romanae statuit, ut novitii providerentur de vestibus a conventibus ad quos spectabant[70]. Quae affiliatio ad conventum magis magisque strictior effecta est, donec ad conventualismum perduxerit. Et vergente saeculo XIV novitii in aliquibus partibus velut onus conventus potius quam spes provinciae vel ordinis considerabantur[71]. Fratres clerici, post peractam feliciter studiorum partem etsi non omnium, ad sacerdotium promoveri solebant, aetatis anno 25 completo.

« Quem tamen sublimem gradum non omnes conscendisse liquet e vetustis necrologiis, praesertim ex Perusino, ubi plures in ministerio diaconatus consenuisse ac decessisse legimus »[72]. In saeculo XV frequentes dispensationes ad sacerdotium obtinendum cum annos 22 natis occurrunt[73]. In saeculo XV fratres certis annis professionis aucti iubilares vocantur speciali honore et privilegio muniti[74].

Praeter prohibitos a iure non admittebantur ad ordinem Praedicatorum Cistercienses « nisi de speciali licentia domini papae »[75]. Cum anno 1265 plures Dominicani assumptis conventus sui libris ad Cistercienses de Mellrose Scotiae sine indulto apostolico transierint, Clemens IV hos fugitivos redire coegit[76]. Anno 1337 constitutio facta est, quod « nullus religiosus professus cuiuscumque alterius ordinis mendicantis recipiatur ad nostrum ordinem sine licentia magistri ordinis vel capituli generalis »[77]. Ex alia parte ordo Praedicatorum etiam membra perdidit, qui ad ordinem monachalem transierunt. Iam S. Dominicus pontificias bullas obtinuit contra eos, qui emissa professione ordinem deserebant. Id non absque consensu prioris ordinis deinceps licebat[78]. De apotatis constitutiones anni 1228 amplioribus legibus loquebantur[79].

Delinquentes et devios ab ordine licentiare sine provinciali vel magistro ordinis non licitum erat, etsi licentia a prioribus conventualibus haud raro dabatur. Expellere tamen incorrigibiles ab exordio in iure et usu ordinis vigebat. Super expulsos tum ad alios ordines tum ad clerum saecularem transeuntes ordo inspectionem habere non negligebat. Eos mente mutatos et emendatos ordo recipere iterum potuit[80].

Nomen membris ordinis erat fratris talis vel talis. Titulum lectoris vel magistri addere prohibebatur[81]. Delectio novi nominis religiosi loco baptismalis nonnisi tempore observantiae invaluit[82].

Circa fratres conversos recipiendos magna cum deliberatione procedebatur[83]. Eos neque ipse prior provincialis recipere solebat nisi de consensu conventus ubi fuerint induendi nec conventus sine licentia prioris provincialis[84]. In constitutionum utriusque redactionis fine « regula fratrum nostrorum conversorum » ponitur, quae continet praescripta de modo orandi, vestiendi, vivendi eorum[85]. Loco officii preces dominicas recitant, quibus anno 1266 salutationes angelicae adduntur[86]. Ex anno 1255 notetur admonitio, quod « provideant priores provinciales, quod conversi qui recipiuntur a sororibus commissis ordini non portent alium habitum sed habitum fratrum nostrorum conversorum» [87].

§ 21. Visitatores. Protector ordinis.

Ad complendam informationem de constitutione ordinis Praedicatorum de visitatoribus eorumque officio et de cardinali protectore eiusque momento verba facienda sunt. Etsi visitatores officiales ordinis sint et cardinalis protector extra ordinem generaliter versatur, tamen insimul eos in expositione iungere, cum ad statum ordinis conservandum vel augendum tribuere vocentur, convenit.

S. Dominicus recentes suas fundationes per Galliam, Italiam, Hispaniam sedulo invisit, ut eas roboraret et incitaret. Sui successores in magisterio ordinis huic exemplo obtemperarunt. In constitutionibus anno 1228 statuitur, a capitulo provinciali quatuor fratres eligendos esse qui certas domos provinciae visitarent[1]. Unusquisque horum visitatorum pro se separatim agebat, non velut membrum alicuius commissionis. Visitationes ei commissae ante capitulum proximum finiendae erant. Moram ultra diebus tribus in uno conventu visitator protrahere non debebat. Ad visitatorem spectabat, errores corrigere tum superiorum tum fratrum, at non mutare personalem statum conventus. Relatio totius visitationis capitulo provinciali porrigebatur. Si conventus aliquis multum a dignitate vitae vel rerum agendarum deficiebat, nuntius de his, etsi defectus iam fuerint emendati vel remoti, ad capitulum generale transmittebatur[2].

Persona visitatoris non inter priores neve inter doctores theologiae eligebatur. Dum visitator in conventu visitando degeret, ipse capitulo culparum praefuit, de cetero autem suum locum iuxta aetatem professionis tenebat. Culpae ei tribuebatur, si ante capitulum proximum provinciale visitationem suam non peregit. Relationem de peracta visitatione vel in persona vel litterali expositione capitulo provinciali submittere potuit. Et relatio versari debuit circa pacem inter fratres, circa cultum studii et praedicationis, circa profectum in his laboribus et circa fructum quoad observantiam in vivendo et vestiendo, circa caerimonias liturgicas et officium chorale, circa asservationem actorum capitulorum ordinis totius et capitulorum provincialium[3].

Crescentibus provinciis quatuor visitatores amplius non operi visitationis sufficiebant. Quare anno 1244 definitive acceptum est, quod praeter visitatores quatuor et alii nominari possunt iuxta placitum capituli provincialis[4]. In provincia Provinciae anno 1253 visi-

tatores octo nominabantur[5]. De cetero designatio visitatorum ordinariorum minime exclusive apud capitulum provinciale stetit. Etenim provinciali incumbebat suam ditionem visitare vel per se per alios, quos ipse mittebat. Ita anno 1236 statutum fuit[6]. Deinde 1279 haec obligatio prioris provincialis visitandi suam provinciam per se vel alios ita definitur, quod hi alii essent vicarii cum auctoritate eis a provinciali tributa[7]. Insuper magistro ordinis vel capitulo generali competivit, visitatores in quamcumque ordinis regionem vel domum delegandi[8]. Casus huiusmodi occurrunt tum in deputatione in Angliam inquisiturorum a capitulo generali anni 1278 transmissorum[9], tum in constitutione plurium vicariorum per provinciam Teutoniae auctoritate generalis capituli anno 1301 facta ut ibi visitarent[10].

Relationem de peracta visitatione visitator in capitulo provinciali praesens dare potuit, nisi sola scripta communcatione relationem exsequi maluerit[11].

Demum quaestio exoritur, an districtus determinati visitationis apud Praedicatores exstiterint ad similitudinem custodiarum ordinis Minorum. Et videtur, quod ab anno 1275 in multis provinciis huiusmodi limites speciales pro visitationibus circumscribebantur, etsi hae limitationes non in legislationem assumptae sint[12].

Protector ordinis apud fratres Praedicatores non illud momentum habuit, quod ei apud fratres Minores obtigerat. « Institutum cardinalis protectoris, quod S. Franciscus primus omnium fundatorum ordinum introduxit » duplicem finem intendit et providendi ut fratres semper Ecclesiae subditi manerent et habendi potentem protectorem apud Sedem Apostolicam[13]. « Dominum Hostiensem » S. Franciscus protectorem petivit[14]. Debuit ille esse ex officio « protector et gubernator totius fraternitatis »[15]. Cum fratres Praedicatores ex initio exclusive clericalem ordinem formaverint, eorum constitutio canonica talem protectorem, qui eos in spiritu ecclesiastico roboraret, non postulabat. Summi Pontifices autem libenter ordinem Praedicatorum frequentibus commendationibus episcopis terrarum praesentarunt velut protectorum vices paterne explentes. Particulari modo etiam cardinalis Ostiensis Hugolinus patronatum circa Praedicatores egit[16]. Imo pro specialibus ditionibus a Summis Pontificibus praesules tamquam protectores fratrum Praedicatorum destinabantur. Apparet enim e. g. in Hibernia anno 1245 archiepiscopus David MacKelly O.P. protector nostrorum pro illa natione[17]. Iisdem per Germaniam rogatu magistri ordinis a Clemente IV epi-

scopus Wormatiensis datur[18], in saeculo XIV archiepiscopus Coloniensis conserator iurium dominicanorum in Germania agnoscitur[19]. Cardinalem Nicolaum de Prato officium protectoratus de ordine Praedicatorum gessisse conici[20] et idem pro cardinali Rosell praesumi potest, quippe qui sedula cura statum ordinis dimetiretur[21]. Primus tandem explicite in actis capitulorum generalium anni 1376 titulo protectoris ordinis affertur Guillelmus de Aigrefeuille (de Agrofolio, † 1401)[22]. Diviso ordine tempore schismatis duo protectores ordinis pro duabus partibus inveniuntur[23].

Quia in constitutionibus fratrum Praedicatorum positio cardinalis protectoris non nominatur neque eius officium definitur, ex usu et influxu singulorum protectorum ius quoddam formatum est, quod saepe leges communes ordinis nostri sicut et ordinum aliorum excessit. Ideo Sixtus IV in bulla « Sacra Minorum » diei 30 martii 1473 munus et facultates protectorum ordinum mendicantium decidit[24]. Sed potestatem horum protectorum limitare definitive non valuit. Tempore enim labente recursus ad protectorem ordinis multiplicabantur et sensus ordinariae administrationis iuxta legislationem scobriam ac claram nostram ita obfuscabatur, ut vel ipse magister generalis Salvus Cassetta, dum extra urbem degebat, gubernium ordinis cardinali Oliverio Carafa protectori ordinis committeret[25]. Circa annum 1500 protector supra ordinem huiusque leges dominabatur[26].

III. Vita et actio ordinis.

a) VITA ET ACTIO RELIGIOSA.

Ordo Praedicatorum fundatus est ut eius filii et fratres ex plenitudine contemplationis rerum divinarum et christianarum aliis communicarent. Impleri ergo sacra veritate prius fratres oportet antequam eam aliis tradant.

Contemplatio autem fratri Praedicatori necessaria vel in oratione vel in studio aut potius in utroque simul obtinetur. Semper enim accessus ad veritatem primam fieri debet, ad quam doctrina, verbo, actione praedicatorum ipsi animi convertendi et dirigendi sunt Hic nunc de oratione tum liturgica tum privata ordinis sermo fit, de cultu devotionum particularium et earum influxu in utilita-

tem populi christiani. Exempla multiplicia fratrum qui laudem virtutum vere obtinuerunt, monstrant, religionem Praedicatorum et viis solidis sublimibusque abundare, quibus perfectio conspicua et maxima exhibetur. In his viris venerandis sicut et in principiis, quae amplexi sunt, characteres aliqui praecipue elucent[1].

Veritatis divinae apostolum S. Dominicus esse cupivit. Ex ea *luciditatem* miram ipse et ordo husit. Divina luce illutratus praedicator gratiae effectus est, dum S. Thomas summus ordinis doctor claritate summa penetrationis rerum et expositionis rationes verissimas vitae spiritualis dedit. Mira apud fratres Praedicatore fides gratiae ab intrinseco efficacis et magnanima virtutum aemulatio. Accedit sobrietas vel libertas quaedam, quae perpensis conditionibus rerum aut personarum inter exercitia religiosa hoc vel illud potius omittit vel restringit, si assecutioni finis non respondet. Ita Dominicus legem dispensationis inter principia suae vitae regularis large assumpsit. Ita B. Iordanus moderationem castigationum corporalium monialibus interdum inculcat[2], aliis eum precandi modum commendat, quo magis proficiunt[3]. Neque oblivioni tradendus zelus sive violentia sacra aut vehementia, qua S. Dominicus et maiores filiorum suorum in pietate sua ardebant, cum totaliter apostolicae vocationi dediti, prius lucidi et ferventes esse intenderent, ut efficaces postea praedicatores fierent.

§ 22. Liturgia, Preces privatae.

Quando S. Dominicus socios suos colligebat ad formandam societatem praedicantium, prae opere salutis animarum exercendo, observantias et obligationes monasticas et canonicas mitigavit[1]. Divinum officium illi praedicatores dioecesani Tolosani forsitan solemniter non celebrarunt, cum nonnisi domum, non autem ecclesiam anno 1215 haberent, ecclesia S. Romani durante aestate anni 1216 eis donata[2]. Nunc electa regula S. Augustini et assumptis arctioris vitae consuetudinibus « quid prudentissimus conditor noster statuerit de ritu servando in celebrando divino officio, prorsus est ignotum. Procul dubio, ecclesiae S. Romani ministerio mancipati, beatus Pater eiusque discipuli inde a principio divina officia solemnia egerunt. Quonam autem ritu nos fugit, vixque, deficiente quovis certo documento, scire possumus ». Tantummodo « conicere fas est, beatum scilicet Dominicum, ante fratrum separationem [1217], decrevisse se atque discipulos of-

ficium divinum celebraturos secundum illum ritum, quem hucusque observare consueverant sive dioecesanum sive alium quemlibet, hoc tamen pacto ne consuetudinibus propriis ecclesiarum omnino contrairent neque proinde fidelibus scandali aut admirationis essent »[3]. Postquam vero fratres ordinis recentis per orbem sparsi alii aliarum ecclesiarum ritus secuti sunt, universalis varietas et discrepantia inter fratres Praedicatores in officio liturgico apparuit. Ut dedecus et confusio huiusmodi status multae varietatis vitaretur, verba sunt magistri Humberti, « compilatum fuit unum officium propter uniformitatem habendam ubique »[4]. Utrum haec unificatio ad ipsum S. Dominicum vel ad B. Iordanum redeat, compertum non habetur. « Officium vero compilatum, primaevi nostri ritus monumentum, ad nos usque pervenisse, salvo meliore iudicio, pro certo non habemus ». Illud breviarium, a S. Dominico dictum, rem non dilucidare potest. Sub magisterio B. Iordani compilatio peracta forsitan fuit[5]. Ad calcem quidem constitutionum prioris redactionis notatur: « Totum officium tam nocturnum quam diurnum confirmamus et volumus uniformiter observari ita quod nulli liceat de cetero aliquid innovare ». De qua autem redactione liturgica hic sermo it, patri Denifle non constat. Probabilius est posterioris anni cuiusdam et falso loco ad calcem constitutionum anni 1228 addita annotatio[6].

Atque ex ordinatione illa capituli generalis anno 1233: « Volumus ut novitii qui tantam pecuniam habent ut solutis vestibus possint de illa emere bibliam et breviarium quod ex ea de residuo emant »[7] concludi absolute non potest, uniformitatem officii ante annum 1233 peractam fuisse.

Officium quo fratres ordinis Praedicatorum usque ad annum 1244 utebantur numeris omnibus minime absolutum emendationi subiciendum erat. Ideo anno 1244 mandatur in capitulo Bononiensi, « ut definitores proximo sequentis capituli generalis pro concordando officio, portent secum ad dictum capitulum omnes rubricas et notulas breviarii nocturni et diurni et gradualis et missalis »[8]. Et capitulum Coloniense anni 1245 commisit « quatuor fratribus Franciae, Angliae, Lombardiae et Teutoniae quod stantes in domo Andegavensi officium nocturnum et diurnum tam in littera quam in cantu et rubricis corrigant et concordent ac defectus suppleant, cum quanto possint dispendio minore et quilibet praedictorum quatuor afferat tam diurnum quam nocturnum officium secum de provincia sua et haec provinciales procurent. Et sint in festo Remigii. Et si qui non

venerint alii nihilominus procedant »[9]. De labore revisionis et concordantiae liturgiae per commissionem Andegavensem praestito nos edocent sequentia capitula. Etenim anno 1246 inchoant capitulares constitutionem : « Tota ordinatio ecclesiastici officii facta a quatuor fratribus provinciarum vel facienda usque ad annum communiter per totum ordinem observetur, et si in aliquo discordaverint sententia magistri teneatur. Item hanc. Ut liber lectionarius tam de tempore quam de festis quem committimus provinciae Franciae ordinandum, universaliter per totum ordinem recipiatur »[10]. Qui provincialis Humbertus erat, qui nuper gubernium Romanae provinciae cum illo Franciae mutaverat[11]. Dum Romanae ditioni praeerat forsitan illam iniunctionem capituli anni 1244 Urbevetani inspiraverat vel praeparaverat, iuxta quam libri chorales melius disponendi cura fratrum Petri lectoris et supprioris Romani ordinabantur[12].

Insuper fratres Ambrosius et Humbertus de Panzano « de consilio provinciae sive divisim sive insimul » libellum facere tenebantur, « qui dicatur lectionarium tam de tempore quam de festis. Qui postquam fuerit diligenter correctus, versiculatus, punctatus, accipiatur ab aliis conventibus et scribatur »[13]. Provincialis Humbertus antea Romanae nunc Franciae provinciae de lectionario Romano informatus, si non auctor eius, ex impositione capituli Coloniensis lectionarium pro toto ordine conficere debuit. Inchoationes liturgicae Parisienses apud Montempessulanum anno 1247 iteratae et approbatae sunt[14]. Denique Parisiis 1248 confirmatur quod « tota ordinatio ecclesiastici officii a quatuor fratribus quatuor provinciarum facta communiter per totum ordinem observetur. Et haec habet tria capitula »[15]. De lectionario mentio particularis non fit[16]. Anno 1249 haec « Andegavensis » ordinatio officii finita fuisse videtur, cum in capitulo provinciae Tolosanae eiusdem anni priori Lemovicensi imponatur, ut « duos fratres mittat ad aliquem conventum Franciae iuxta litteras prioris provincialis ad habendam correctionem novam breviarii »[17].

At nondum finis! Undique enim ad capitulum Londinense anni 1250 querelae « super discordia multiplici divini officii per quatuor fratres ordinati » allatae sunt. Ideo « visum est magistro et definitoribus, ut ad sedandas querelas praedicti fratres in Metim veniant in festo omnium sanctorum ad correctionem dicti officii faciendam et in unum volumen redigendam. Quapropter mandamus et in remissionem peccatorum iniungimus quatenus ad praedicta perficienda

dicti fratres statuto tempore ad locum veniant memoratum. Interim autem a rescribendis libris vel corrigendis secundum praedictam correctionem eorumdem abstineant universi »[18]. Fructus huius novae redactionis anno 1251 caute quidem approbatus est. Statutum est quidem anno 1251 quod « officium diurnum et nocturnum secundum ultimam correctionem ab omnibus recipiatur et unum exemplar Parisiis aliud Bononiae reponatur », sed de approbatione per viam inchoationis nonnisi in actis capituli generalis anni 1252 legimus[20]. Approbatio et confirmatio defuit. Imo in capitulo generali proximo anni 1254 (1253 nullum capitulum celebrabatur) nova commissio adest, ipsi magistro generali modo electo Humberto facta, circa « totam ordinationem ecclesiastici officii tam diurni quam nocturni et eorum quae ad hoc pertinent et correctionem librorum ecclesiasticorum et quod corrigat litteram regulae ».

Atque immediate iam inchoatur haec constitutio, quod « in capitulo de officio ecclesiae ubi dicitur. Totum officium tam diurnum quam nocturnum, addatur: secundum ordinationem et exemplar venerabilis patris fratris Ymberti magistri ordinis confirmamus »[21]. Et adest monitio: « fratres qui vident aliquid corrigendum circa officium scribant magistro ordinis ad sequens capitulum generale »[22] .Haec statuta Budensia per viam approbationis et confirmationis successive in comitiis et Mediolanensi 1255 et Parisiensi 1256 sancita sunt[23], vim legis ordinationi officii divini per Humbertum exaratae dantia. Actis capituli anno 1256 celebrati magister Humbertus litteras ad ordinis fratres adiecit notificans, « quod diversitas officii ecclesiastici... ad unitatem incertis exulantibus est reducta... quod impossibile fuit in ipsius ordinatione satisfacere voluntatibus singulorum. Propter quod quilibet vestrum ferre debet patienter, si fortassis occurrerit ei aliquid in ipso officio suae sententiae minus gratum »[24]. Ut conformatio ad ordinationem officii ecclesiastici et definiretur et exsecutioni mandaretur a patribus capitularibus anni 1256 ordinatum est, ut « ad facienda communia exemplaria ordinis pro divino officio et ad providendum procuratori ordinis in curia de quibusdam expensis, quilibet prior provincialis solvat libras Turonenses, quas mittant priori Parisiensi. Et volumus quod accipiant pecuniam istam de primis libris vacantibus nisi per definitores capitulorum provincialum ordinetur quomodo dicta pecunia solvatur »[25]. Ad authentiam officii divini formae Humbertinae servandam sedulo Florentiae in capitulo generali 1257 haec in-

dicantur: « Quicumque scripserunt usque hodie aliqua de officio non dent ad trascribendim aliis, quousque correcta fuerint diligenter ea quae scripserunt ad exemplaria quae sunt Parisius et quicumque amodo scribent non utantur illis scriptis quosque per fratres diligentes correcta fuerint scripta illa nec credatur particularibus correctionibus, quas quidam dicuntur portasse in quaternis et cedulis »[26].

Ex his cautionibus non solum oppositio quaedam aliquorum erga redactionem Humbertinam loqui eruitur, verum etiam sedulitas in efformanda conformitate omnium librorum per omnes ditiones ordinis cum prototypo Parisiensi percipitur. Re vera anno 1265 monitio adest: « priores ad habendum libros ecclesiastici officii secundum novam correctionem dent operam efficacem »[17]. Et in provincia Teutoniae probabilius anno 1267 inter admonitiones legitur: « Item studeant priores, ut libri de nova correctione habeantur et fratres cantent secundum illos »[28].

Obligatio accipiendi totam redactionem liturgicam « novam » ex facta constitutione annorum 1254, 1255, 1256 iam patuit. Sicut praelati debebant solliciti esse de constitutionibus diligenter correctis habendis, ita (scribit magister Humbertus in suis commentariis licet privata auctoritate solummodo pollentibus) « habeant etiam totum quod ad officium ecclesiasticum pertinet, cum et ipsum cadat sub constitutionibus »[29]. Imo quae in ordinario statuuntur in constitutionibus iteranda non sunt: « Nec oportuit aliquid scribi in constitutionibus de hoc ex quo fuit scriptum in ordinario »[30]. Tandem apostolica approbatio robur ordinationi officii ecclesiastici ordinis Praedicatorum adiecit, cum Clemens IV die 7 iulii 1267 liturgiam ita dispositam habuerit ratam et firmam et in domibus ordinis dumtaxat observandam, districtius inhibens, ne quis sine licentia Sedis Apostolicae circa praedictum officium aliquid immutare praesumeret[31]. Hac approbatione liturgia dominiciana, quae ex anno 1256 substantialiter temporibus labentibus eadem et venerabilis remansit usque ad saeculum nostrum, ex parte Summi Pontificis plene agnita est. Ut autem evolutioni liturgicae ex hac probatione non derogaretur, Honorius IV die 1 octobris 1285 ad supplicationem magistri et fratrum ordinis Praedicatorum « immutandi praedictum officium [Humbertinae redactionis], addendo scilicet vel subtrahendo prout per tria capitula generalia praedicti ordinis fuerit ordinatum, dummodo libri ordinati et compositi super praedicto officio non mutentur nec etiam destruantur » facultatem concessit[32].

Sicut iam ante hunc annum semper usus erat, exinde de cetero capitula generalia praescriptiones liturgicas dederunt[33], sive addendo ut anno 1334 orationes in terminatione horarum ad beatam Virginem et de pace « pro tranquillo et sancto statu ordini nostri »[34], vel festa praecipue patronorum civitatum in quibus capitula generalia habita fuerunt[35] aut etiam propriorum sanctorum aut alia[36], sive immutando. Quaedam inchoatio circa rem liturgicam ob plures rationes pensanda sic anno 1321 legitur: « Cum ordo noster debeat se sanctae Romanae Ecclesiae in quantum possibile est in divino officio conformare et in eo praecipue quod per ordinem nostrum de mandato apostolico est confectum, volumus, quod officium de corpore Christi per venerabilem doctorem fratrem Thomam de Aquino editum ut asseritur, per totum ordinem fiat Va feria post festum Trinitatis usque ad octavas inclusive, et dictum officium in ordinario in locis debitis annotetur »[37]. Quo textu non solum de mora edocemur, quam ecclesiastici coetus circa introducenda festa per apostolicam praescriptionem impositam[38] faciebant, verum etiam de charactere nostrae liturgiae.

Dum enim fratres Minores officium curiae Romanae assumpserant et rubricas in forma per Haymonem de Faversham, qui 1240/44 minister generalis exstitit, possidebant[39], liturgia ordinis Praedicatorum per magistrum Humbertum ordinata essentialiter quidem Romana dicenda est[40], praesertim in cantu[41], licet admixtionem ex usibus plurium ecclesiarum maxime gallicarum ut Parisiensis necnon et religionum monasticarum et canonicarum passa sit.

Divinum officium ordinis Praedicatorum sicut sobrietate, perfectione, pulchritudine excellit, ita et religiosa brevitate. « Horae omnes in ecclesia breviter et succincte taliter dicantur, ne fratres devotionem amittant et eorum studium minime impediatur. Quod ita dicimus esse faciendum, ut in medio versus metrum cum pausa servetur non protrahendo vocem in pausa vel in fine versus sed sicut dictum est: breviter et succincte terminetur. Hoc tamen magis et minus pro tempore observetur »[42]. Supponitur hic cantus totius officii[43], qui tamen sicut ipsa sequela chori in aevo dilapsus observantiae decidit[44]. S. Dominicus qui iuxta descriptionem sororis Caeciliae magnam vocem pulchram et resonantem habebat[45], teste Paulo Veneto chorum interdum circuibat hortans fratres « verbis et factis quod bene et intente cantarent et psalmos devote dicerent »[46]. Partes divini officii per noctem et diem statutis horis persolvebantur. Noctu[47]

matutinum seriem orationis liturgicae inauguravit. Cum completorio fratres diem clauserunt. Hora completorii particulari modo apud ordinem Praedicatorum exculta fuit[48], praecipuum decus ex decantatione antiphonae Salve regina obtinens. Quae per B. Iordanum occasione ferae vexationis fratris cuiusdam Bernardi apud Bononiam decantanda post completorium instituta mox per provinciam Lombardiae et per ordinem universum pie recepta est. Ordo igitur Praedicatorum hanc antiphonam liturgiae ecclesiasticae invexit[49]. Et quod haec antiphona fratribus procedentibus persolvitur, forsitan usum illum temporis cruce signatorum ostendit, quibus Salve regina cantus itineris erat[50]. Ad integrandum officium divinum et « pro tempore » officium B. M. V.[51] et saltem ratione consuetudinis « officium mortuorum quod dicitur semel in septimana in conventu »[52] accesserunt. Obligatio ad recitandum officium divinum fratres clericos et sacerdotes obstrinxit[53]. At « praedicatores vel itinerantes cum in via exsistunt, officium suum dicant prout sciunt vel possunt et sint contenti officio ecclesiarum ad quas quandoque declinant »[54], Pressius Humbertus in suis commentariis de conditionibus dicendi officium extra chorum loquitur in eius exacta et religiosa persolutione insistens. « Cum enim habeant fratres multas occasiones dicendi frequenter officium extra chorum et maxima pars paenitentiae nostrae consistat in officio dicendo, qui male dicunt extra chorum officium, maximam partem paenitentiae suae male faciunt »[55].

Consignata est dominicana liturgia iuxta ordinationem Humbertinam in codice archetypo, qui ad exemplar codicis Cisterciensis ritus et consuetudines praebens vergente saeculo XII confectum[56] formatus est, 500 foliis membranaceis, magnitudinis 48/32 cm. constans[57]. Litterae huius prototypi manus scriptoriorum Parisiensium exhibent. Anno 1254 exaratio tanti codicis incoepta et versus annum 1260 absoluta est. Continet enim adhuc inter constitutiones statuta capitula generalis Valencenis habiti 1259[58] In fronte tetragonum quoddam praesentat, in cuius lateribus titulus totius operis characteribus maiusculis indicatur: Ecclesiasticum officium secundum ordinem fratrum Praedicatorum in hoc volumine per quatuordecim libros distinctum hoc ordine. Qui ordo in spatio centrali pariter litteris maiusculis taliter censetur: Ordinarium Martyrologium Collectarium Processionarium Psalterium Breviarium Lectionarium Antiphonarium Graduale Pulpitarium Missale conventuale Epistolarium Evangelistarium Missale minorum altarium[59]. Quia res est de codi-

ce Mendicantium, minime mirandum, si figurae nonnisi quatuor, nempe B. Mariae et angeli, duorumque fratrum ordinis (S. Dominici et S. Petri Martyris, ut supponendum) in fronte et miniaturae parce per reliquum librum inveniuntur[60]. Fatum plurie shic codex liturgicus subiit, donec anno 1841 ad archivum ordinis in Urbe pervenit[61].

Secundum fidem archetypi codicis alia exemplaria formata sunt, quorum « unum est Tolosae, unum etiam Salmanticae, forte et Bononiae et alia alibi »[62]. Hodie prostant exemplaria huiusmodi et Salmanticae, id quidem incompletum[63], et aliud Londinii in musaeo Britannico, quod constat 12 « voluminibus » (desunt breviarium et missale minorum altarium), 579 foliis magnitudinis 26,5/18 cm. et continet praeter exscriptionem prototypi circa annum 1261 perfectam[64] alias partes de liturgia vel constitutionibus ordinis. In secundo folio huius codicis exigua nota haec apposita dicit: « Iste liber factus est pro magistro ordinis quicumque fuerit pro tempore, ut quicumque dubitaverint in aliquo de officio possint per eum rectificari. Non est [recurrendum] ad exemplar quia facile [destruitur] propter operis subtilitatem ». Magister Humbertus, cum breviarium et missale ad privatum usum secum portaret, hos duos libros exemplari suo portabili liturgico inserere supervacaneum probabilius censuit[65].

Correctiones liturgicae annorum 1405 et 1431 (per Ioannem Nider et Guidonem Flamocheti) faciendae committebantur[66].

Lipsiae 1921 venum prostabat Graduale ordinis Praedicatorum circa annum 1260 conscriptum, 418 foliis formatum[67]. In archivo ordinis parvum graduale saeculi XIII adest[68]. Qui codices probabilius sunt copiae ex archetypo Parisiensi.

Post inventam artem typographicam editiones breviarii nostri habentur praelo excusae e. g. Mediolani 1474, Venetiis 1484, 1484, 1487, 1494, Norimbergae 1485, Basileae 1492 e t1497, Parisiis 1505; editiones missalis e. g. Lubecae 1488 et 1502 Venetiis 1494, 1496, 1497. 1500, 1504, Romae 1500.

Liturgia, quae tanta perfectione, unitate, discretione[69] excelluit sicut illa ordinis Praedicatorum, influxum super coetus ecclesiasticos alios habere debuit, quorum res liturgicae non ita bene dissspositae erant. Praecipue dominiciana ordinatio missae tum conpositae erant. Praecipue dominiciana ordinatio missae tum conphos rituum[70] admirationem excitavit, sed etiam in medio aevo interdum ab aliis partim transsumebatur, ut e. g. a monachis Leo-

diensibus[71]. Ordo Crucigerorum missale et breviarium fratrum Praedicatorum adiuncto proprio accepit[72], dum ordo militaris Teutonicorum magis se toti ritui dominiciano conformans nonnisi pauca specialia sibi retinuit[73]. Haec extensio liturgiae dominicianae ad ordinem Teutonicum anno 1244 facta, ex collaboratione horum ordinum in partibus Borussiae explicatur[74].

Innocentius IV quidem die 13 februarii 1244 iis, ut, «cum officium secundum ordinem S. Sepulchri a pluribus fratribus clericis ignoretur, illud secundum ordinem fratrum Praedicatorum in ipsorum domibus ubique celebretur » indulget[75]. Et peracta ordinatione nova liturgiae dominicianae Alexander IV die 27 februarii 1257 iisdem concessit, « ut divinum officium secundum ordinem fratrum Praedicatorum in ordine suo ad quamdam formam religioni suae congruam redactum observent »[76].

In Suecia ex saeculo XII influxus Cistercienses et ex saeculo XIII influxus notandi liturgiae dominicianae in libros liturgicos illius regni apparent[77]. Praeprimi in kalendario[78] maior erat concordantia missalis suecici et dominiciani quam cum alio quocumque, ita ut forma dominiciana quammaxime in traditionem Upsalensem intraverit[79], et « dominicanizatio »[80] partibus pluribus missalis suecici applicetur. Auctoritas fratrum Praedicatorum in Suecia in conventum Aboensem apud Finnos 1249 erectum transiit[81]. A vergente saeculo XIII fundamentum liturgiae in Finlandia ritus fratrum Praedicatorum erat. Kalendarium dominicianum fere exclusive assumebatur et saeculo XV exeunte tum breviaria tum missalia ordinis Praedicatorum titulis aliquibusque paginis mutatis a clero Finlandiae adhibebantur[82].

Animadversio adhuc attendatur de lingua officii missionariorum ordinis Praedicatorum. Etenim fratri Maximo de Constantinopoli anno 1398 a Bonifatio IX facultas fit, si in partibus Graeciae degit, missas et alia huiusmodi officia in lingua graeca celebrandi, « alias tamen iuxta ritum et institutionem ordinis Praedicatorum, cuius professor exsistis, nulla prorsus mutata sententia vel forma verborum ». Ex qua concessione autem minime sequitur conclusio editorum bullarii nostri, eum « sacra graece servato ritu fratrum Praedicatorum »[83] celebrare potuisse.

Variatio cycli liturgici ordinis in kalendario exprimitur. Generatim durante medio aevo officium de tempore peragebatur, paucis exsistentibus festis vel parvo gradu insignitis. Kalendaria saeculo XIII medio[84] exarata cum kalendario anni 1500[85] satis consentiunt.

Accesserunt super festa in prototypo notata praecipue festa Corporis Christi[86], sanctificationis B. Mariae Virginis[87], S. Thomae de Aquino eiusque translationis, translationis S. Petri Martyris, S. Vincentii Ferrer, S. Catharinae Senensis, S. Ludovici[89], S. Eduardi, S. Adalberti, S. Venceslai et plurium patronorum civitatum, ubi capitula generalia fiebant. Aliqua festa gradum altiorem ut festum S. Mariae Magdalenae obtinuerunt, maxime postquam ab anno 1295 fratres Praedicatores ex munificentia domus regiae Andegavensis apud S. Maximinum constituti fuerunt[90].

Pro variis provinciis memoriae (ut S. Petri Martyris, S. Thomae, S. Catharinae[91]) concedebantur, dum in provinciis germanicis praesertim officia de mysteriis variis passionis Iesu et de compassione B. Mariae celebrabantur[92].

Praeter sacras preces liturgicas, quas fratres Praedicatores in suis conventibus peragebant perenni fonti unitatis spiritualis et illustrationis contemplativae inhaerentes ex quo mentem ditarent atque opera apostolatus irrigarent, *orationes privatas* personales Deo dirigebant. Quae orationes quodammodo ad officium divinum eos praeparabant vel in contemplatione post celebratum officium continebant. Ad modum Iesu Christi Salvatoris, qui preces coram Patre fudit et ob suam reverentiam exauditus est, ita S. Dominicus eiusque filii et officiales sacerdotales orationes coram Deo effundebant et privatas preces ac postulationes pro animarum salute maioreque fructu salutis propriae ac mundi universi instituebant. Pernoctabat S. Dominicus interdum coram eucharistico Salvatore in ecclesiis[93]. nonnisi de Deo aut cum Deo loquens sensum et praxim continuam orandi manifestavit et docuit. S. Thomas de Aquino pari devotione liturgica quam orationis privatae excelluit. Postulationi humili et incessanti pro claritate intelligentiae scripturarum et dogmatum, pro obtinenda gratia perseverantiae, sicut et contemplationi se largissime dedicabat[94]. Atque Humbertus copiose de secretis orationibus sectandis disserit, evocans exemplum Salvatoris, S. Dominici, primitivorum fratrum, qui statum pristinum ordinis viderunt, et addens: « quod ea quae sunt de officio ecclesiastico pro magna parte magis sunt laudes quam petitiones: laudes autem competunt statui triumphantis Ecclesiae, quae est in abundantia iam recepta. Huiusmodi vero orationes secretae magis sunt petitiones quam laudes. Petitiones vero magis competunt tatui militantis Ecclesiae, quae est in indigentia et ideo magis sunt huiusmodi orationes necessariae statui in quo sumus »[95].

Traditionem huiusmodi precum personalium tum B. Henricus Suso delicatissimo et affectuosissimis modis tum S. Vincentius Ferrer potenti exemplo in suis saeculis ostendunt. Insuper quicumque de re pietatis vel ascetica in toto medio aevo usque ad efficacissimos piissimosque reformatores observantiae regularis in fine nostrae periodi scripserunt, intelligentiam suae orationis doctrina et facto probarunt.

Ad has preces privatas personales illas preces privatas conventuales nomine iungere volumus, quae in specialibus litaniis[96] vel suffragiis conventualiter dicendis iam in saeculo XIII sicut et postea imponebantur .

§ 23. Devotiones et confraternitates.

Lumine atque ardore superno insigniti fratres Praedicatores divinissimum et dulcissimum *nomen* Salvatoris *Iesu* pandebant. Inter orationes et hymnos, quos S. Dominicus itinerando recitabat etiam strophe « Iesu nostra redemptio » inveniebatur[1]. Si B. Reginaldus « indefesso cordis fervore praedicabat Iesum Christum »[2] in nomine Iesu utique vim faciebat. Atque de Henrico Coloniensi dictum est: « Nomen Iesu admonere consueverat omni reverentia cultuque dignissimum: nomen inquam quod est super omne nomen in tantum ut usque hodie cum in Ecclesia aut praedicatione sacrum hoc nomen sonuerit, multorum cordium ad alicuius exhibitionem reverentiae confestim expergefiat devotio ». Sic de suo amico B. Iordanus[3], cuius litterae spiritum Salvatoris redolent[4]. Petrus Sendre Hispanus et B. Isnardus Papiensis ad invocationem nominis Iesu Christi languentibus sanitatem restituebant[5]. S. Petrus Martyr fraternitatem eorum, qui « laudesi » vocabantur, per quos gloria nominis Iesu coleretur, instituit. Potentissimus verbi divini annuntiator Ioannes Vicentinus turbas ad eum audiendum congregatas vocibus « Laudetur Iesus Christus » salutavit. B. Ambrosius Sansedoni nomen Iesu praedicans cessionem a rixis intestinis Senensium impetravit. B. Aegidius Lusitanus sua veneratione eximia dulcissimi nominis Salvatoris excelluit. Et Walterus de Meissenburg testante Thoma Cantimpratano ad salutationem angelicam vocem Iesu addidit[6].

Expleto concilio Lugdunensi II Gregorius X modum se in ecclesiis habendi devotum ac reverentiam specialem nomini Iesu capitis inclinatione exhibendam voluit[7]. Quod non solum magister B. Ioan-

nes Vercellensis, verum etiam capitulum generale 1278 fratribus imposuit: « quod quandocumque nomen Domini Iesu Christi nominetur omnes fratres inclinent capita sua propter reverentiam crucifixi »[8]. Ex hoc tempore devotio particularis mox in fraternitatem excrescens Praedicatorum versus nomen Iesu derivatur[9].

Cultor insignis amantissimi nominis Iesu et propagator cuiusdam fraternitatis in huius honorem B. Henricus Suso (videatur amoenissimum capitulum 48 eius vitae) exstitit, dum seraphica virgo Senensis eiusdem aevi vi sanctissimi nominis Iesu actionem ac litteras suas mire roboravit[10]. Poesi « laudum » Iesu B. Ioannes Dominici eminebat[11], dum S. Vincentius populis illa verba « sanctificetur nomen tuum » serenitate sua exposuit[12]. In Germania septentrionali et inferiore plures fraternitates in venerationem nominis Iesu constitutae sub moderatione fratrum Praedicatorum fuisse videntur. Illa prope conventum Seehusensem in Saxonia erecta per Bonifatium IX die 31 octobris 1401 indulgentiis ditatur[13]. Ulyssipone apud Lusitanos 1432 fraternitas SS. Nominis instituta perhibetur, quám Andreas Diaz calamitate pestis erexit[14]. Etiam apud Hispanos haec devotio invenitur[15]. In Italia Raphael de Pornasio (✝ 1465) de nomine Iesu scripsit[16].

Devotio *passionis* Salvatoris nostri ab initio ordini Praedicatorum naturalis fuit, cum Iesum Christum et hunc crucifixum praedicare debuerint eumque ante praedicationem contemplati sint et in mortificationibus ad modum suum imitati[17]. Ex meditatione passionis Christi apud fratres Praedicatores non solum exempla mortificationis sed etiam expositiones clarissimae theologicae atque asceticae et repraesentationes artium in ecclesiis conventibusque sive per fratres (ut Ioannem Faesulanum) sive per alios artifices elaboratae prodierunt. Imo quod tot membra ordinis sacris stigmatibus ex amore compassivo insigniebantur, gratia est profundum cultum crucifixi Praedicatorum ostendens[18]. Citentur e. g. expositio S. Thomae de passione Domini[19], illae 100 meditationes B. Henrici Susonis de passione Christi, memorentur meditationes Tauleri et expressione fortissimae imagines ac lineae, quibus S. Catharina passionis dominicae mysteria considerat, vel etiam praedicationes concionatorum paenitentiae saeculi XV ac meditationes Hieronymi Savonarola[20] de simili argumento. B. Alvarus Cordubensis forsitan primus fuit, qui viam crucis erexit[21].

Ex honore religioso passioni Domini oblato veneratio vulnerum Salvatoris iam in « Vitis fratrum » per Dominicanos illustrata provenit[22], sicut et cultus sanctae crucis necnon et instrumentorum passionis ut coronae spineae ac lanceae et clavorum.

Corona Domini ab imperatore Ioanne Vatazes Balduino II et ab illo Ludovico IX Franciae regi anno 1239 tradita per Andream de Longjumeau et Iacobum nostros ex urbe Constantinopolitana in Franciam delata est. Reliquias varias ex hac corona venerabili S. Ludovicus et fratribus et conventibus ordinis donavit[23]. Et festum coronae in ecclesiastico officio ordinis subito introductum esse videtur, cum circa medietatem saeculi XIII in kalendario ordinis fuerit[24].

Ex meditatione passionis Salvatoris et eius amore, quo cruciatus pro redemptione hominum subire desideravit, devotio erga divinum *Cor Iesu* pullulavit[25]. Circa annum 1250 unus ex filiis S. Dominici e conventu Magdeburgensi piissimae Mechtildi imposuit, ut visiones suas consignaret. Ita merito ordinis de prima revelatione cordis Iesu, quae in litteris hucusque perviis habetur, edocemur. In libro « Lux divinitatis » inscripto begina Mechtildis asseritur, Dominum ad eam dixisse: « In hoc Praedicatorum ordine duo, id est statum cultum et fructum multum adeo complectens amo, quod eisdem coiucundans semper arrideo ex mei beneplacito cordis multo »[26].

Albertus Magnus eucharistiae institutionem ex amore ferventi explicat, quo cor Dei et hominis Iesu Christi in homines flagrabat. Idemque sanguinem ex corde Iesu crucifixi fluxisse relevat. Novam considerationem in cultu cordis Iesu magister Ekkehartus addit, nempe praesentiam sanctissimi cordis Salvatoris in sacramento eucharistiae. Deinde quae Tauler, B. Henricus Suso, venerabilis Margarita Ebner necnon turmae mysticorum et mysticarum praesertim Germaniae de hac devotione habent, summe animos pios aedificant[27]. In Italia S. Catharina veneratione divini cordis excellit, sicut et testimonia eiusdem rei apud S. Antoninum et Hieronymum Savonarola aliosque adsunt[28].

Et quid de habitudine pietatis et devotionis ordinis erga divinum sacramentum *Eucharistiae*[29] dicamus? Quae certe in adoratione coram tabernaculo, in exercitio frequentioris celebrationis missae et faciendae communionis, in clariore doctrina de hoc mysterio, in introductione festi specialis continetur. S. Dominicus ante altare, in quo SS. Sacramentum custodiebatur, in oratione interdum pernoc-

tabat[30]. Et Humbertus profundam inclinatonem fieri coram altare maius notat « propter reliquias et imagines sanctas, quae solent vel iuxta esse, maxime autem propter corpus Domini, quod ibidem servatur »[31].

Quoad celebrationem saeculo XIII minime in genere quotidianus sacer ritus a fratribus sacerdotibus fiebat. De ipso S. Thoma de Aquino dicitur, quod « singulis diebus... missam unam celebraret aliam audiret vel duas integre missas si non celebrasset audiret »[32]. Aliqua capitula provinciarum eos qui non crebro celebrabant hortabantur, ut circa frequentem celebrationem solliciti sint[33]. Ex vergente medio aevo usus quotidie celebrandi supponitur. Pro fratribus non celebrantibus dies communionis statuti erant[34]. Exempla et sanctissimi desiderii suscipiendi corpus Domini et frequentioris communionis apud animas mysticas occurrunt. Ekkehartus, Tauler, B. Henricus Suso, S. Agnes de Montepolitiano, S. Catharina pro hoc asserendo verbis et praxi inter alios adducuntur. Confraternitates rosarianae dein cultum eucharisticum in saeculo XV auxerunt[35].

Merito ordo Praedicatorum de doctrina sua circa Eucharistiam gloriatur. B. Albertus Magnus teste Bernardo Gui[36] in fine vitae suae de sacrificio missae et de Eucharistia scripsit profitens: « Quia de Sacramento altaris multa sunt, quae specialem habent difficultatem, ideo haec ad finem reservavimus ut cum devotione et subtilitate ad haec tractanda vacaremus ». S. Thomas de Aquino prorsus doctor et cantor eucharisticus evasit.

Postquam S. Thomas quaestiones de sacramento Eucharistiae plene explicavit, nuntii dissolutionis suae terrestris advenerunt. Solemnia haec verba faciens ante susceptionem viatici e vita migravit: « Ego de isto sacratissimo corpore Dei et Domini nostri Iesu Christi et aliis sacramentis multa docui, multa conscripsi in fide Christi Iesu et sanctae Romanae Ecclesiae, cuius correctioni cuncta subicio, cuncta expono »[37]. Et magnifice approbatus est, quia eius verbis comitantibus omnis ritus circa divinam eucharistiam in Ecclesia per saecula peragitur et celebratur.

Ad festum corporis Christi in regione Leodiensi et deinde per Ecclesiam habendum Hugo a S. Caro primum velut provincialis Franciae, et postea tamquam cardinalis legatus summis industriis collaboravit[38]. Aquinas vero « de mandato Urbani IV » officium mirabile tanti festi composuit[39]. Demum anno 1451 pontificiis indulgentiis ditata est confraternitas SS. Sacramenti in conventu Cremonensi exsi-

stens[40], anno 1475 Buscoducis fratribus Praedicatoribus capellam SS. Sacramenti cum speciali fraternitate erigentibus.

Devotio erga *B. Mariam Virginem* a fundatore S. Dominico ad ordinem transiit. Sanctuarium B. Mariae de Prulio eum primosque socios eius accepit, antequam conventus Tolosanus fundatus est. In professione religiosa fratres obedientiam vel beatae Mariae promittunt[41], quod specialiter a nostris scriptoribus notatur. Deinde quod B. Iordanus cantum « Salve regina » in liturgicum usum invexit, quod summi doctores B. Albertus et S. Thomas aliique praeclarissime et devotissime de alma genitrice Dei sentierunt, quod mystici mirificis laudibus eam honorarunt, quod validissimi praedicatores eam ad animarum salutem opportunissime velut refugium peccatorum et stellam maris proposuerunt, quod semper fratres fraternitates B. Mariae direxerunt, quod Franciscus de Retz magister theologiae « quandocumque sabbatinis diebus inter doctores ordo legendi hunc tetigit fueritque thema textus quodcumque pro medietate lectionis ad laudem gloriosae virginis Mariae tam aperte deflexit, ut stuperent frequenter, qui hoc audierunt et eodem tempore frequenter ex devotione in tantas prorupit lacrimas, ut vix verba pro fletu intellegibilia scholae, formare posset »[42], quod Ioannes Faesulanus pictor admirabilibus lineis et coloribus B. Virginem pro altaribus, dormitoriis, cellis depinxit, quod Alanus de Rupe cum sociis suis rosarianam pietatem eximio modo instauravit, haec cuncta documento sunt, quantis meritis fratres Praedicatores cultum devotionemque almae Virginis promoverunt[43].

De familiaribus commerciis pietatis B. M. V. in fratres Praedicatores ex narrationibus « Vitarum fratrum »[44] ac commentariis saeculorum sequentium aedificationis exempla summa adsunt.

Recitarunt fratres clerici ex primitivis diebus ordinis officium « de beata Virgine pro tempore »[45]. Salutatio angelica, cuius maior usus in saeculo XIII intrante probatur[46], ab anno 1266 ad officium fratrum conversorum extenditur, qui super tot et tot Pater noster addant tot et tot Ave maria[47].

In privata prece non solum salutationes angelicae multiplicabantur[48], verum etiam saepius fila sive cordulae cum nodulis, quibus oratio Ave Maria numerabatur, usui erant. Qui modi numerandi preces etiam Paternoster vel rosaria vocabantur[49]. Romaeus de Levia († 1261) « cordulam cum nodulis, quibus mille Ave Maria in die numerare solitus erat, firmiter manu tenens » obiit. In capitulo pro-

vinciali Romano anni 1261 fratribus conversis inhibetur, « quod paternoster de ambra vel corallo non portent, qui portare praesumpserint per priores priventur iisdem »[50]. Dum ergo huiusmodi media numerandi preces ex notabili materia confici non debuerunt, tamen usus huiusmodi precularum sicut apud laicos et regulares et clericos ita etiam apud fratres Praedicatores viguit. Lapis sepulchralis delphini Humberti II († 1356) plures fratres Praedicatores, haec paternoster habentes, ostendit[51]. Continuantque exempla usque ad aevum recentius, in quo quidem nomen rosarii pro devotione psalterii sive rosarii B. Mariae reservatum est[52].

Ad propagandam pietatem in gloriosissimam Virginem apud conventus fraternitates B. Mariae dirigebantur a piis laicis frequentatae, e. g. ab anno 1255 Mantuana, 1256 Florentina, 1258 Perusina et Papiensis, 1259 Placentina, 1288 Urbevetana, quae vocatur « congregatio societatis B. M. V. et S. Dominici »[53]. Anno 1346 « fratres et sorores de fraternitate B. Virginis provinciae Teutoniae conventus Basileensis » in communionem precum ordinis a magistro Garino recipiuntur. Anno 1385 titulus est illi unioni « confraternitas B. Virginis Mariae, B. Dominici patris nostri, B. Petri martyris et B. Thomae doctoris eximii »[54]. Traiecti ad Rhenum fraternitas B. Virginis « apud Iacobinos » exstitit[55]. Quae confraternitates vergente medio aevo in illas psalterii seu rosarii transierunt.

Etsi in devotione Mariana ordo Praedicatorum eminebat, tamen quamdam incomprehensionem saltem ex saeculo XIV circa doctrinam de immaculata conceptione B. Mariae, tunc temporis in dies populariorem, incurrit[56]. Praeter fratres anglicos[57] et aliquos germanicos praecipue ad gradus academicos promovendos[58], magistri dominiciani cum aliis magistris in hac re dissenserunt.

In altera medietate saeculi XV ex devotione multiplici, qua nostri B. Mariam Virginem prosequebantur, illa rosariana exculta est et in possessionem canonicam ordinis Praedicatorum transiit[59]. Cuius motus pietatis Alanus de Rupe (de la Roche, van der Clip) venerandus creator exstitit, qui Brito natione, circa annum 1428 ortus, filius provinciae Franciae, post lectas Parisiis sententias in conventu Insulensi anno 1462 docebat. Forsitan anno 1463, et quidem probante episcopo Tornacensi Guillelmo Filastre devotionem Marianam speciali dispositione confectam promovere coepit, ad quam superno monitu inspiratum se dixit quamque psalterium B. Mariae Virginis appellavit[60]. Ut devotionis stabilitati provideret, confra-

ternitates erexit, primam Duaci sive inter annos 1464 et 1468, dum Duaci lectorem agebat sive anno 1470 prout diversi diverse referunt[61]. Anno 1468 conventui Gandavensi assignatus ad ideas suas neerlandice exprimendas opem fratris Iacobi Weyts adhibuit, sicut postea anno 1470 et sequentibus, cum apud universitatem germanicam Rostocensem doceret, illam prioris Rostocensis Carboin. 1474 ad conventum Zwollensem venit mox moriturus (1475)[62].

Modus, quem de psalterio dicendo invenit, talis est: 150 clausaulae, quae ad vocem et mysterium quoddam Iesu referuntur, in salutatione angelica legendae apponuntur. Huiusmodi clausulae secundum quinquagenas de vita, de passione, de resurrectione Domini distinguntur. Et ne propter varietatem 150 clausularum memoria falleretur, lectio psalterii supponebatur[63]. Respuit Alanus nomen rosarii tamquam saeculare vel mundanum pro hac devotione. A Dominico Prutheno O. Cart. (✝ 1461) formatore rosarii 50 clausularum Alanus differt in sua devotione tum augmento clausularum ad 150, tum nomine mutato devotionis tum reiectione meditationis tamquam rei necessariae in psalterio habendae. De cetero autem circa suas relationes amicitiae cum Cartusianis ipse Alanus saepe testatur[64].

In congregatione hollandica anno 1470 omnia membra confraternitatis psalterii Duacenae ad merita ordinis admittebantur[65]. Per congregationem hollandicam et adiacentes provincias devotio et confraternitates psalterii B. M. V. vel (post mortem Alani) communiter rosarii dictae[66] felicissime multiplicabantur.

Iam die 8 septembris 1475 Coloniae apud Praedicatores promovente insigni Iacopo Sprenger, imperatore Friderico III aliisque dignissimis praesentibus viris clarissima confraternitas rosarii instituta est, die 10 martii 1476 auctoritate pontificii legati a latere episcopi Alexandri Foroliviensis confirmata, specialibus indulgentiis concessis pro membris confraternitatis « quotiescumque per se vel per alium rosarium B. Virginis, quod quinquaginta Ave Maria cum quinque Pater noster continet, legerint vel legi fecerint »[67]. Sixtus IV eiusque successores, annis 1478 et 1479, gratias spirituales rosarianae devotioni tribuerunt. Alexander VI die 13 iunii 1495 hac occasione « S. Dominici huius confraternitatis rosarii olim praedicatoris eximii » meminit, in qua assertione « ut pie creditur » S. Pius V[68] et tandem multi Summi Pontifices eum secuti sunt.

Post bullam diei 12 maii 1479, qua prima vice pro universali Ecclesia devotio rosariana approbata est[69], magister ordinis anno 1481 Heningo Quitzow licentiam praedicandi ubique et maxime psalterium B. Virginis secundum litteras apostolicas ei concessas tribuit[70] et anno 1482 Ioanni Erfurdensi. In cuius litteris etiam participatio bonorum spiritualium ordinis ex parte adscriptorum confraternitatis psalterii exprimitur[71]. Tandem in capitulo generali Romano anni 1484 indulgentia a Summo Pontifice concessa communicatur pro « dicentibus psalterium, quod de B. Virgine seu rosarium dicitur et his qui de societate seu confraternitate dicti psalterii nuncupantur »[72]. De qua autem concessione sicut et de quibusdam piis zelatoribus in actis convocationum congregationis hollandicae anno 1485 cavetur, ne quis « huiusmodi gratiam in ambone publice praedicare audeat donec plenariam intelligentiam a reverendissimo magistro desuper habeamus »[73]. Membra congregationis hollandicae (ut François, Sneek)[74] et provinciae Saxoniae (ut Lossow)[75] et Teutoniae (ut Sprenger) non solum modo academico de rosario disputarunt sed etiam sermones atque expositiones de eodem argumento pietatis publicarunt[76], dum Itali nonnisi post fratres septentrionales de hac devotione locuti sunt. Tandemque anno 1488 praedicatio et confraternitates rosarianae per Italiam spargi incipiunt[77]. Et intrante saeculo XVI rosariana praxis per orbem antiquum et novum Americae diffundebatur. Dum fratres Minores B. Mariam Immaculatam pectore et ardore glorificabant, fratres Praedicatores in honorem genitricis Dei rosarium velut devotionem populo acceptissimam atque ad animarum immensum fructum praedicabant et precabantur[78].

De confraternitatibus ordinis Praedicatorum notandum est, Innocentium VIII die 26 iulii 1486 in bulla exordiente « Sacer Praedicatorum ordo » praeter privilegia et gratias in genere concessa denuo roborata, quasdam gratias indulgentiarum specialiter confirmasse et indulgentias novas confraternitatibus rosarianis tribuisse[79].

§ 24. Fratres martyrio vel pietate illustres.

Praeter fortitudinem martyrum, qui gloriose pro veritate catholica vitam mortalem immolarunt, etiam lucida exempla confessorum adsunt. Et famosiores utriusque characteris fratres nunc recenseantur.

Martyres praecipue inter inquisitores et missionarios inveniuntur. Anno 1233 Henricus Lovaniensis cum socio Bremae a sectariis discerptus est[1], dum celeberrimus Conradus Marburgensis inquisitor ordinis nostri non fuit[2]. Martyrio diei 29 maii 1242 Guillelmus Arnaud inquisitor Tolosanus cum Bernardo di Rochefort ac Garcia d'Aura converso sublimatus est[3]. Eodem anno Pontius de Planetis inquisitor Catalauniae martyr obiit, sequentibus anno 1252 Petro Veronensi cum socio converso Dominico apud Italos[4], et 1260 apud Tolosanos Francisco Tolosano atque in Aragonia Bernardo de Traversara, 1271 Ioanne Tolosano, 1277 Pagano Lombardo et Petro inquisitore Catalauniae et Aragoniae[5]. Postquam anno 1315 Arnoldus in partibus Austriae sectariis occubuit[6], in Pedemontana regione 1365 Petrus Cambiani de Ruffia, 1374 Antonius Pavoni, 1466 Bartholomaeus de Cerveriis triumpharunt[7]. Pragae p. Schwenkfeld inquisitor anno 1341 necatus est[8].

Deinde quod attinet ad martyres missionarios non solum illi, qui in longinquis regionibus trucidati sunt, computentur sed etiam illi qui in confiniis Europae conversioni infidelium vel unioni ecclesiasticae efficiendae insudarunt. Huc spectant fratres provinciae Hungariae et Poloniae irruentibus Tataris in odium fidei occisi, ut anno 1241 (circiter 90 fratres necati)[9] et anno 1259 (martyrium Sandomirense Sadoci et sociorum)[10]. Circa martyrium in terra Halicensi saeculi XIII historiographi accurati valde tacent. An Dominicus episcopus de Fez martyr anni 1232 ordinis Praedicatorum fuerit, non constat[11]. In Africa septentrionali 1280 quidam Reginaldus de Piperno[12], postea anno 1460 Antonius Neyrot martyrio cursum vitae finivit[13]. Anno 1256 magister Humbertus ordini nuntiat, ultimo anno inter defunctos « duo a paganis sunt pro iustitia interfecti, duo a Saracenis decapitati sunt in Terra sancta, quorum nos orationibus magis quam ipsi nostris forsitan indigemus »[14]. Insuper in oriente a saeculo XIII tum in Syria Antiochiae 1268 Stephanus vicarius patriarchae et Boninsegna Cicciaporci cum aliis Tripoli 1289, Ptolemaide 1291, in Persia, in Armenia[15], in cofaciis Russiae et Lithuaniae pluri- prope mare mediterraneum siti sub irruentibus Turcis ad gloriam mi violenta morte consummabantur[16]. Neque tandem oblivioni tradantur phalanges heroum, quas Bohemia sub Hussits et conventus Dei et Ecclesiae sacrificarunt. In Bohemia circiter fratres centeni trucidati sunt[17] et in unico conventu Otrantensi anno 1480 plures patres suppliciis cruciabantur[18].

Confessorum laude et luce tempora sua et religionem (praeter fundatorem et socios[19] ipsius aliosque mox nominandos canonizatos) plurimi fratres illustrabant. Hispanica natio[20] Mannem germanum S. Dominici, Petrum Gonzalez, Dominicum et Gregorium, Dalmatium Moner multosque alios, inter quos etiam Munio de Zamora citatur[21], excellentioris vitae fragrantes protulit, dum Lusitani Gundisalvum de Amarante, Aegidium, Bernardum Morlacensem praecipue exhibent[22].

Galli[23] in Reginaldo Aurelianensi non solum efficacissimum adiutorem S. Dominici Bononiae et Parisiis sed etiam ardentem sanctumque virum suum specialiter dicunt[24]. Iuxta eum Bertrandum de Garriga, Hugonem de S. Caro, Petrum de Tarantasia sive Innocentium V, Humbertum de Romanis[25], Robertum d'Uzès (ex anno 1292 in ordine, † 1296)[26] famosissimum et eximium in saeculo XIII, venerabiles habuerunt. Postea autem inter alios magister generalis Elias Raymond sanctae conversationis fuisse laudatur[27], dum cultus Andreae Abellon confirmatus est[28] et Bartholomaeus Texier magister ordinis beati titulo interdum[29] decorabatur.

Itali[30] magistrum Clarum[31], Ioannem Salernitanum, Nicolaum de Iuvenatiis, Gualam, Isnardum, Bartholomeaum de Bregantia, Ioannem Vercellensem, Ambrosium Sansedonium, Iacobum de Voragine, Benedictum XI, Iacobum de Mevania, Iordanum de Rivalto Pisanum, Iacobum Salomonium, Simonem Ballachi conversum, Iacobum de Benefactis, Marcolinum de Forolivio[32], Andeam Franchi[33], Alexium Strozzi († 1374)[34], Venturinum Bergomensem († 1346)[35] habent. Quibus absque interruptione Raymundus Capuanus, Ioannes Dominici[36], Manfredus de Vercellis[37], Ioannes Faesulanus pictor angelicus[38], et series illorum beatorum in conventibus reformatis Italiae florentium saeculo XV[39] connectuntur.

Oculos ad provincias germanicas[40] vertentes ante omnia ubertatem summam venerabilium fratrum miramur, quorum memoria autem tempore scissionis religiosae fere generatim oblivioni mandata est. Dedit Germania pulcherrimos illos viros Iordanum, Albertum Magnum, Henricum Seuse, Iacobum Griesinger ab Ulma altaribus Ecclesiae[41], et praeter eos produxit e. g. Henricum primum priorem Coloniensem amicum Iordani[42], Ioannem Teutonicum magistrum ordinis, Gualteros multiplices maxime Argentinensem[43], Elgerum, Reynherum[44], magistrum « sanctum » Ekkehartum[45], Ioannem Tau-

ler, Conradum de Grossis sive de Prussia, Ioannem Mülberg, Eberhardum Norimbergensem, Iacobum Nider, Franciscum de Retz, Ioannem Polender, Petrum Confluentinum[46].

In Saxonia e. g. Arnoldus Teutonicus, Wichmannus[47], Burchardus Hidding de Minda[48], in Hollandia et Belgio Zegherus Insulensis, Otto Gandensis, Guinandus Traiectinus, Henricus Lovaniensis, Nicolaus et Raynerius Brugenses, Nicolaus Harlemensis, Alanus de Rupe eminebant[49].

Inter Hungaros Mauritius († 1336)[50], inter Croatos Augustinus Zagabriensis sive Lucerinus († 1323)[51], inter Polonos Ceslaus[52] cultum ac famam et Ioannes de Franckenstein cum Petro Wichman[53] laudem obtinuerunt.

Ex Daciae fratribus particulari virtute floruerunt provincialis Rano († circa 1233), Simon praedicator Norveciae († 1263), Ioannes († 1448) et Matthaeus († 1490) de Roschildis, Steno de Skara († 1482)[54]. Anglia[55] praesertim Laurentio uno ex sociis S. Dominici, et postmodum David et Britio gloriatur.

§ 25. Cultus sanctorum et beatorum.

Dum fratres Minores iam duos sanctos canonizatos habebant[1], ordo Praedicatorum in Ecclesia iam actione conspicuus nec ipsum suum fundatorem liturgica commemoratione colere potuit. Gregorius IX antea cardinalis Hugolinus, de hoc miratus est, sed et providit. Signis enim venerationis egregiis praecedentibus et peracta translatione corporis Dominici die 24 maii 1233 praeside B. Iordano et provinciali Stephano multisque praelatis assistentibus populisque per praedicationem Ioannis Vicentini ad devotionem erga Dominicum excitatis necnon habitis miraculis ipso anno 1233 processus canonizationis fundatoris Praedicatorum motus est[2]. Die 13 iulii initium huius processus a Papa ordinatum et die 6 augusti incoeptum est. Testium auditiones per commissarios pontificios percipiendae usque ad diem 17 augusti Bononiae durabant, dum 19 augusti per commissarios Bononienses subcommissio Tolosana adhuc instituebatur. Finitis inquisitionibus Bononiensibus de miraculis receptaque informatione Tolosana commissarii pontificii acta sua Sedi Apostolicae porrexerunt. Post discussionem in Romana curia Gregorius IX die 3 iulii 1234 Reate dedit bullam «Fons sapientiae», qua S. Dominicum caelitibus adscriptum esse nuntiavit, assignato festo novi sancti pro die 5 augusti, cum dies obitus S. Dominici 6 augusti per S.

Sixtum pontificem et martyrem occuparetur[3]. De instante canonizatione S. Dominici Raymundus de Pennafort magistrum Iordanum Argentinae tunc commorantem certiorem reddidit, qui cum illo conventu solemnitatem « cum gaudio » fecit[4].

Sub B. Ioanne Vercellensi magistro ordinis capitulares Montispessulani 1265 congregati rogarunt « priores et fratres universos, quod cum ad honorem beati Dominici patris nostri fiat Bononiae structura solemnis, si aliquod subsidium impertiri voluerint, illud priori Bononiensi transmittant ne propter defectum expensarum opus remaneat incompletum »[5].

Sculptor famosus Nicolaus Pisanus eiusque coadiutores arcam, quae reliquias S. Dominici dignius conderet, usque ad annum 1266 perfecerant. Atque anno 1267 occasione comitiorum ordinis convenientibus plusquam 500 fratribus praesentibusque dignissimis episcopis ex ordine, Bononia tota plaudente, archiepiscopus Ravennas novam elevationem reliquiarum sacrarum Dominici peregit, B. Bartholomaeo de Bregantia sermonem faciente[6]. Ampliationes novae circa arcam annis 1411 et 1469 institutae notantur[7]. Officium ecclesiasticum S. Dominici varias formationes subiit. Etenim ad id non solum Iulianus de Spira O.F.M. notissimus musicae peritus et poeta liturgicus, verum etiam postea Constantinus Urbevetanus noster ingenium applicabant[8]. Laus deinde Dominici in precibus privatis fratrum et sororum per tempora sonabat[9]. Atque imagines in ecclesiis, conventibus et monasteriis beatum patrem ordinis parentem saepe addita filiorum filiarumque corona repraesentarunt.

Citius canonizationis res pro Petro Veronensi inquisitore processit. Qui cum inter Comum et Mediolanum iret die 6 aprilis 1252 per sicarium nomine Carinum, postea sanctitate pollentem in ordine defunctum, percussione dira capitis ictus obiit et instante Innocentio IV, ut inquisitoribus exemplum magnum proponeretur, die 25 martii 1253 litteris pontificiis Perusiae datis canonizatus fuit[10]. Eius cultus per universum orbem dominicianum mire diffundebatur, fundationibus ei dicatis, picturis et memoriis etiam tributis[11]. Sepulchrum eius «in forma et materia simile per omnia sepulchro beati Dominici patris nostri»[12] fratres Mediolanenses anno 1335 coeperunt collatione fraterna stipendiorum extraneorum freti. Quod opus manu atque arte Ioannis Balducci feliciter absolutum pro anno 1340 exstitit, in quo celebrationes eximiae Mediolanensium S. Petrum eiusque reliquias honestaverunt[13].

Tertia causa eaque clarissima canonizationis in ordine Praedicatorum illa S. Thomae de Aquino evasit. Quae ab anno 1316 sedulius promota, processibus informativis anno 1319 Neapoli et 1321 Fossae Novae institutis per Ioannem XXII die 18 iulii 1323 Avenione solemnissima festivitate perfecta est, officio liturgico S. Thomae per Guillelmum Adae O.P. composito[14]. Cultus « sancti » doctoris in Ecclesia et in ordine exinde insigni modo crevit[15]. Anno 1369 corpus et caput Aquinatis decreto Urbani V Tolosae condita sunt, a plausu Tolosatium excepta[16].

Ad augendum numerum canonizatorum et honorem ordinis Calistus III die 29 iunii 1455 solemniter Vincentium Ferrer caelitibus adscripsit[17]. Postquam Ioannes dux Britanniae († 1442), in cuius territorio Vincentius anno 1419 obierat, Martinum V et Eugenium IV ad canonizandum hunc virum impulit, Nicolaus V anno 1451 informationes circa causam ordinabat, quae in civitatibus Venetensi (Vannes) Tolosana et Neapolitana explebantur[18]. Magister « Martialis Auribelli fecit »[19] officium S. Vincentii pro usu liturgico, et die 5 aprilis 1456 ingentibus pompis civilibus et religiosis gloriosior tumulatio apud Venetensem cathedralem locum habuit[20].

Sub eodem Auribelli et quidem die 29 iunii 1461 Pius II ad altaria promovit S. Catharinam Senensem[21], cuius causa iam per processum Venetum anni 1411[22] aliisque depositionibus praeparata per Pium II ab exordio pontificatus dilecta ad finem perducta est. De officii eius compositione Pius II ipse et Thomas Schifaldo Siculus laudem sibi disputant[23]. In operibus artis necnon et in devotione populari praesertim apud moniales et tertii ordinis membra S. Catharina venerationem eximiam obtinuit[24].

Confirmationis cultus ex pontificatu Sixti IV exemplum reperitur. Etenim Matthaeus Carreri Mantuanus, qui die 5 octobris 1470 pie obdormivit « continuo ecclesiastico cultu est prosecutus, cuius approbationem ordinis magister generalis Salvus Casetta a Panormo, ab Xysto IV pontifice petiit, vivoque vocis oraculo 8 februarii 1482 obtinuit, iussitque corpus beati Matthaei, quod in ecclesia S. Petri Martyris asservabatur, e veteri tumulo in novum maiusque eodem in templo transferri. In festo dedicationis huius ecclesiae eius memoriam solemnem fieri voluit »[25].

Ex specialibus distinctionibus cultus defunctis nostris tributis vel ex causis canonizationum in medio aevo ipso promotis has enumerare libet. Anno 1256 iam testimonia de miraculis ope Petri Gon-

zalez patratis ad capitulum generale relata sunt[26]. Iordanus de Saxonia iussu capitulorum generalium 1261, 1262, 1263 exinde « venerabilis pater bonae memoriae » nominandus erit[27]. Annis 1278 mandatur praedicatoribus, ut « fratris Pagani [de Lecco, ✝ 1277] martyrium populis studeant nuntiare et tam ipsius quam aliorum miracula conscribantur »[28]. Iterum anno 1334 consignatio vitarum miraculorumque « fratrum nostri ordinis, qui nunc clarent et ab olim miraculis claruerunt » inculcatur[29].

Interea pro canonizando Raymundo de Pennafort anno 1279 primi passus et plures postea facti sunt, anno 1317 ipso capitulo generali canonizationem petente, donec ab anno 1318 res amplius non processit[30]. Ex compilatione vitae B. Margaritae de Hungaria (✝ 1270), anno 1340 finita, auctore magistro Garino « de mandato fratris Hugonis magistri » generalis facta constat « de rotulis seu diffusis dictis testium iuratorum coram inquisitoribus a Sede Apostolica super hoc datis ». Processus iam sub Gregorio X incoeptus et per Innocentium V et Ioannem XXI protractus erat[31].

Cum instantibus rege et clero Sueciae viri plures venerabiles illius terrae concilio Constantiensi ac Sedi Apostolicae pro honore altarium commendarentur, his nominibus etiam Ingridis monialis (✝ 1282) accensebatur. Martinus V die 7 martii 1418 quaestionem super his causis instituendam decrevit[32], de cuius exitu autem nil constare videtur.

Albertum Magnum, quem Pius II in oratione Mantuae habita ore proprio Beati titulo decoravit, eumque inter doctores Ecclesiae post Aquinatem recensuit[33], magister Salvus Casetta ipse die 11 ianuarii 1483 speciali cultu honoravit, cum eius corpus in illustriorem locum elevaverit[34]. Sixto IV pontifici brachium B. Alberti per magistrum Casetta allatum est et Innocentius VIII altare erigere et officium in venerationem magni et beati illius doctoris concessit[35]. Sed incuria fratrum, canonizationis negotium desiderio usque nunc relictum est.

Testimonia cultus venerabilibus nostris fratribus tributi merito quoque in picturis tabulisque ecclesiarum et capitularium aularum cernuntur, ut in illis, quas arte et pietate Ioannes noster Faesulanus creavit.

b) VITA ET ACTIO SCIENTIFICA.

Ut praedicationem sui ordinis efficacem redderet S. Dominicus obligationem studii in constitutiones posuit[1]. Fratres quosdam priores ad scholam Tolosanam magistri Alexandri misit[2]. Fundationem Parisiensem eo fine instituit, « ut (fratres) studerent et praedicarent et conventum facerent ». Ipse 1219 Parisiis cellulas pro studiis ordinavit. Tunc 30 religiosos reperit, dum 1224 eorum numerus ad 120 auctus est[3]. Non solum monuit S. Dominicus « quod fratres semper studerent in novo et veteri testamento », « quod semper intenti essent lectioni, orationi et praedicationi »[4] sed et in capite constitutionum anni 1228 habetur, dispensationem dandam esse fratribus, ubi necessitas in fine ordinis assequendo id exigeret, « cum ordo noster specialiter ob praedicationem et animarum salutem ab initio noscatur institutus fuisse et studium nostrum ad hoc principaliter ardenterque summo opere debeat intendere, ut proximorum animabus possimus utiles esse »[5]. « Studium enim — ait Humbertus — est ordinatum ad praedicationem, praedicatio ad animarum salutem, quae est ultimus finis»[6]. Et alibi : «Notandum est autem quod studium non est finis ordinis sed summe necessarium est ad fines praedictos scilicet ad praedicationes et animarum salutem operandam, quia sine studio neutrum possemus »[7]. Studiorum cultu fratres Praedicatores et statum sibi altissimum[8] acquisiverunt et ecclesiastico desiderio obsecundarunt. Statuta concilii Lateranensis III et IV ac Honorii III circa instruendos clericos fere missa facta sunt ab ipsis clericis[9] testante S. Thoma de Aquino : « Cum etiam propter litteratorum inopiam nec adhuc per saeculares potuerit observari statutum Lateranensis concilii, ut in singulis ecclesiis essent aliqui, qui theologiam docerent, quod tamen per religiosos Dei gratia cernimus multo latius impletum quam etiam fuerit statutum »[10].

Quod Aquinatis iudicium roboratur a Rogerio Bacon, qui 1271 scripsit : «Numquam fuit tanta apparentia sapientiae nec tantum exercitium studii in tot facultatibus, in tot regionibus sicut iam a quadraginta annis. Ubique enim doctores sunt dispersi et maxime in theologia in omni civitate et in omni castro et in omni burgo praecipue per duos ordines studentes »[11]. Capitula generalia et magistri ordinis aliique superiores studium, dum lapsum patiebatur, restaurandum semper dixerunt[12].

Studia ordini Praedicatorum et claritatem afferre et apud eum ad animarum salutem esse ordinata, bene Ioannes XXII anno 1318[13] et alias[14] expressit. — Ordinem autem veritatis fratres Praedicatores ob suum strenuum veritatis studium atque assertionem esse, ex ore imperatoris Ludovici Bavari prolatum circumfertur[15].

§ 26. Rationes studiorum.

Si ratio studiorum in constitutionibus anni 1228 attenditur, tempus studio assignandum vel ex recitatione officii ecclesiastici breviter et succincte absolvendi repetitur[1]. Insuper « circa eos qui student taliter dispensetur a praelato, ne propter officium vel aliud de facili a studio retrahantur vel impediantur ». Cellae non omnibus studentibus sed quibus magistro eorum expedire videbitur assignentur. Quod si aliquis infructuosus inveniatur in studio, cella eius detur alteri et ipse in aliis officiis occupetur. In cellis legere, scribere, orare, dormire, etiam de nocte vigilare possint, qui voluerint propter studium »[2]. Pro diebus dominicis et festis praecipuis ardor studii in eo temperatur, quod tunc fratres «a quaternis scribendis se abstineant »[3]. « Quoniam circa studentes diligens est adhibenda cautela « praeponitur eis aliquis frater specialis (magister studentium) pro moderatione eorum in studiis»[4]. Si quadrivium pro studentibus nostris non requirebatur[5], materia studii in ordine non erant scientiae saeculares « nec etiam artes quas liberales vocant nisi aliquando circa aliquos magister ordinis vel capitulum generale voluerit aliter dispensare, sed tantum libros theologicos tam iuvenes quam alii legant ». « In libris gentilium et philosophorum non studeant etsi ad horam inspiciant ». Praeter cetera requisita communem praedicatorem theologiae annum saltem unum, et praedicatorem generalem tres annos et publicum doctorem quatuor annos ad minus audivisse oportebat. Haec omnia de studio quod in quocumque conventu ordinis vigebat valere videntur. Etenim « conventus citra numerum duodenarium et sine licentia generalis capituli et *sine* priore et *doctore* non mittatur »[6].

De quibusdam studiis autem peculiari modo statutum est, « ut quaelibet provincia fratribus suis missis ad studium ad minus in tribus libris theologiae providere teneatur et fratres missi ad studium in historiis et sententiis et textu et glossis praecipue studeant et intendant ». « Tres fratres tantum mittantur ad studium

Parisios de provincia ». « Cum frater de provincia in provincia et ad regendum mittitur, omnes libros suos et glossatos et bibliam et quaternos secum deferat. Si vero mittitur et non ad regendum, tantum bibliam et quaternos portet ». Ad hanc rationem studiorum alia magis circa annum 1234 exculta accedebat, cuius tenor periit. Nonnisi ex capitulo generali anni 1236 haec constant: « approbamus ordinationem studii factam in paenultimo capitulo Parisiis celebrato, excepto quod fratres bibliam perlegere non teneantur »[7].

Ratio studiorum in constitutionibus Raymundianae formae uno capitulo resumit, quae in constitutionibus 1288 distribuebantur[8].

Sub B. Iordano evolutio rei scholasticae perfecta est[9], etsi singula sensim in legislationem intrarunt. Anno 1248 quod in provinciis Provinciae, Lombardiae, Teutoniae, Angliae « semper in aliquo conventu magis idoneo sit generale studium et solemne et ad illum locum quilibet prior provincialis potestatem habeat mittendi duos fratres ad studium » definitive statuitur[10]. Postquam Alexander IV 1257 qualitatem lectoris in ordine Praedicatorum definivit[11], capitulum generale Valencenis 1259 congregatum per magistros Bonumhominem, Florentium, Albertum Magnum, Thomam de Aquino, Petrum de Tarantasia statuta de studiis edidit, quae anno 1274 a capitulo Lugdunensi ad studii promotionem inculcata sunt[12].

Quoad professores Parisienses nil absque consilio magistri ordinis vel provincialis Franciae fiebat. Lectores nonnisi in legendo occupentur et ubi desunt lectores magister per visitatores suppleat locis vacantibus. Ubi est insufficientia lectorum « ad publice legendum » provideatur de privatis lectionibus maxime circa historias et summam de casibus. Frequentatio scholarum per fratres et cura de aptis ad studendum et proficiendum imponitur. Necessitas philosophicae culturae[13] in ratione studiorum ordinis Praedicatorum relevatur prout a B. Alberto Magno sapienter, constanter et firmiter promota fuit[14]. Postquam in provinciis gallicis et meridionalibus studia artium ab 1241 introducta sunt[15], 1261 pro pluribus aliis provinciis eadem conceduntur. « In provincia vero Teutoniae instituant duo vel tria studia huiusmodi »[16]. Postea 1271, ut fratres minus philosophiae intendant, ordinatur[17].

Saeculo XIV intrante Ianuis 1305 et Venetiis 1325 momentosa de studiis edicta sunt. Etenim « nullus notabiliter iuvenis mittatur ad studia artium ante tertium annum ab ingressu ». Deinde studium logicalium per tres annos, naturalium per duos annos, theologiae per

duos annos venit. Pro lectoribus in his disciplinis severior adhuc disciplina viguit, cum quis prius logicalia legere nequiverit absque profectu monstrato in naturalibus per biennium, neque naturalia docere absque profectu per biennium in theologia, neque theologiam in studio generali tradere sine biennio theologiae apud studium particulare peracto[18].

Generaliter ergo adsunt ex altera medietate saeculi XIII ubique studia artium sive logicalia, studia naturalium sive physicae, studia theologiae.

Studium linguarum sub provinciis et missionibus consideratur. De cetero capitulum anni 1236 monitum, « quod in omnibus provinciis et conventibus fratres linguas addiscant eorum quibus sunt propinqui » edidit[19].

Materia studii ad praxim praedicatoriam sacerdotalem quammaxime ordinabatur. Bononiae in capitulo generali anno 1235 statutum est, quod « fratres diligenter instruantur in officio audiendarum confessionum antequam fiant auditores earum »[20]. In diversis partibus ordinis assiduitas addiscendi sacram scientiam inculcatur, e. g. in capitulo Lucensi provinciae Romanae anni 1267: « monemus quod fratres circa studium diligentius solito sint intenti studendo in biblia, sententiis, historiis [Petri Comestoris] et sanctorum scriptis et summa de casibus et maxime iuvenes sarcedotes. Lectores autem lectiones continuent, fratres solenter repetent et circa hoc negligentes per priores durius increpantur »[21]. Repetitione expositionum scripturisticarum et theologiae moralis practicae in singulis conventibus proponendarum scientia fratri Praedicatori necessaria communicabatur et firmabatur[22]. Pro studiis altioribus fratres aptiores ac selecti in scholis ac cursibus superioribus ab initio ordinis formabantur. Ita in theologica facultate lectiones de libris biblicis et de sententiis Petri Lombardi tum a baccalaureis tum a magistris licet diverso modo fiebant[23], accedente ex saeculo XIV explicatione articulorum vel quaestionum et ex saeculo XV lecturis Summae S. Thomae. Insuper praeter lectionem disputationes instituebantur[24]. Quoad disciplinas philosophicas opera varia Aristotelis textum explicandum constituebant[25].

In secunda medietate saeculi XIII ac deinceps saltem in provinciis maioribus materia studiorum sicut et congregatio studentium diversarum materiarum per speciales conventus distribuebatur[26]. Parviores vero provinciae instructionem fratrum suorum quoad facere

poterant curarunt, aptiores studentes extra provinciam mittendo. Materia igitur ab exordio in studia theologica vel postea in studia philosophica et theologica dividebatur. Particulares materiae e. g. iuris in quantum sacerdoti necessariae erant, lectioni theologicae immiscebantur[27].

Annus scholasticus ab exeunte mense septembri usque circiter ad finem mensis iunii currebat[28].

Studentes varii distingui possunt. Ante omnes ii nominandi sunt, qui cursum suum institutionis primae in schola conventuali perficere debent. Alii sunt, qui rem repetere ibidem tenentur. Alii qui ad proficiendum destinantur. Ii qui studio suo incumbunt ut praxi applicentur, cursum suum examine coronant, antequam ad exercitium muneri praedicatoris vel confessarii admittantur. De examine eorum qui ad praedicandum destinantur iam constitutiones anni 1228 loquuntur[29]. Cardinalis Hugo in littera ad capitulares generales anni 1257 de eligendis confessariis fidelium maturis, discretis, probatis scribit[30]. Etiam ex commentariis Humberti et ex Rotulo pugillari Augustini de Dacia de examine[31] iuvenum sacerdotum (presbyteralis ordo tunc anno aetatis 25, postea cum dispensatione saepe anno aetatis 22 completo dabatur)[32] circa materias theologiae practicae aperte constat. Ad constitutiones apostolicas Bonifatii VIII in provincia Provinciae 1302 iniunctum est « quod fratres idonei periti litterati, vitae probatae per priorem provincialem vel vice ipsius per alios praesententur praelatis pro confessionibus audiendis, ad quas audiendas fratres minus sufficientes nullatenus exponantur »[33]. Pro fratribus Praedicatoribus confessiones saecularium excipientibus annus 30 aetatis requisitus esse videtur[34]. Fratres qui ad ministerium sacrum iam admissi in conventibus actualiter liberi erant, scholas conventuales frequentare tenebantur. Invitos prior ad scholas sequendas compellere sicut etiam ipse scholis assistere debuit.

Demum fratres, qui profectum in studiis atque aptitudinem intellectualem promittebant ad studia plerumque maiora mittebantur[35]. Disciplina studentium in studiis generalibus saepius in comitiis generalibus regulabatur, sive de victu et vestitu convenienti agebatur sive de re scholastica. « In singulis provinciis singulis annis in quolibet provinciali capitulo ordinetur qualiter studentibus provideatur suae provinciae missis ad quaecumque studia generalia »[36]. « Studentes provinciarum in studiis generalibus necnon et ceteri fratres vadant ad scholas et audiant lectiones... nullam vagam occasionem

quaerentes exeundi nec portent alios libros nisi illos qui ibi leguntur et quod surgant ad divinum officium »[37]. « Studentes autem et fratres omnes sequi scholas compellant [provinciales] et eos qui a scholis defuerunt per abstinentiam puniant in pane et aqua ipsa die »[38]. Interdum insolentiae ex parte studentium accidebant ad quas repressiones sequebantur[39].

Desinebat ac coronabatur studium horum studentium ad proficiendum destinatorum vel cum deputatione in lectorem, vel cum ascensione ad gradum magisterii. Nomen quidem « doctoris », quia in constitutionibus anni 1228 apponitur, in legislatione nostra sacrum permansit. « Nullus fiat publicus doctor nisi per quatuor annos ad minus theologiam audierit »[40]. De facto in medio saeculo XIII « lector » communiter velut praeceptor in ordine apparet ac deinceps servatus est, dum alia hierarchia doctorum ordinis gradibus academicis insignitorum iam incoepit. Alexander IV die 28 martii 1257 ordini Praedicatorum concessit, « ut singuli fratres de ordine vestro quos secundum constitutiones ipsius ordinis conventibus vestris deputandos duxeritis in lectores sine cuiusquam alterius licentia libere in domibus praedicti ordinis legere ac docere valeant in theologica facultate illis locis exceptis in quibus viget studium generale ac etiam quilibet in facultate ipse docturus solemniter incipere consuevit »[41].

Examen pro lectoribus quoddam locum habuit. Atque anno 1305 ordinatum est, quod nullus ad studium generale mittatur, sive in propria sive in alia provincia nisi in logicalibus et sententiis sit instructus sufficienter « et testimonio lectoris et cursoris et magistri studentium de eo spes multum probabilis habeatur, quod ad lectoris officium idoneus sit futurus ». Similiter 1325. Tenebantur visitatores « de his qui ad legendum logicalia, naturas et sententias et ad mittendum ad studia generalia apti fuerint diligenter inquirere et lectores a quibus audierint necnon et magistri studentium ab eis in eorum conscientia requisiti teneantur fidele testimonium perhibere. Priores autem provinciales eadem districtione teneantur secundum testimonia sic recepta de studiis et studentibus fideliter providere »[42]. Capitulum generale Norimbergense anni 1405 normas reformatorias pro docentibus nostris edidit[43].

Lectores in legendo occupari debebant et non aliis servitiis mancipari[44]. Ubi conventus lectoribus carent, suppleatur necessitati huic. Industria seligendi bonos fratres ad proficiendum in studiis ad lecto-

res extenditur. « Cum insufficientia lectorum cedat in studentium notabile detrimentum et ordo patiatur damnum... [provinciales] non promoveant ad officium lectionum theologiae, philosophiae et artium nisi fratres qui ad haec officia in scientia et moribus fuerint aptiores secundum iudicium ipsorum lectorum, cursorum, magistrorum studentium et aliorum fratrum, qui in hac parte possunt fidele testimonium perhibere »[45]. Anno 1344 variatio lectorum commendatur, cum alicubi plures sufficientes exsistunt, ita ut unus per 4 vel 5 annos doceat et postea aliis locum relinquat[46]. In saeculo XV conditiones particulares pro constituendis lectoribus aliquando requirebantur[47]. Lector in sua schola velut regens erat a baccalaureo interdum adiutus[48].

Magistros theologiae (sacrae paginae professores)[49] habere fratres Praedicatores anno 1229 coeperunt, cum Rolandus Cremonensis ad cathedram unam Parisiensem ascenderit et mox magister Ioannes de S. Aegidio ordinem intrans aliam cathedram confratribus attulerit[50]. Ad servandas has cathedras ordo de baccalaureis suo tempore locos magistrorum recepturis providit. Statuta Parisiensia anni 1215 rem promotionum moderabantur[51] a qua Mendicantes partim eximebantur[52]. Baccalaureus, medium statum habens inter scholares et magistros, sub aliquo magistro regente legit et quidem velut biblicus sacram scripturam aut postea velut sententiarius sententias. Designatio ad baccalaureum in idoneitate proponendi consistebat, quae ex informata scientia magistri vel postea ex examine constabat. Magister generalis praecipue de candidatis prospicere debuit[53]. Postquam baccalaureus impletis actibus requisitis formatus[54] dictus lectiones suas terminavit, subito (dum de Mendicantibus agebatur) ad licentiam praesentari potuit. Licentia gradum academicum non constituit[55], sed porta erat ad magisterium et collegium magistrorum. Ex parte ordinis permissa[56] et concessa a cancellario universitatis licentia ille qui licentiatur *principium* i. e. lectionem vel argumentationem publicam tenuit[57]. Ad quod receptio birreti doctoralis sequebatur[58]. Magistrum autem oportuit publice docere, praedicare, actusque magistrales disputationum exercere[59].

Dum in initio forma Parisiensis exemplum et unicum medium magistrandi in Europa continentali erat, apud Anglos magistri Oxonienses vigebant. Deinde autem per concessionem pontificiam Benedicti XI, Gregorii XI, Bonifatii IX[60] aliasque[61] prasertim Iulii II[62] ordini factam digni ad magisterium per magistros ordinis ac capi-

tula generalia promoveri poterant[63] vel ab ipsis Pontificibus gratiose promoti sunt[64]. Saepius autem huiusmodi magistri in universitatibus non agnoscebantur[65]. Multiplicatis universitatibus a saeculo XIV exeunte per Europam fratres nostri variis in locis ad gradus ascendebant. Speciale autem momentum promotionibus Parisiensi, Coloniensi, Tolosanae, Oxoniensi, Erfurdensi, Cantabrigiensi in saeculo XV tribuitur, dum pro promotionibus aliis severae normae indicantur et iterantur ut « superfluae ad gradum magisterii promovendorum multitudini » obvietur et iuvenes ad studium ac litterarum peritiam efficacius excitentur[66]. Magistris theologiae ab anno 1303 privilegia specialia concedebantur[67], sed et ad integre absque absentiis legendum admonebantur[68]. Magistri socium secum habere poterant[69]. Magister actu legens etiam magister regens vocabatur. Pro functis schola titulus magistri remansit.

Sicut pro studentibus capitula provincialia[70] ita pro professoribus capitula tum provincialia tum generalia assignationes dant[71]. Ideo praesertim pro historia studiorum nostrorum acta comitiorum generalium saeculi XV lumen desideratissimum afferunt.

Officiales, quibus rationem studiorum et rem studentium tueri competebat, erant in studiis parvioribus lector ac magister studentium, in studiis maioribus autem lector principalis (post annum 1330 etiam regens nominatus interdum) sive magister regens cum baccalaureo et magistro studentium[72]. Priori etiam ius quoddam inspectionis studentium tribuebatur sicut et capitulo conventuali[73]. De magistro studentium Humbertus caput particulare scripsit[74]. 1376 praecipitur nullum ad magisterium theologiae transire posse, qui non magisterium studentium per annum exsecutus fuerit[75].

§ 27. Studia conventualia, solemnia, generalia. Res libraria.

Conventus bene formatus ordinis *scholam* habere debuit,[1] in qua per lectorem publice legebatur. Deficiente apto lectore, privatae lectiones praescriptae erant[2]. Scholas conventuales rite formatas publicas fuisse ex earum frequentatione ex parte extraneorum tum cleri saecularis[3] tum regularis[4] constat. Cum lectores numero sufficientes in provinciis deessent et ut melior doctrina proponeretur, studia in aliquibus conventibus congregabantur. Dum huiusmodi studia philosophicarum disciplinarum locum saepe mutabant, studia theologica

potius fixis conventibus inhaerebant[5]. In his studiis tempore crescente ratio docendi maiorum studiorum suscepta est, in quantum praeter lectorem principalem sublector vel baccalaureus et biblicus adsciscebantur[6]. Studia particularia[7] studentibus alicuius provinciae reservari solebant.

Studia *generalia* « et solemnia »[8] omnibus studentibus ordinis et extraneis[9] patebant. Ibi non solum provincia, in cuius finibus continebatur suam scholam « internam » habebat, sed et alia pro extraneis inveniebatur[10]. Professores et studentes specialiter pro his scholis assignabantur[11]. Quaecumque provincia ad hanc scholam externam alicuius studii generalis studentes 3 vel 2 mittere potuit[12]. Studentibus de provincia certus numerus anno 1315 praefigebatur, qui numerum viginti duorum vel viginti trium non excederet[13]. Studia generalia theologiae tradendae et hauriendae plerumque, sed etiam aliquando ipsi philosophiae[14] inserviebant. Provincialis studentes generalis studii minus religiose conversantes remittere valuit[15].

Ex nexu, quem studia generalia cum universitatibus inibant, usus varii universitariorum studentium (e. g. beanismus)[16] et docentium (e. g. salarium)[17] ad regulares redundabant. In saeculo XV communiter tres anni pro cursu magistrali ,tres pro sententiis, tres pro biblicis determinabantur[18].

Numerus studiorum generalium anno 1248 quaternarius statutus est praeter Parisiense, nempe pro provinciis Provinciae, Lombardiae, Teutoniae, Angliae. Deinde annis 1270, 1272, 1273 pro provinciis Hispaniae et Romana alia concedebantur, etsi non definitive[19], iuxta acta quae habentur. Re iterata, 1290 constitutio de quinque studiis generalibus extra Parisiense facta est[20], anno 1304 nova constitutione edicta, secundam quam quaelibet « provincia exceptis Daciae, Graeciae et Terrae sanctae provideat ut semper in aliquo conventu idoneo sit generale studium et solemne »[21], cauto, « quod ad studia generalia assignata provinciis Hungariae, Poloniae, Bohemiae studens aliquis extraneus non mittatur donec per magistrum ordinis et generale capitulum aliter fuerit ordinatum »[22]. Antiquiora et praecipua studia generalia ordinis fuerunt sequentia.

Parisiense studium generale primum et specialis momenti habendum est, ad cuius formam alia postea formata sunt. Fratres Praedicatores die 12 septembris 1217 civitatem Lutetiorum ingressi ope Honorii III eos universitati commendantis hospitium S. Iacobi die 6 augusti 1218 obtinuerunt. Respectu studii Parisiensis velut in sa-

cra pagina studentes, ab exordio fratres Praedicatores universitati Parisiensi incorporati exsistebant. De mandato Honorii III magister Ioannes de Barrastre fratribus legebat[23]. Propriis magistris ditati uno ab anno 1229 et altero 1230 vel 1232 scholae dominicanae Parisiis inclarescere coeperunt[24]. E duabus scholis[25] illa extraneorum sub Alberto Teutonico et Thoma de Aquino famam summam nanciscebatur, magistro ordinis et captiulis generalibus semper particulari cura de idoneis magistris, baccalaureis, lectoribus biblicis pro Parisiensi studio sollicitis[26]. Honor eximius et ibi studere et docere reputabatur. Ex industria scientifica ordinum Mendicantium, anno 1252 lis illa professorum cleri saecularis in Mendicantes exarsit, quae 1255 per Alexandrum IV composita est, anno 1268 dimicatione alia sequente. In utraque hac lite S. Thomas strenue partes aequas exposuit ac defendit[27], qui et exemplum binae vocationis ad cathedram praebuit, quod in ordine Praedicatorum rarum erat. Guillelmus de Hotham etiam bis Parisios assignatus erat, at secunda vice non venit, quare schola « in magnam ordinis confusionem et studii iacturam » vacaverit[28]. Quoad promovendos ad magisterium in theologia Parisiis attendendam erat « quod consideratis moribus et scientia et gratia docendi... de toto ordine absque acceptione nationis et personae » candidati deligerentur[29].

Dissensum maximum cum universitate Dominicani habuerunt occasione acerrimae negationis Conceptionis Immaculatae B. M. V. ex parte Ioannis de Montesono 1387 propositae et per confratres suos amplexae. Auctoritas civilis Dominicanos capere decrevit. Cum circa iuramentum in decisionem episcopi Parisiensis de tenenda doctrina Conceptionis Immaculatae B. Mariae Dominicani morem non gererent, ab universitate per tria lustra segregati sunt, magno detrimento in sermonibus et lectionibus academicis sequente. Anno 1403 causa finita erat[30]. Ioannes Capreolus, qui a capitulo generali Pictaviensi anni 1407 ad legendas sententias Parisios assignatus est[31], periodum refloritionis Thomismi in schola illa instauravit, quae contra Nominalismum universitatis in saeculo XV rem agere debuit, 1474 Leonardus de Mansuetis ordinationes particulares de studio Parisiensi dabat[32]. Status conventus Parisiensis plerumque debitis gravabatur, cum studentes extranei (non obstantibus legibus) onera nimia afferebant[33].

In provincia Provinciae Montispessulani ab anno 1248 et in provincia Tolosana Tolosae studia generalia iuxta universitates[34] floruerunt.

Bononiense studium generale anno 1248 ab ordine decretum eo famosius esse debuit, quod in notissima civitate academica exsisteret. Anno 1360 erecta facultate theologica in universitate, scholae Mendicantium universitariae fiebant[35]. A tempore schismatis occidentalis momentum studii generalis Bononiensis in ordine valde crevit[36].

Aliud generale studium in extensissima provincia Romana et 1270 et 1272 inchoatum ac 1273 approbatum est[37], confirmatione non sequente. Ideo illud studium generale, quod 1272 de mandato capituli provincialis Romani S. Thomae instaurandum committebatur, quodque ipse Neapolim destinavit, ex parte ordinis non plene agnitum erat[38]. Aut studium generale in sensu lato aut in fieri erat. Anno 1303 referunt acta comitiorum generalium: « ad instantiam domini regis Siciliae ponimus studium generale in conventu Neapolitano »[39]. Tunc provincia Siciliae ab illa Romana iam separata exstitit. De cetero in conventu Florentino S. Mariae Novellae sub Iordano de Rivalto studium « primum et generale » provinciae Romanae fastigium celebritatis attigit Remigio de' Girolami et Ricoldo de Montecrucis lectoribus, ita ut scholae nostrae Florentinae alias theologicas in Italia superaverint[40]. Anno 1378 « studium generale in Romana provincia, quod consuevit esse in Florentia, quia ibidem propter guerras non potuit congregari », provisorie Pisis locatum est, sub principali lectore Ioanne Dominici[41]. Saeculo XV studia plura maiora per Italiam multiplicabantur.

Coloniae, ubi apud fratres Praedicatores studia iam florebant, 1248 definitive studium generale erectum est. Ex scrinio publico Coloniensi ampliatio loci ad plures studentes recipiendos in via Stolkgasse dicti tunc facta apparet[42]. Auctoritas ingens, qua B. Albertus in orbe christiano pollebat ita cum studio Coloniensi cohaerebat, ut ipse vel in ultimis vitae annis saepe « lector Coloniensis » aut « Albertus Coloniensis »[43] vocatus sit. Serviebat non solum velut schola Coloniensis ipsi provinciae Teutoniae, sed etiam studentibus extraneis sive Italis ut Thomae de Aquino[44], sive Polonis, Bohemis, Hungaris, Anglis[45]. Inter fratres e Dacia anno 1267 missos eminet Petrus, cuius sociorumque mores in vita beatae Christinae de Stummeln depinguntur[46]. Doctores saeculi XIV florebant Ioannes Picardi de Lichtenberg, Ekkehartus, Alexander de Kempen, qui magnam partem in excitanda universitate Coloniensi habuit[47]. Saeculum XV intime et gloriose studium generale et universitatem Coloniae ad immensum

incrementum rei thomisticae iunxit[48]. Moderamen studii Coloniensis magister ordinis anno 1483 sancivit[49]. Provincia Saxoniae vario tempore studia gneralia Erfordiae, Magdeburgi, Berolini habuit.

Oxoniam die 15 augusti 1221 fratres ingredientes conventum formarunt, qui « inter angustos Iudaeorum fines situs fuit, munificentia Henrici III, magnatum regni ecclesiasticorumque praelatorum » postea ampliatum[50]. Duas scholas ab initio fratres tenebant at scholae studii generalis a capitulis ordinis 1246, 1247, 1248 pro Anglia decretae ex oppositione provincialium impediebantur, donec 1261 Simon de Hinton depositus extra provinciam ad legendum assignatus fuerit. Denuo Oxoniae studio pro provinciis designato « quod inde non possit removeri sine licentia capituli generalis » novus provincialis Robertus de Kilwardby laborem et curas impendit[51]. Mansiunculam in regione Iudaeorum fratres 1245 reliquerant, ad portam australem oppidi ubi rex eis maximam partem insulae ad Tamesium fluvium dederat, conventum et ecclesiam (1262 consecratam) construentes[52]. Oxonii lites de doctrina Aquinatis graves vexationes magistris dominicanis per ipsum Kilwardby et Peckham archiepiscopos Cantuarienses, insuper conflictus cum doctoribus fratrum Minorum necnon exclusionem temporaneam a coetu universitario adduxerunt[53]. Anno 1314 Trivet denuo in universitate docuit[54], pace anno 1320 definitive pacta. Turbationes autem denuo inter annos 1378/88 evenerunt. Dominicani numerosi ad cathedras ascenderunt. Eorum graduati anno 1450 quoad numerum Benedictinos sequuntur et aliis ordinibus quibuscumque praecellunt[55].

Cantabrigiae, ubi studium magni momenti sub Ioanne XXII agnoscebatur[56], schola 1320 in ordine tamquam studium notandum apparet et deinceps remansit[57].

In Hispania 1270, 1272, 1273 studium generale erigendum intendebatur[58]. At licet ibidem studia florebant, tamen tarde ordo illa recenset. 1303 studium generale Barcinonense supponitur[59]. Perpiniani postea simile studium pro provincia Aragoniae innotescit[60]. Praeter studia nostra florentia Vallis Oleti[61] et Salmaticae[62], Abulae «studium perpetuum in theologia, philosophia et logica» anno 1504 per magistrum ordinis Bandelli pro Observantibus constitutum est aliudque Hispali[63].

Versus orientem et septentrionem studia generalia Pragense 1383 universitati incorporatum[64], Budense (« ad instar studii Bono-

niensis»)[65], Cracoviense[66], non illam frequentiam extraneorum obtinebant, quam alia Galliae, Italiae, Germaniae, Angliae ostendebant.

Et tanto labore studiorum[67] non contentus, ordo lectores quoque in gratiam extraneorum deputabat, e g. Vincentium Bellovacensem[68], qui apud Cistercienses, Ferdinandum Franco, qui in collegio Hispanorum Bononiae[69], Ioannem Baltheandrium, qui apud canonicos Lugdunenses[70] docerent.

Rei librariae momentum magnum apud fratres Praedicatores ab initio percipitur, ut decet viros ecclesiasticos studio ac sacro sermoni destinatos[71]. S. Dominico suisque sociis anno 1215 Fulco episcopus Tolosanus « sextam partem omnium decimarum cuius emolumenti subsidio, suis ad libros atque ad sustentationem necessariis providerent » concessit[72]. Libros comites S. Dominici Ioannes Hispanus deposuit dicens, « quod semper gestabat secum Matthaei evangelium et epistulas Pauli et multum studebat in eis, ita quod fere sciebat eas corde tenus »[73]. Ius librorum in constitutionibus anni 1228 notatur in inculcatione « quod diligenter debeant custodire libros » novitii et quod studentes aliique « tantum libros theologicos... legant »[74]. Quod ius in capitulis generalibus augebatur e. g. statuto 1233 « ut libri fratrum decedentium et maxime bibliae extra nec intra ordinem vendantur sed potius fratribus proficientibus concedantur »[75]. Novitii quoad possunt biblia et breviarium emant[76]. «Fratribus ad studium aptis et libros non habentibus per provincialem et definitores provideatur in libris prout melius poterit provideri » (1252)[77].

Codices Mendicantium notabiliter a codicibus liturgicis vel scientificis praecedentium saeculorum differebant. Neque aureae litterae in codicibus nostris permittebantur[78]. Atque excessus circa libros publice puniebantur, ut in casu Bartholomaei cuiusdam, qui privatus est « biblia propter modum notabilem acquirendi »[79]. Monuit scitissime Humbertus: « Cave ne armarium doctius habeas quam pectus »[80]. Idemque dicit: « Det Dominus ut qui propter ipsum student in libris amore librorum nihil faciant contra ipsum»[81]. Humbertus de cetero tum in expositione regulae S. Augustini de libris procurandis et custodiendis tum in expositione super constitutiones ordinis[82] de tota re libraria et librarii[83] sapientissime disseruit. Optandum ut bibliophili his documentis tanti viri laudem, quam meruit in hac re, tribuerent! Ipse vel repertorium constituit librorum praedicatoriis bibliothecis necessariorum[84]. Alii elenchi li-

brorum conventuum Barcinonensis[85], S. Catharinae Pisani[86], Basileensis[87], Bernensis[88], S. Marci Florentini[89], Viennensis[90] vel possessiones[91] seu donationes librorum[92] pro historia industriarum scientificarum et doctorum magnae utilitatis sunt. Sine invidia thesauros bibliothecarum suarum fratres Praedicatores aliis aperuisse auctor Philobiblii testatur[93]. Nonnisi saeculo XV, et quidem in Italia primum, libros aliis praestare nostris vetitum est[94].

Libri liturgici manuales sicut etiam textus communiores scientifici plerumque a stationariis emebantur. Interdum etiam ab ipsis fratribus simplici vel artificioso modo scribebantur, prout id pro operibus originalibus et rarioribus fieri solebat. Humbertus « de officio gerentis curam scriptorum » notat, quod « omnia quae facit scribi, plus sint de legibili littera et durabili ». « Cum autem facit aliquid scribi pro fratre, prius debet ei constare quod frater habeat licentiam et pecuniam cum licentia quae ad opus illud sufficiat »[95]. Aliqui studentes vel lectores ipsi nimis de scriptis et scriptoribus suis intromisisse se videntur. Quare ordinatum est anno 1279, « quod in locis, ubi vigent generalia studia, priores et eorum vicarii non se reddant faciles ad dandas licentias fratribus de visitandis suis scriptoribus nisi iidem scriptores essent laudabilis conversationis et famae»[96]. Auctores privati haud una vice paupertate vel pressi vel excellentes parsimonia magna in exarandis scriptis utebantur. Ita S. Thomas in primo professoratu Parisiensi Summam contra gentiles schedulis parvis notavit. Postea autem non solum socium secum duxit, qui ei vel in laboribus scriptionis praesto esset, verum etiam scriptoribus dictavit, ut materiale exercitium suum reduceret[97]. Codices solemniores apud fratres Praedicatores praesertim post saeculum XIII non defuerunt.

Ordo demum nomen suum in Italia intime ligavit cum arte « alemannica », quam diversis in locis egregie fovit. Ita cardinalis Ioannes Torquemada, abbas commendatarius Sublacensis, in illo monasterio typographos Conradum Schweinheim, Arnoldum Pannartz, Udalricum Hahn protexit[98] et accersito Hahn in urbem considerationes proprias in claustro Minervitano typis exprimi fecit[99]. Florentiae Dominicani 1476 de arte typographica bene meruerunt[100]. In Germania vero iam Ioannes Gutenberg inventor typographicae artis († 1468 apud Praedicatores Maguntinos sepultus) anno 1460 ultimum opus maius nempe Ioannis Balbi Catholicon (1460) post alia, etiam Aquinatis, scripta impressit[101].

Censura eorum, quae scripto a nostris consignabantur, opportune vigebat[102].

§ 28. Problemata scholastica. Thomismus.

Fratres Praedicatores, qui studio ad efficacius altissimos fines ordinis sui assequendos ardenter incumbere debebant, minime tardabant potenter in problemata scientiae sacrae penetrare et influere.

Primum opus scientificum, quod collegialiter a Dominicanis peragebatur correctio bibliae erat. De qua re capitulum generale 1236 mandat et vult, « ut secundum correctionem quam faciunt fratres quibus hic iniungitur in provincia Franciae bibliae aliae ordinis corrigantur et punctentur »[1]. « Biblia quam fratres Praedicatores et postea alii correxerunt, fuit *biblia Parisiensis* seu ut verbis Rogeri Baconis utamur, exemplar Parisiense id est Biblia in ea forma qua Parisiis post initium saec. XIII in usu theologorum et studiosorum erat cum rationabiliore praeterea capitum distinctione... quam exemplaria saeculorum priorum afferebant... Fratres Praedicatores corruptionem textus sacri perspicientes isto tempore primi omnium bibliam Parisiensem corrigere conati sunt. Nescimus quo anno fratres hanc correctionem incoeperint; haud dubie tamen conventum Ord. Praed. Senonensem incolebant. Istam correctionem quam postea *Corr. Senon.* vel simpliciter *Senon.* nominaverunt, ut minus sufficientem cap. gen. an. 1256 abrogavit »[2]. Saltem per duodennium fratres laborem correctioni Senonensi impenderant. « Ab ista correctione quam invenire non potuimus diversa est *correctio Parisiensis cardinalis Hugonis,* compendiose in octo mss. nobis notis conservata et alia, utique Praedicatorum, in quatuor voluminibus Bibl. nat. Paris., ms.. lat. 16719 - 16722, contenta, quae tamen plurima ex correctione Senonensi desumpsit »[3]. « Hugo tamen linguae hebraicae et graecae gnarus, ipsius Hieronymi versionem correxit ideoque Vulgatum textum potius corrupit quam emendavit, prout severe obiecit Rogerus Baco »[4].

Alterum opus, cui nomen Hugonis velut auctoris primi etsi non totalis cohaeret, sunt concordantiae bibliorum. Hugo multis fratribus adiutus synopsim verborum sacri textus ad invicem collectorum cum indicatione loci in libris et capitulis circa annum 1230 alphabetice perfecit. Concordantiarum S. Iacobi huic operi nomen erat[5].

Versus annum 1260 iterum apud S. Iacobum Parisiis nunc autem maxime per fratres Anglos alia editio concordantiarum praeparata est, quae non solum verba sed et contextum per series verborum exhibuit. Propter merita, quae Ioannes de Darlington maxime et Richardus de Stavensby ac Hugo de Croyden in hoc opere sumpserunt, saepe concordantiarum anglicanarum vel propter magnitudinem concordantiarum magnarum ei nomen fiebat[6]. Convenientiorem formam concordantiis biblicis Conradus de Halberstadt 1310 tribuit, quae per Ioannem Stojković circa annum 1435 magis excultae sunt[7]. Per haec studia et opera fratres Praedicatores doctoribus et studentibus sacrae paginae innumera beneficia subministrabant.

Problema, quod ordinem maxime perstringebat, instructio confessariorum erat. Hoc in puncto auctoritatem specialem S. Raymundus de Pennafort obtinuit, cuius electio ipsa in actis capituli 1238 fratribus cum hac commendatione nuntiatur: «Qui mandante domino papa Gregorio IX compilaverat decretales. Summam etiam de casibus seu de paenitentia perutilem fecit»[8]. Praeter hanc summam Raymundi alia Ioannis lectoris Friburgensis (circa annum 1300)[9] et deinde maxime summa moralis S. Antonini Florentini in saeculo XV huiusque confessionale seu summula confessionalis celebratae in christianitate tota exstiterunt[10].

Quoad evolutionem doctrinarum saeculo XIII intrante duo problemata ingentia intellectui doctorum offerebantur, quae ex nova quadam circumstantia, nempe notitia maiorum scriptorum Aristotelis apud scholas occidentales exoriebantur. Horum problematum unum philosophicum erat, aliud autem theologicum. Cognitio operum Aristotelis, Avicennae, Averrois christianis officium dedit, illorum philosophorum scientiam perscrutandi, theorias periculosas refellendi, solidam ac sanam philosophiam christianam excolendi. In doctrina sacra dominationis primatum S. Augustinus tenebat, at ex diversitate sententiarum theologorum unitas idearum episcopi Hipponensis ita dilacerabatur, ut nonnisi ope novae methodi scientificae vigorose ac victoriose theologia ad incrementa maiora induci potuerit.

Elementum summi momenti in hac restauratione scientiae theologicae ex admissione philosophiae Aristotelicae tamquam medii intellectualis adhibebatur[11]. Aristotelismo assumendo quidem obstabant prohibitiones ecclesiasticae et universitariae, at facto bono usu Aristotelicae doctrinae et praeparata translatione textus genuini

impedimenta auctoritatum contra philosophiam Aristotelicam cessaverunt, sicut et obstacula vel intra ordinem contra studium philosophiae exsistentia prementibus magistris eximiis superata sunt[12]. Duces praeclarissimi et doctores praestantissimi qui christianae rei et religioni fructus copiosissimae et celsissimae doctrinae praebuerunt B. Albertus de Bollstatt et S. Thomas de Aquino exstiterunt. Hi « praecipui viri in philosophia »[13] theologi summi evaserunt; sicut et aliis scientiarum cultura prorsus egregia excellebant. Eorum hortatu versiones latinae operum Aristotelis, quam Guillelmus de Moerbeke suscepit probatae sunt[14]. De Alberto Teutonico, quem signiferum Aristotelismi christiani nominare licet, coaevum testimonium habet: « sicut Aristoteles, Avicenna et Averroes allegantur in scholis sic et ipse et adhuc vivit et habuit in vita sua auctoritatem quod numquam homo habuit in doctrina »[15]. Ex genere militarium in Sueviae partibus natus, mentem apertissimam omnium rerum rationes cognoscere cupidissimam et rebus naturalibus et philosophicis applicabat. Eruditione vasta auctus per Iordanum de Saxonia ordini Praedicatorum lucrifactus est, absoluto tirocinio ascetico et theologico in provincia sua Teutoniae lector constitutus. Praesumendum est, Iordanum, qui cum Roberto Grosseteste cancellario Oxoniensis universitatis et de Aristotelismo optime merito commercio utebatur, suas relationes etiam pro scientia sui ordinis adhibuisse. Et quemdamodum B. Iordanus ordinis formam definivit, ita B. Albertus, doctrinam ordinis ad fastigium direxit. Anno 1248 cathedram Parisiensem, quam famose rexerat, reliquit. In disciplinis philosophicis, theologicis, naturalibus commentando atque exponendo indefessam atque auspicatissimam actionem doctrinalem exercuit, praeparatus et dignus certe, ut magister S. Thomae de Aquino esset. In pluribus thesibus, e. g. in separatione theologiae revelatae a naturali, discipulo praeiens, ob vastitatem suorum studiorum synthesim perfectam nondum attingere ei concessum fuit. Eius auctoritas autem incomparabilis ex servitiis suis, quae Ecclesiae in re catholica defendenda et praedicanda, in episcopatu Ratisbonensi, et societati civili in multiplicibus consiliis pro urbibus et regnis impendit, unica crevit. Et ipse sui discipuli S. Thomae vitam superans huius defensor scientificus validissimus exstitit. Obiit 15 novembris 1280 Coloniae[16].

Lucidissimi ingenii et perspicacissimus formator systematis cholastici S. Thomas de Aquino[17] impigro studio et profunda per-

scrutatione doctrinas philosophicas et revelatas ita explanavit ut non solum norma philosophorum verum etiam princeps theologorum evaserit. Providentiali destinatione in id tempus collocatus est, in quo tum Neapoli tum ultra Alpes Aristotelismus satis vigebat, quem ad solvendas quaestiones difficillimas feliciter et complete adhibere potuit. Decursus et conatus et lites vitae eius exclusive promotioni et expositioni sanae et sanctae doctrinae consecrabantur. Ad hoc destinarunt eum cntemplatio a pueritia, in Monte Casino elapsa, ad hoc cursus Neapolitani et in schilis ordinis praecipue sub B. Alberto Magno frequentati, ad hoc ininterruptum munus docendi Parisiis, in Italia, iterum Parisiis et denuo in Italia. Lites autem personales de vocatione religiosa in ordine mendicantium, lites in defensionem sui status contra adversarios professores cleri saecularis, lites scientificae de thesibus Augustinismi « traditionalis » vel Averroismi latini eum in veritatis possessione secura et solida auxerunt et roborarunt. S. Thomas die 7 martii 1274 apud monasterium Cisterciense Fossae Novae, Lugdunum profecturus, sanctissime excessit.

Ambo et B. Albertus et S. Thomas voluminosos thesauros scriptorum reliquerunt, dum ipsi ad visionem supernam divinitatis evocati sunt, in terris semper celebrati ob sanctitatis et miraculorum famam et virtutem probatissimam.

Velut depositum atque hereditatem pretiosissimam fratres Praedicatores doctrinam « venerabilis fratris Thomae » post eius obitum acceperunt, promoverunt, defenderunt. Rem veritatis magister Thomas de Aquino strenue inquisivit ac tuitus est. Eo mortuo dum « insonuit rumor quod scripta fratris Thomae Parisiis impugnabantur » Albertus Magnus ad Sequanam se conferens facta convocatione studii generalis Parisiensis in defensionem, honorem atque approbationem sui discipuli praedilecti locutus est. Coloniae redux Albertus iterum «commendationes eximias, gloriosas, excelsas» de Thoma proposuit[18].

Agebatur enim tunc de thesibus quibusdam thomisticis, quae tum Parisiis per episcopum Stephanum Tempier die 7 martii 1277 tum Oxonii per archiepiscopum Cantuariensem Robertum Kilwardby die 18 martii 1277 et postea per archiepiscopum Peckham proscribebantur[19].

Si Albertus Magnus Parisios anno 1277 ivit, capitulum generale Mediolanense anni insequentis Raymundum de Mévouillon et

Ioannem Vigouroux in Angliam inquisituros misit « super facto fratrum qui in scandalum ordinis detraxerunt de scriptis venerabilis patris fratris Thomae de Aquino »[20]. Contra osores doctrinae Aquinatis tum intra tum extra ordinem, Praedicatores in capitulis generalibus strenue doctrinam hanc imposuerunt atque inculcaverunt[21] sicut et contra Correctorium auctore Guillelmo de la Mare haud minus quam quinque Correctoria corruptorii fratris Thomae ediderunt[22]. Ex his defensionibus inter Dominicanos aliosque schola Thomistarum[23] exsurgebat, quae doctorem communem[24] libenter et efficaciter sequens, sibi tamen in pluribus libertatem servavit[25]. Huc spectant Thomistae Galli Hugo de Billom, Bernardus de Trilia, Aegidius de Letinis, Bernardus de Claromonte, Ioannes Quidort, Guillelmus Petri de Godino, maxime Herveus Nédélec, Iacobus de Lausanna, Armandus de Bellovisu, Bernardus Lombardi. Ex Italia citandi Hannibaldus de Hannibaldis, Rambertus dei Primadizzi, Bartholomaeus Lucensis, Remigius di Chiaro dei Girolami, Ioannes Balbus, Ioannes Regina de Neapoli, ex Teutonicis Ioannes Picardi de Lichtenberg, Henricus de Lubeca, ex Anglis Guillelmus de Hotham, Richardus Clapoyle, Guillelmus Macclesfield, Thomas de Sutton, Nicolaus Trivet. Ad commodum studiosorum multiplices tabulae et abbreviationes operum S. Thomae circumferebantur[26]. Postquam Aquinas anno 1323 canonizatus est episcopus Pariensis Stephanus Bourret die 14 maii 1324 proscriptionem thesium in quantum tangunt doctrinam S. Thomae a suo praedecessore anno 1277 factam annullavit[27].

Continua commendatio doctrinae Aquinatis in ordine supervacanea nullo modo fuit, cum in aliquibus regionibus cultores theologiae directiones alias saepe neoplatonicas praeelegerunt, e. g. in Germania plures[28]. Inter eos magister Ekkehartus, qui postquam Parisiis, Argentinae, Coloniae, scholastice docuit et salutifere multis in locis praedicavit anno 1326 processum sustinere debuit. Postquam quidquid erroneum reperiendum in suis scriptis revocavit, obiit 1327. Bulla Ioannis XXII anno 1327 Ekkehartianas propositiones et articulos damnans confitetur, sententias Ekkehartianas ita explicari posse, ut bene intelligerentur[29]. In Italia tum Ubertus Guidi baccalaureus Florentinus (1315)[30] tum Ioannes de Neapoli alter (1334)[31] ob irreverentiam in doctrinam thomisticam lectura privati et ad revocationem constricti sunt. Apud Gallos Durandus a S. Porciano praecipue, sed iam Ioannes Quidort et postea Petrus de Palude alii-

que sententias ab Aquinate discrepantes tenuerunt. Durandus monitionem, censuram, correctionem ordinis in se excitavit[32]. Impugnationem ei Durandus de Aureliaco vehementer paravit. In patria Ockhamismi Robertus de Holkot, notissimus doctor provinciae Angliae, a sequela S. Thomae alienus Nominalismo subscripsit[33].

Non obstante canonizatione doctoris de Aquino Thomismus in saeculo XIV potius recessit quam processit[34]. In ordine Praedicatorum semper quidem, licet non eodem momento viguit, quia sicut apud Minores Scotismus[35] ita apud eos Thomismus magis magisque doctrina officialis evasit. At saeculo XV ineunte Thomismus vires suas resumens magistrum sententiarum ita in pluribus studiis eliminavit, ut Summa aliaque opera S. Thomae textus praelectionum facti sint[36].

Ita Ioannes Capreolus Parisiis legens super Sententias, defensiones magnificas theologiae Aquinatis incoepit, quare princeps Thomistarum vocatus est[37]. Generaliter autem universitas Parisiensis ex anno 1339 Nominalismo adhaesit, sed cum reditu Dominicanorum (post tria lustra litis et exclusionis propter negationem Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis, 1387/1403)[38], Realismus ad partem, licet numquam plene in academia Parisiensi repraesentabatur[39]. Scholae dominicanae Parisienses fideliter Aquinatem sequentes eximium interpretem sancti doctoris Petrum Crockart Bruxellensem circa annum 1500 obtinuerunt[40], de quo Hispani saeculi XVI dependebant. Gloriose Thomismus per universitatem Coloniensem in saeculo XV et XVI promovebatur[41] et in fundatione Lovaniensis universitatis[42] et per magistros suos ad alias universitates, ut Heidelbergensem, Hafnensem, Gripswaldensem[43], commendatus est. E Thomistis nostris Coloniae docentibus Gerardus de Elten, Petrus Schwartz, Conradus Köllin nominentur[44]. In universitatibus Lipsiensi, Rostocensi, Friburgensi[45], Basileensi[46], Viennensi, Pragensi, Cracoviensi[47] per Dominicanos via antiqua in forma Realismi thomistici maiore vel minore pondere tradebatur. Ardebat tunc temporis quaestio ac decertatio de via antiqua realistarum et nova nominalistarum[48]. In Italia Petrus de Bergamo († 1482) tabulam auream in opera S. Thomae exaravit[49]. Professores dominicani in athenaeo Papiensi circa annum 1480 expresse afferuntur tamquam qui legant textum Aquinatis[50], dum Thomas de Vio Caietanus summae auctoritatis magistrum in doctrina thomistica se formavit et monstravit[51]. Apud Hispanos Thomas Toletanus[52] et maxime Didacus de Deza magnum influxum in promovendum Thomismum per scholas suae

nationis exercens[53] et apud Anglos Thomas Claxton[54] laudem thomisticam sibi meruerunt.

Titulus doctoris communis vel doctoris sancti Aquinati in saeculo XIV plerumque datus, in sequente saeculo locum cessit titulo doctoris angelici[55].

Ecclesiae summis praesulibus faventibus[56] et cura ac studio fratrum maxime ex observantia prodeuntium[57], cultus doctrinae thomisticae explanandae et pandendae usque ad initium saeculi XVI altitudinem conspicuam nanciscebatur, in qua labente saeculo illo erat adhuc augendus[58].

§ 29. Fratres doctrina et litteris insignes.

Sacrarum scripturarum studium, explicatio, ruminatio vita theologorum medii aevi erat[1]. Ut proficue nostri et alii his studiis intenderent, nostrates et correctionem et concordantias biblicas perfecerunt[2]. Ipse Dominicus[3] et Iordanus[4] interpretes insignes sacrae paginae habebantur, sicut Hugo de S. Caro, Humbertus de Romans[6], Petrus Rhemensis[7], Robertus Baco[8], B. Albertus[9] et S. Thomas[10], Petrus de Tarantasia[11] medullosi expositores sacri sermonis specialiter nominentur. Nicolaus de Hanapis, Nicolaus de Gorham[12], Ekkehartus[13], Petrus de Palude, Dominicus Grenier, Thomas Stubbs[14] Ioannes Annius (✝ 1502), Antonius de Ghislandis (✝ 1507, opus aureum de evangeliis totius anni), Thomas Caietanus[15] suis commentariis vel glossis in biblia innotescunt. Scientiae scripturisticae auxiliares vel ex narrationibus geographicis de oriente vel ex peritia linguarum per missionarios nostros valde augebantur. Demum Petrus Schwarz (Niger) inter christianos primus grammaticam hebraicam composuit[16]. Versiones in linguam catalanam, gallicam, hispanicam, italicam, germanicam varie fratres Praedicatores curarunt[17].

Theologi primae horae et quidem sequentes traditionalem conceptionem Augustinismo addicti erant[18] Rolandus Cremonensis, Hugo de S. Caro, Ioannes Pungensasinum, Petrus de Tarantasia, Bombolognus de Bononia, Romanus de Roma, Robertus Baco, Robertus Kilwardby, Richardus Fishacre. Moneta Cremonensis Summa adversus Catharos et Valdenses[19], Rainerius Sacconi Summa in Catharos et Patarenos[20], Vincentius Bellovacensis ingenti suo Speculo maiore, cuius partes doctrinalis, historialis, naturalis eum auctorem habent[21], Raymundus Martin Pugione fidei[22], Paulus Christiani suis disputa-

tionibus cum Iudaeis[23], Ricoldus de Montecrucis suo Propugnaculo fidei[24] celebres exsistunt. Interea B. Albertus Magnus amplis theologicis expositionibus cuiuscumque generis famosus theologiam scholasticam elemento Aristotelico auxit[25], S. Thomas, angelicus doctor, perspicacissime theologiae catholicae triumphum praeparavit. Eius scripta sacram scripturam, quaestiones dogmaticas, morales, canonisticas tractantes universalitatem et sublimitatem tanti magistri ostendunt. Pro incipientibus Summam theologiae conscripsit, pro socio suo Compendium theologiae, particularia quoque pro specialibus quaesitis, ut scripta in commodum fratrum conversioni Mahometanorum instantium[26]. Hugo Ripelin celebratum Compendium theologicae veritatis[27], Ulricus Engelberti, Bertholdus de Mosburg, Theodoricus Fribergensis[28], Ekkehartus[29], Ioannes Quidort[30], Iacobus de Lausanna[31], Thomas et Gualterus de Jorz, Gualterus de Winterburn[32], Nicolaus Trivet[33], aliique qui velut Thomistae nominati iam sunt, solemnibus scriptis litteras de divinitate ampliarunt.

Si nostrates inter eos apparuerunt, qui ad decretum super Talmud latum anno 1248 Parisiis mense maio concurrerunt[34], postea saepius in dirimendis rebus theologicis advocati sunt, e. g. in concilio Lugdunensi II[35], in relatione de Ockhamismo anno 1326[36]. In quaestione Ioannis XXII de statu animarum sanctarum post resolutionem a corpore usque ad collectionem earum cum corporibus, fratres Praedicatores inter annos 1330/34 generatim strenue sententiam genuinam tenuerunt, etsi Papae privatae opinioni resistere debebant[37]. Herveus Nédélec summus Thomista et theologus ordinis intrante saeculo XIII exstitit[38], sequentibus Durando de S. Porciano[39], Petro de Palude, Durando de Aureliaco, Roberto Holkot[40], Bromyard, Guillelmo a Lauduno[42], Armando de Bellovisu[43] ,Ioanne Schadland[44], Ioanne a Dambach[45].

Dum contra Iudaeos, Koranum, Mahometanos, Petrus de Pennis[46] et Alfonsus Buenhombre[47] doctrina et actione instabant, Bonacursius[48], Philippus de Pera[49], Manuel Calecas, Ioannes de Montenigro, Andreas Rhodius[50] contra Graecorum errores, Angli ut Guillelmus Jordanus contra Wyclefitas et Lollardos[51], Iacobus Arigonius et Nicolaus Iacquier contra Ioannem Hus, Ioannes Francofurtanus contra Hieronymum de Praga[52], Ioannes Nider[53] et Ioannes Stojković[54] contra Bohemos, Ioannes Dominici contra Humanismum[55] et plures durante schismate tum occidentali tum Basileensi contra aliam partem egerunt ac docuerunt[56].

Saeculi XV erant theologi amplissimi Ioannes Capreolus[57], Ioannes Nider, Henricus Kalteisen[58], Ioannes de Torquemada[59], qui egregie de Ecclesia disseruit, S. Antoninus[60], Petrus Schwarz[61], Vincentius Bandelli[62], Thomas de Vio Caietanus, Petrus Crockart, Conradus Köllin[63], Ludovicus Ferrariensis[64], imo etiam hic afferendus Savonarola[65].

In discussione de Immaculata Conceptione B. Virginis, ab anno 1362[66] Praedicatores Parisiis difficultates varias subierunt, ex nimia tenacitate Ioannis de Montesono auctas[67]. Plerumque nonnisi materialem doctrinam S. Thomae in hac re per saecula defendebant. De divinitate pretiosissimi Sanguinis Domini crucifixi ad Pium II versatissimus atque ornatissimus theologus Bartholomaeus Lapaccius[68] tractatum dedit, sicut magistri congregationis lombardicae coram eodem Summo Pontifice disputationum de eodem argumento praesidi egregie partes sustinuerunt[69]. Universaliter loquendo theologia dominicana sub forma thomistica incedens vergente medio aevo maiestatem et vim digne ostendit licet non ubique sufficiebat ad repellendas novas vias et tentamina, quae per Ockhamismum promotae in regionibus quibusdam Protestantismum paraverunt.

Ad sacramenti paenitentiae ministros bene formandos manualia et summae confessorum a nostris ab initio conscripta sunt, ita a Paulo Hungaro, a S. Raymundo de Pennafort, cuius Summa casuum familiarissima apud ordinem remansit, iam per Guillelmum Redonensem glossata[70]. Dum Ioannes Vicentinus, Humbertus de Romans, Vincentius Bellovacensis, B. Albertus Magnus, S. Thomas de Aquino, Guillelmus Peraldus, Laurentius Gallus, plura ad moralem doctrinam tradiderunt, Ioannes lector Friburgensis suam Summam (Ioanninam) operi Raymundi inhaerentem edidit etiam in linguas vernaculas versam, Bertholdus, Albertus de Brixia, magis adhuc Bartolomaeus de S. Concordio et Rainerius Pisanus, sed et Bartholomaeus Parvus, Nicolaus Caracciolo, Nicolaus Eymericus, Ioannes de Dambach[71], Ioannes Bromyard[72], Thomas de Clarasco, Hermannus Sittard[73], Ioannes Nider[74], Antonius de' Conti d'Elci, Lupus de Barrientos[75], Savonarola[76] et maxime S. Antoninus[77] quaestiones fori interni ac casuisticam exposuerunt. « Bonum opus operaretur ille qui improbo sane labore huius opusculi (summae confessionalis [Antonini]) effectum in saeculorum XV-XX theologiam moralem describeret. Usque ad annum 1500 plus quam 150 prodierunt editiones »[78].

Iuris canonici sicut et moderate iuris civilis peritiam ministris animarum et ecclesiastici servitii necessariam nostri nanciscebantur. Non solum utriusque iuris magistri ordinem saepius ingressi (ut Paulus Hungarus, vel celeberrimus decretalium librorum quinque collector Raymundus de Pennafort vel Ioannes Vercellensis) suas cognitiones in ordine pandebant, sed et ipsi fratres has notitias adipiscebantur: Guillelmus Redonensis, Vincentius Bellovacensis, Martinus Polonus, Martinus de Fano, Gerardus de Valeto, Clarus Bononiensis, Hugo de S. Caro, Petrus de Tarantasia, Albertus Magnus, Thomas Aquinas[79], Hermannus de Minden[80], Stefanardus de Vimercato, Franciscus Lampugnani, Guillelmus Petri de Godino[81], Bernardus Guidonis[82], Ioannes de Dambach, Nicolaus Rosell, Nicolaus Eymericus[83], Ioannes[84] et Thomas de Torquemada, Leonardus de Vienna[85], Antoninus[86], Iacobus Sprenger, Henricus Institoris, Engelbertus Cultificis[87]. Interdum fratres ipsi manualia iuris sibi scripserunt[88] vel a doctoribus iuris ea efflagitaverunt[89].

Theoriam praedicationis e nostris e. g. Humbertus de Romanis, qui maximus de re homiletica auctor saeculi XIII vocatur[90], Ioannes Bromyard illustrarunt, dum praedicabilia Stephanus de Borbona[92], Nicolaus de Byard[93] compilarunt. Sermones fere innumeri a fratribus Praedicatoribus consignati sunt. Nominentur illi auctore B. Alberto Magno[94], S. Thoma Aquinate[95], Nicolao Gorham[96], Aegidio Aurelianensi[97], Aldobrandino Cavalcanti, Godefrido de Waterford, Latino Malabranca[98], B. Iordano de Pisis[99], Ioanne de S. Geminiano[100], magistro Ekkeharto[101], Ioanne Taulero[1 2], Thoma Ringstead[103], S. Vincentio Ferrer[104], B. Ioannes Dominici[105], Leonardo Dati, Ioanne Herolt, B. Petro Geremia, Hugolino de Camerino, Bartholomaeo Mutinensi[106], Gabriele Barletta[107], Hieronymo Savonarola[108].

In explananda liturgia Humbertus de Romans[109] et Guillelmus Durant (Rationale divinorum officiorum anno 1286 absolutum et saepius typis mandatum)[110] merito excellunt. Rem pietatis, asceticae et mysticae praebent non solum opera clarissimorum theologorum Alberti, Thomae aliorumque sed et epistulae B. Iordani ad B. Dianam sociasque datae[111], scripta Romaei de Levia, Guillelmi Peraldi, Gerardi Leodiensis (Liber de doctrina cordis)[112], Wichmanni de Arnstein[113], Venturini Bergomensis (Perfectio vitae spiritualis)[114], Iacobi Passavanti (Lo specchio di vera penitenzia)[115], Ioannis de

Dambach[116], B. Henrici Sense[117], B. Raymundi de Capua[118], Vincentii Marvegio eiusque socii[119], S. Vincentii (Vita spiritualis partim ex Venturino)[120], Ioannis Nider[121], Ioannis Tigart, Bartholomaei Mutinensis, Iacobi Caroli, Ioannis de Bomale[122], Hieronymi Savonarola[123]. Moralem finem sibi in enarrandis fabulis Ulricus Boner (circa annum 1350) proposuit[124]. Educationem tum individualem tum familiarem tum politicam expositiones Guillelmi de Tornaco[125], Thomae de Aquino[126], Ioannis Dominici[127], Antonini[128], tractatibus vel tractatulis perstrinxerunt.

Grammaticalibus et philologicis expositionibus Iordanus de Saxonia[129], Nicolaus Trivet[130], Ioannes Balbus Ianuensis[131], Emmanuel Calecas[132], Petrus Schwarz[133], Ioannes Cono[134], innotuerunt. Inter litterariae formae cultores Petrus Ranzano relevetur[135].

Historicas litteras generales (praeter proprias)[136] praecipue coluerunt Vincentius Bellovacensis (✝1261, Speculum historiale, Memoriale omnium temporum)[137], Martinus Polonus (✝ 1278, Chronica « Summa Martiniana »[138], Ioannes Rufus (1284 Chronica)[139], Bartholomaeus Lucensis (✝ 1327 Mistoria ecclesiastica)[140], Nicolaus Trivet (✝ 1328, Annales universales et Angliae)[141], Bernardus Guidonis (chronica)[142], Thomas Stubbs (de archiepiscopis Eboracensibus)[143], Nicolaus Rosell (Gesta Romanorum Pontificum)[144]. Chronicas varias compilarunt Leo Urbevetanus[145], Conradus de Halberstadt[146], Ioannes Aquensis[147], Ioannes Columna (Mare historiarum)[148], Henricus de Herfordia[149], Petrus Baiocensis[150], Hermannus Lerbecke, Hermannus Korner (Chronica, 1435), Iacobus de Susato (compilator historiographus)[151]. S. Antoninus in suo Chronico sive summa historiali uberrimas expositiones, diversi quidem valoris, congessit[152]. Ioannes Annius tamquam rerum Tusciae vetustatis expertus[153] habetur. Regionalem historiam in saeculo XIII annalistae Argentinensis (deperditus), Basileensis, Columbariensis pro partibus maxime Alemanniae[154], Stefanardus de Vimercato (✝ 1298)[155] pro Mediolanensibus, Petrus Marsili pro Catalaunia, Bernardus Gui pro Lemovicensibus[156], Ioannes de Cornazano pro Parmensibus, Hieronymus Albertucci[157] pro Bononiensibus, Petrus Ranzano pro Panormitanis[158], Ioannes Nederhoff pro Tremoniensibus[159], Petrus Herp pro Francofurtanis, Felix Fabri Tigurinus pro Suevia scripserunt[160].

Alios ac nostros sanctos celebrarunt praecipue legendaria Iacobi a Voragine (Historia lombardica)[160] et Petri Calo[161] necnon et Vincentius Kylciensis (S. Stanislaum)[162], Radulphus Bocking (S.

Richardum Cicestrensem)[163], Godefridus de Belloloco et Guillelmus Carnutensis (S. Ludovicum IV)[164], Theodoricus de Apolda (S. Elisabetham)[165], Israel Erlandi (S. Ericum)[166], Mauritius Gaufridi (1471, S. Ivonem)[167].

Tandemque quoad narrationem itinerum et rerum orientis Guillelmus Tripolitanus[168], Burchardus de Monte Sion, Otto de Nienhausen[169], Ricoldus de Montecrucis[170], Franciscus Pipini[171], Guillelmus Adae[172], Iordanus Catalani de Sévérac[173], Leonardus Ser Uberti[174], Felix Fabri (Evagatorium)[175] bene meruerunt, dum geographica problemata per quemdam fratrem Basileensem, qui et mappam mundi[176] composuit, per Leonardum Dati[177], et Petrum Ranzano[178] tractata sunt.

Philosophiae usus moderate in ordine primis temporibus fiebat. Rolandus quidem Cremonensis Summam suam sale philosophiae condidit[179] et Moneta de Cremona[180] notandam cognitionem Aristotelis prae se tulit. Magister Oxoniensis Robertus Fishacre Aristoteli, quem tamen cognoscit, non favet[181]. Philosophiae studium B. Albertus Magnus et S. Thomas debitis prorsus et iustis rationibus coluerunt. Hi praecipue Aristotelismum sequebantur[182] dum alii Augustinismo potius inhaerebant ut Robertus Kilwardby, qui praeter alia scripta philosophica, nomen suum operi De ortu et divisione philosophiae innexuit[183]. Theodoricus Fribergensis doctrinas neoplatonicas sub forma ab Alberto Magno et Udalrico Argentinensi proposita amplexus est[184], dum Durandus de S. Porciano[185] de relationibus et rebus psychologicis propria proferebat. Super elenchos Oliverius Armoricus († 1296), in Aristotelis philosophiam commentaria Petrus Monticellus († 1327) et fructuosius adhuc Nicolaus de Asculo († 1330)[186] scripserunt, Armando de Bellovisu elucidationes in terminos philosophiae et theologiae edente[187]. Robertus Holkot vias nominalisticas philosophando elegit[188]. Provincia Romana Franciscum et Arnaldum de Prato et Stephanum de Reate logices, metaphysices, physicorum magistros habuit. Dominicus de Stellopardis (1391) libros de anima, Nicolaus de Troia plura philosophica commentariis ornarunt. Apud Italos Leonardus Dati in naturalibus, Ludovicus Ferrariensis in physicis, Hieronymus de Albitiis in metapysicis[189], apud Hispanos Lupus de Barrientos in psychologicis excelluerunt[190], Dominico de Flandria Bononiae et Erasmo Frisner Lipsiae[191] sua doctrina commentationibusque Aristotelicis innotescentibus. Caietanus quoque iam celebratissimus philosophus exstitit.

In naturalibus Rolandus Cremonensis[192] et magis Albertus Magnos, qui e. g. de alchymia, de metallis, de mineralibus, de animalibus, de vegetalibus et plantis disseruit[193], Vincentius Bellovacensis (Speculum naturale), Thomas Cantimpratanus (de rerum natura), Theodoricus Fribergensis (de iride, de luce, de coloribus)[194]. Alexander della Spina († circa annum 1313) qui adiumenta artificialia oculorum invenit[195], Nicolaus de Dacia in astronomia, Ioannes Gattus[196] in similium disciplinarum copia excelluerunt. De mathematica Iordanus Saxo, cuius persona saepe cum illa B. Iordani identificatur, optime meruit[197]. Medicina pro iis, qui antea eam sciebant, permittebatur[198]. Ita Rolandus Cremonensis medicinales notiones possedit[199]. Magister Ioannes de S. Aegidio[200] et lector Henricus Basileensis[201] medicalem praxim exercebant. In provincia Romana lectiones de medicina datas[202] fuisse perhibetur dum Theodoricus Catalanus in Italia scientiam medicam addidicit[203] sicut Henricus Daniel de infirmitatibus multigenis[204] docuit. Severe 1320 inhibetur in ordine « quod (fratres) de medicinalibus se nullatenus intromittant nisi de licentia magistri ordinis vel prioris provincialis. Quicumque autem practicaverint... quodcumque emolumentum habuerint e nunc pro tunc conventibus deputamus »[205].

Alchymia anno 1287 vetita est et iterum 1289[206]. Ordinatio anno 1313 data imponit, scripta de arte alchymiae infra octo dierum spatium a notitia ordinationis ab eis qui huiusmodi possident comburenda esse, aliter excommunicatione et carcere sequente[207]. Studiis alchymiae, naturalium et magiae Robertus Eboracensis[208] innotuit.

§ 30. Rerum ordinis scriptores.

Cum ordo Praedicatorum potius zelanti actione quam consignatione propriarum rerum gestarum excelluerit, non miramur de tenuitate historiographiae dominicianae circa suas res. Iam B. Iordanus notat habitudinem fratrum Bononiensium, qui cum gratia divina sepulchrum S. Dominici illustrante digna actione non concurrerent. « Si quidem visum est plerisque non debere recitari miracula, ne sub velamento pietatis speciem quaestus incurrerent sicque dum propriam opinionem inconsiderata sanctitate celarunt communem Ecclesiae neglexere profectum et gloriam sepeliere divinam »[1]. Atque exeunte medio aevo chronista Ioannes Meyer magnitudinem sanctorum atque venerabilium contemplans de historiagraphia deficien-

te profitetur: « licet negligentia nostra tanta sit ac fuerit ut eorum mirifica et praeclara vita paucis nota sit in Ecclesia militante »[2].

Exordium ipse B. Iordanus fecit De initiis ordinis narrans. In qua expositione anno 1233 absoluta vitam S. Dominici pulchram fundationemque ordinis insertis aliorum fratrum primitivorum gestis tradit[3]. Post admonitiones capitulorum generalium Mediolanensis anni 1255 et Parisiensis anni 1256 iuxta quam miraculum, visio, facta aedificatoria fide et memoria in ordine digna ad magistrum ordinis transmitterentur, « ut per eius diligentiam huiusmodi in scriptis redigantur ad utilitatem futurorum »[4], tum Gerardus de Fracheto tum provincialis Provinciae tum Thomas Cantimpratanus ad suas lucubrationes historicas manum apposuerunt. Ille quidem Vitas fratrum circa 1259 vel 1260 publicavit[5], cum voluntate ut diversarum regionum fratres gestas sibi notas adderent[6]. Etsi pietati ante omnia inservientes[7], huiusmodi « Vitae » quinque partibus distinctae historiographis acceptissimae sunt. « Vitas fratrum » Humbertus prologo comitatus est[8], dum Thomae Cantimpratani Bonum universale de apibus « de mandato vestro », id est magistri Humberti, compilatum esse constat[9]. Chronicae duae antiquissimae ordinis, quae ad Vitas fratrum accedunt, auctores vel Gerardum de Fracheto vel magistrum Humbertum aut Petrum Ferrandi habent[10].

Magni momenti sunt opera Stephani de Salanhac, qui circa annum 1230 ordinem amplexus (+ 1291) tractatum brevem concinnavit De quatuor in quibus Deus Praedicatorum ordinem insignivit, nempe 1. de bono ac strenuo duce, 2. de glorioso nomine, 3. de illustri prole, 4. de securitate professionis. Etsi auctor suum tractatum ad finem non perduxerit[11], tamen materiam notandam et sensu satis critico compilavit, qua praeiacente utens atque eam impigra additione augens eruditissimus et sollers Bernardus Guidonis (+ 1331) pro historia ordinis in primo saeculo suae exsistentiae solidam informationem praebuit. Componitur opus definitivum Bernardi Guidonis iisdem partibus, quas Stephanus incoeperat. Auxit autem Bernardus has expositiones tractatu speciali « de tribus gradibus praelatorum in ordine Praedicatorum », nempe de magistris generalibus, prioribus provincialibus, prioribus conventuum. Collegit Bernardus quoque acta capitulorum generalium et provinciarum[12], de viris illustribus ordinis Petro Guidonis (+ 1347) tractante[13]. Chronicam ordinis a nativitate S. Dominici ad annum 1333 deductam Galvagnus de la Flamma Mediolanensis exaravit. Si ipsi cre-

dere vis, ait p. Reichert editor huius chronicae, ineunte saeculo decimo quarto iam multum a prisco observantiae rigore Dominicana familia defecerat, unde Galvagnus totus in eo est, ut suis ad primorum ordinis fratrum severitatem fervoremque, quomodo reducendi essent per « librum » suum « indicantem observare ordinem ad unguem » ostenderet[14]. Aliud chronicon ordinis et Aragoniae provinciae Petrus de Arenys (+ circa annum 1419) composuit[15] Iacobus de Schwefe vel de Susato chronicam rerum gestarum ordinis ad annum 1415[16], Laurentius Pignon (+ 1449) et ordinis chronicon et catalogos fratrum sororumque vita vel diversis meritis illustrium necnon et actorum comitiorum[17], Ludovicus de Valle Oleti (+ circa annum 1436) tabulam scriptorum ordinis reliquerunt[18]. Thomas Nacci Senensis de re et personis tertii ordinis plura consignavit[19].

Post S. Antoninum, qui in suo Chronico large de partibus ordinis loquitur[20], pro re nostra citandae sunt et immensa collectio Hieronymi Borselli (+ 1497) cuius Chronica magistrorum generalium ordinis in bibliotheca Bononiensis athenaei asservatur[21], et meritissima expositio Ioannis Meyer (+ 1485) de viris illustribus ordinis Praedicatorum aliaque eius scripta historica[22], et Georgii Epp lucubratio « de illustribus viris ac sanctimonialibus s. ordinis Praedicatorum » 1506 edita[23].

Sanctorum membrorum ordinis dominiciani descriptio spectabat imprimis S. Dominicum, cuius gesta ac virtutes retinebantur per B. Iordanum, per processum canonizationis, per legendas Petri Ferrandi, Ioannis de Mailly, Constantini Urbevetani, Bartholomaei Tridentini, Humberti « officialem », Vincentii Bellovacensis, Stephani de Borbona, Gerardi de Fracheto, Iacobi de Voragine, Roderici Cerratensis, Theodorici de Apolda, per narrationes Ioannis de Columna, Thomae Cantimpratani, sororis Angelicae, Stephani de Salanhaco, Bernardi Guidonis[24], Petri Calo, ceterorumque chronistarum vel hagiographorum usque ad Eppium[25]. S. Petri vitae acta et martyrium Thomas Agni (+ 1277) auctorem habent[26], dum Thomae de Aquino hagiographi praecipui[27] Tholomaeus Lucensis, Guillelmus de Tocco, Bernardus Guidonis, Petrus Calo innotescunt, S. Vincentius Ferrer in Petro Ranzano[28] summum biographum aliumque in Ioanne Lopez[29] obtinuit. Atque ad laudem S. Catharinae vitam (legendam maiorem) B. Raymundus Capuanus conscripsit postquam vitam S. Agnetis de Montepolitioano illustravit[30]. Ex legenda maiore

S. Catharinae auctore Raymundo Thomas Caffarini legendam minorem excerpsit[31].

Vitam B. Ambrosii Sansedonii Oldradus Visdomino[32], acta B. Christinae de Stummelu Petrus de Dacia[33], res gestas S. Hyacinthi Stanislaus de Cracovia[34], vitam B. Margaritae de Hungaria Garinus[35], vitam B. Sibyllinae Papiensis (✝ 1367) Thomas de Bozolasco[36], vitam ac miracula B. Alberti Magni Petrus de Prussia et Rodulphus de Noviomago[37], vitam B. Petri Geremia Thomas Schifaldo[38], illam B. Ioannis Dominici aliorumque Ioannes Caroli[39] descripserunt.

Legendaria vel collectiones, in quibus hagiographia etiam dominicana tractatur praebuerunt Stephanus de Borbona, Vincentius Bellovacensis (in Speculo historiali), Iacobus de Voragine, Petrus Calo, Bartholomaeus Lucensis, Giselherus[40], Franciscus Pipini, Ioannes de Columna, Hieronymus Borselli, Ioannes Meyer, Georg Epp. Conscriptionem legendarum capitulum generale anno 1334 explicite postulaverat[41].

Si provinciarum et conventuum ordinis historiographia inspicitur, merita Bernardus Guihabet, qui praeter indicationes plures in suo tractatu de tribus gradibus praelatorum, circa provincias quasdam specialem historiam fundationis conventuum provinciarum Provinciae et Tolosanae reliquit[42]. De rebus provinciae Angliae Nicolaus Trivet in suo Chronico loquitur. Germani chronistas duos conventus Tremoniensis (Dortmund) habuerunt[43], insuper annalistam Francofurtanum (1306/1500) Petrum Herp[44] et Ioannem Meyer auctorem libri Reformationis ordinis Praedicatorum aliosque[45]. Apud Italos chronica quaedam S. Sabinae de Urbe[46], chronicae Urbevetana (1216/1340) auctore Ioanne Mattei Caccia[47] sicut et Perusina[48] necnon et Pisana[49] nominentur. Petrus de Arenys et Ioannes de Mena Aragoniae provinciae res narrant[50].

c) VITA ET ACTIO APOSTOLICA.

Visis eis, quae tum religione tum scientia et contemplatione in fratribus Praedicatoribus requiruntur, nunc magis proprie de praedicatione tractandum, quae teste Humberto de Romans « est opus fructuosius et excellentius inter omnia opera nostri ordinis »[1]. Insuper scribendum de actione et operibus, quae virum apostolicum decent, ut opera zeli fidei et ecclesiastici et etiam — congrue — utriusque misericordiae.

Sic melius comperitur, S. Dominicum salutis animarum sitientissimum specialiter ordinem suum instituisse ob praedicationem et animarum salutem. « Dum sibi superna speculatus fuerit cultor eremorum, sedebit solitarius et tacebit. Apostolus autem profunda Dei, non soli sibi, sed et populis perscrutatus velut nubes volabit, Dei agriculturam imbribus irrigans salutaribus. Haec est actuosa, sui diffusiva contemplatio, quam Duodecim non solum relictis retibus et patre vel contenta terrenorum possessione, sed etiam summae pietatis operibus dimissis professi sunt... Eos imitatus beatus pater Dominicus fratres suos non mensis ministrare, non infirmis deservire, non christianorum hostes fugere, non captivos redimere, non pueros ex professo voluit educare, sed totos esse Praedicatores, qui contemplationis suae participem efficerent omnem creaturam. Quemadmodum enim Petrum et Paulum audierat sibi dicentes: « Vade et praedica, quia a Deo ad istud officium electus es » ita et ipse filios suos nondum adulto ordine per totam Europam dispersit praedicatores... Nota est imago vulgatissima Salvatoris e cruce pendentis, cuius divinum cruorem e vulneribus scaturientem pateris excipiunt adstantes angelorum. Talium angelorum vices a fratribus Praedicatoribus geri clienti suo mater virgo testata est: « Hi sunt, inquit, qui specialiter insistunt negotio, ne dilecti filii mei sanguis inutiliter sit effusus »[2].

Ideam apostolatus vigorosam atque actionem fecundissimam fratres Praedicatores habuisse et aliis ordinibus exemplo et successu tradidisse constat. Si humanae fragilitatis indeficientiae etiam adfuerint, eae conatui nobili summorum ordinis filiorum detrectare non possunt.

§ 31. Ratio praedicandi. Formatio praedicantium.

Aureis plane litteris de disciplina sacrae praedicationis merita, quae S. Dominicus et ordo ab eo fundatus congessit, in historia rei homileticae et fratrum Praedicatorum inscribenda sunt. Ab anno 1206 Didacus Oxomensis et S. Dominicus praedicationi veritatis catholicae apostolico modo propositae instabant, ut infelices populos ad lumen divinum percipiendum reducerent. Velut sacerdotes i. e. ordinarii ministri Ecclesiae, in spiritu et habitu paupertatis, in fervore compassionis de salute animarum, in cognitione accurata depositi fidei et perspicientia fallaciarum adversariarum missioni prae-

dicationis se dedicarunt. Praeparatique ad ministerium accedebant. Quare discedente Didaco ad dioecesim suam, S. Dominicus ita apostolicae huic ideae ac praxi inhaesit, ut non solum opus incoeptum continuaverit sed etiam sociis adscitis ampliaverit, praesertim cum ab anno 1217 universalitatem suo instituto intuitu praedicationis efficacioris primus tribuit[1].

Filiis suis zelum, quo ardebat, relinquens vim particularem[2] tradidit, quae per saeculum XIII maxime[3] innotescit. Dum fratres Praedicatores sicut et fratres Minores curam animarum per concilium Lateranense IV inculcatam universali modo exsequebantur[4] et Summi Pontifices fratribus Praedicatoribus officium et honos tamquam totaliter deputatis ad praedicationem concedunt, statuta de formatione praedicantium, quae in constitutionibus anni 1228 continentur, magna ex parte ad patrem Praedicatorum S. Dominicum reduci posse videntur.

Post domum Prulianam « sanctae praedicationis » conventus quicumque centrum actionis divini sermonis esse debuit. Conventus suam diaetam sive « praedicationem » sive terminum habuerunt, in qua ordinarius eorum influxus exercebatur. In his terminis fratres etiam quaestuare poterant. Pendebat victus ac vita fratrum ex termino sicut eorum actio huic termino applicabatur[5]. Lites de terminis saepius oriebantur et finiendae erant. Quare Treviris anno 1249 statutum est: « Fratres de una provincia non praedicent nisi in transitu infra terminos alterius provinciae nec quaestum faciant nisi de licentia prioris provincialis vel conventualis, ad quos pertinent termini praedicti. Quod si de cetero aliqui facerent, teneantur restituere priori conventuali in cuius terminis aliquid acquisiverint »[6].

Generali modo quicumque sacerdos professus ordinis Praedicatorum ministerio verbi divini annuntiandi devovetur. Etiam professores in hoc apostolatu participabant, quoad occupatio eis otium vel munus universitarium interdum praedicandi praeceptum dedit.

Ut autem fratres ordinis Praedicatorum boni praedicatores fierent, caute et prudentissime tempore primitivo statuebatur, ut frater prius suis fratribus praedicaret, deinde praedicator communis fieret, demum si facultatem ac gratiam habuerit, ad praedicaturam generalem, quae maior dignitas iuxta superiores erat, promoveretur[7]. Hic adhuc quaedam specialia repetantur, quae pro variis qualitatibus praedicantium occurrebant.

Imprimis ex constitutionibus anni 1228 notandum quod « nul-

lus assumatur ad praedicationis officium extra claustrum vel fratrum consortium infra XXV annos ». Postquam quis tamquam praedicator electus est, curam vel administrationem de temporalibus habere non debebat, ut expeditius et melius ministerium spirituale adimpleret. Ad exercitium vero praedicationis post unum annum theologiae illi admitti poterant, de quorum praedicatione scandalum non timebatur[8]. Anno 1251 severior cura de seligendis et deputandis praedicatoribus eorumque scientia inculcatur[9], dum anno 1267 definitive in capitulo de praedicatoribus « post illud infra XXV annos » additum est « nec praedicet populo nec confessiones extraneorum audiat sine licentia prioris sui in capitulo de consilio discretorum sibi data »[10]. Praedicator communis inspectioni ac moderationi prioris conventualis suberat, qui etiam praedicatori socium deputabat. Praedicator et socius recepta benedictione exibant « sui sequentes vestigia Salvatoris », tamquam viros qui suam et aliorum salutem procurare desiderant ubique se habentes. Extra casum praedicationis expeditionum cruciatarum fratres exeuntes ad praedicationem quaestum non faciebant[11]. De communibus praedicatoribus Humbertus de Romanis optime rationem et rem agendi et dicendi depingit. Una sententia eius citetur: « Praedicator communis habet officium speculi quantum ad bonum exemplum et habet officium lucernae ardentis quantum ad praedicationis verbum »[12].

Praedicator generalis magnitudine officii et dignitatis pollens iam in constitutionibus anni 1228 apparet. Ipse de iure est membrum capituli provincialis, sicut prior conventualis. Theologiam saltem per annos tres quidem studuisse eum oportet[13]. Ideo in constitutionibus redactionis Raymundianae habetur: « Nullus fiat praedicator generalis antequam theologiam audierit per tres annos et nisi sit maturus et discretus ad negotia ordinis in capitulis pertractanda »[14]. Praedicator generalis ubique verbum Dei proponere potuit, non solum intra terminum conventualem. Subest iuxta obedientiam priori conventuali, sed praedicare intra provinciam potest abque eius licentia[15]. Iure sigilli fruitur[16]. Attente distinguendum est momentum praedicatoris generalis durante variis temporibus saeculi XIII[17].

In principio ordinis praedicatura generalis secundum eloquentiam et fructum animarum dimetiebatur. Medio autem saeculo negotium capitulare dignitatem praedicatoris generalis magis quam concionandi officium efformabat, sicut et Humbertus plus de expediendis rebus capitularibus per praedicatorem generalem loquitur

quam de huius praedicatione[18]. Praedicator generalis in administratione potius versabatur quam in concionando. Si quis ad capitulum provinciale praeter priores et socios advocandus erat, titulo praedicatoris generalis insigniri debuit. Sic e. g. S. Thomas de Aquino velut praedicator generalis multis capitulis provinciae suae Romanae adstitit[19]. Exeunte saeculo XIII honor et titulus praedicatoris generalis officio sive primario praedicationis sive secundario administrationis praevaluit. Provincia Hispaniae in capitulo anni 1299 praedicatores generales 43 nominavit eos instituens pro nationibus Portugalliae, Gallaeciae, Navarrae, Aragoniae, Catalauniae. Ex his promotis aliqui priores sunt, alii doctores, unus rector monialium quoad spiritualia et temporalia, ideo inepti ad fructuose exercendas missiones apostolicas inter populos. Demum aliquis Michael Roderici « propter reverentiam provincialis » praedicator generalis nominatus est[20]. Si iam anno 1240 capitulares edixerunt : « fratres nimis iuvenes et indocti non multiplicentur nec praedicatorum generalium numerus»[21], si cardinalis Hugo ad patres Florentiae anno 1257 congregatos scripsit : « praedicatorum generalium multitudo discursum multiplicat et ideo eorum multiplicatio non videtur pluribus fructuosa »[22], augmentum praedicatorum generalium circa annum 1300 et postea in immensum fere crevit.

Instituere praedicatores generales ad provincialem ac definitores capituli provincialis spectabat. Absque dubio capitulum generale has institutiones pro quacumque provincia facere potuit. Re vera autem institutiones per capitula generalia non cognoscuntur, bene tamen reductio institutionum in provinciis factarum. Sic per capitulum generale anni 1281 praedicatores generales provinciae Romanae absolvebantur, 1283 et 1285 illi provinciae Provinciae, 1288 illi provinciae Lombardiae, non deficientibus hortationibus, quod praedicatores in provinciis aeque deligerentur[23]. Tandem anno 1327 inter admonitiones capituli generalis Perpiniani habiti per auctoritatem pontificiam vim confirmationum habentes haec reperitur, quae numerum praedicatorum generalium ad numerum conventuum restringit « et non fiant aliqui in aliqua provincia habente numerum excessivum donec ad dictum numerum sint redacti, illis dumtaxat exceptis qui ratione antiquitatis vel infirmitatis ad capitula provincialia venire non possunt »[24]. Fuerunt autem tunc praedicatores generales non amplius in privilegio loci capitularis praeter priores et socios, cum etiam ab intrante saeculo XIV magistri theologiae in gremium capitulorum

provincialium penetraverint[25]. Attamen promotio ad praedicaturam generalem semper appetenda videbatur[26].

Officium praedicatoris generalis ad vitam durabat, etsi aliqui casus adsunt, qui de iteratis institutionibus testantur[27].

Tum statuta et directiones S. Dominici de praedicatione, quae ex eius processu canonizationis habentur, tum constitutiones anni 1228, ubi de examine ad praedicandum eligendorum et de eorum exercitatione cum provectioribus in praedicatione sermo est[28], tum instructiones diffusissimae magistri Humberti summi meriti auctoris[29] fratres Praedicatores ad eorum officium proprium salutifere formabant.

Qui ad annuntiandum verbum Dei mittebantur, quoad fieri poterat episcopum visitare et cum eo de fructu faciendo se componere, imo ei in iis quae contra ordinem non fuerint, obedire debebant[30]. « Praedicare non audeat aliquis in diocesi illius episcopi qui ei ne praedicet interdixerit, nisi litteras et mandatum habeat Summi Pontificis »[31].

Influxum, quem ordo Praedicatorum per propositionem verbi divini fecit, magister generalis Humbertus in circulari littera anno 1260 Argentinae data sic exprimit: « Docemus populos, docemus praelatos, docemus sapientes et insipientes, religiosos et saeculares, clericos et laicos, nobiles et ignobiles, parvos et magnos, docemus praecepta, docemus consilia, docemus ardua, docemus secura, docemus semitas perfectionis, docemus omnimodam honestatem virtutum »[32]. Quo melius universalitatem praedicationis et fratrum Praedicatorum enuntiares?

Incessanter hi fratres pedites et pauperes (curru et pecunia prohibitis)[33] orbem peragrabant, ad varios campos sui apostolatus accedentes. Sicut S. Dominicus in viis et plateis publicis, in choris et capitulis religiosorum et in ecclesiis praedicabat, ita filii sui fecerunt. De cetero quemadmodum communiter sectae Albigensium, Valdensium, Patarenorum in publico ideas suas pandebant, ita fratres Praedicatores in eos publice insurgere debebant. E. g. Rolandus Cremonensis in foro Placentino, S. Petrus Veronensis in platea coram ecclesia S. Mariae Novellae Florentiae praedicabant. Saepe concionator coram platea loquens e loco eminentiore vel arte vel natura praeparato vel in cathedra ad murum aedium constructa collocabatur. Ioannes Vicentinus ex elegantissimo curru (carrocio) a bovibus vecto, S. Petrus Veronensis ex cathedra mobili interdum concionabatur.

In ecclesiis usque ad saeculum XIII inclusive non in navi, sed ex confinio chori et navis vox praedicatoris resonabat. Ad cancellum (Kanzel), chorum et navem separans, vel etiam ex ambone seu lectorio praedicabatur. Vel concionator in aedicula elevata, ad quam ingressus e claustro patebat, vel in suggestu sacro, cathedra (chaire) quae hinc inde in ecclesia transferri potuit, stabat[34].

Tempus praedicandi duplex fuit, ordinarium per certos dies sacros, et extraordinarium ex occasionibus specialibus impositum. Ordinarie sermo in quacumque dominica vel festivitate post evangelium in missa habebatur[35]. Quae consuetudo antiqua episcoporum homiliam dicentium est. Vocabantur huiusmodi praedicationes in mane. Fuerunt tamen etiam sermones ante coenam pronuntiati. B. Iordanus Parisiis collationes speciales pro studentibus universitatis introduxit[36] sicut et postea fratres Praedicatores efficacissimi Praedicatores universitarii exsistebant, ita ut orta lite universitatis Parisiensis cum ordine dominicano calamitas praedicantium adfuerit[37].

Extraordinariis finibus inserviebant fratres Praedicatores, dum a praesulibus vel Papis ad concionandum e. g. contra principes curiae Romanae inimicos aut pro orando in favorem Terrae sanctae vel expeditionis cruciatae excitabantur. Excommunicato Friderico II anno 1239 ordinibus mendicantibus Sedes Apostolica utebatur, ut inimicum destrueret. Imperator expulsione religiosorum e suis terris mandato apostolico respondit. Durarum circumtsantiarum signum in ordinatione capituli generalis Parisiensis anni 1246 servatur: « Caveant diligentissime fratres ne inter se vel coram saecularibus de facto domini papae in aliquo obloquantur vel Friderico favorem verbo vel facto praebere videantur »[38]. Dum Innocentius IV fratres ad ardorem instigavit, magister Ioannes Teutonicus ordinem universum ad suscipiendos fratres persecutos ex Tuscia, Lombardia, Teutonia invitavit[39]. Similes casus etiam postea evenerunt[40]. Praedicatio crucis pro defendenda Terra sancta, pro instauranda expeditione in Terram sanctam vel ad impugnandos hostes nominis christiani inter Albigenses, Slavos, Prutenos saepissime zelum fratrum Praedicatorum occupavit[41] Non solum Ioannes Teutonicus anno 1224 in comitatu cardinalis Conradi de Urach O. Cist. crucem praedicabat[42] sed et anno 1226 (contra Albigenses) Stephanus de Bourbon[43], et anno 1263 B. Albertus Magnus[44]. Humbertus de Romanis specialem tractatum de praedicatione crucis confecit, qui ab historicis magni habetur[45]. In medio aevo exeunte praedicatio indulgentiarum in usum venit.

Circa modum praedicationis saeculi XIII inter primam et secundam medietatem eiusdem saeculi distinguendum esse videtur. In prima medietate probabilius dominatur praedicatio spontanea, ardens, in compositione simplex, movens in affectu. In altera vero saeculi parte vel pro praedicatione influxus scholasticae magis excultae inveniri putatur[46]. Numquam tamen sermones scripti divisionibus et subdivisionibus et copia citationum ex sacra scriptura vel auctoribus ecclesiasticis constantes atque onusti cum sermonibus viva voce coram populo habitis confundendi sunt. Lingua vulgari pro concione coram populo[47] vel pro conversis facienda[48] utebantur, dum pro sermonibus ad clericos vel ad studentes et pro consignatione sermonum plerumque lingua latina adhibebatur. Cautum est anno 1242, ne quis « fratrum de cetero sermones vel collationes vel alias scripturas de latino transferant in vulgare »[49]. Quae ordinatio certe nos multis sermonibus vulgari lingua consignandis privavit. Sermones, quos e. g. Thomas de Aquino italice protulit, latine a Petro de Andria aliisque excipiebantur[50]. Sermones etiam italici B. Iordani de Rivalto et sermones germanici Ekkeharti vel Tauleri quam maxime per auditores scribebantur[51]. Aliqui fratres variis idiomatibus ita pollebant, ut non solum lingua sua patria et latina, sed etiam in aliqua vel aliquibus aliis praedicare poterant. Hoc tum de pluribus missionariis provinciarum Graeciae, Terrae sanctae vel partium Prutenorum et Maurorum tum etiam de fratribus quibusdam aliis valebat. Ita B. Iordanus aliquando gallice praedicabat[52]. Iuxta Ioannem Teutonicum polyglottam Ioannes Waterford anglicam, latinam, gallicam, arabicam linguam calluit[53].

Haud facile aestimandum est, quantum praedicatores totius medii aevi pro linguis nationalibus excolendis et perpoliendis adlaborabant et perficiebant, cum publice et constanter verbum Dei omnibus coetibus populorum suorum proponerent[54].

Demum in omni genere praedicationis sive apostolico sive scholastico sive mystico sive in utilitatem Ecclesiae vel civitatis sive humanistico sive paenitentiali nostrates non defuerunt.

Excessus in actione praedicatoria, qui qualitercumque a dignitate ministerii sacri deficiebant sive ducendo comitatus paenitentium[55] sive theatrales scenas fingendo[56], prohibebantur.

§ 32. Exercitium praedicationis apud fideles.

De praedicatione S. Dominici notarunt coaevi, quod fuit assidua motiva, universalis, exemplis illustrata. Sic e. g. Iordanus dicit, Dominicum post discessum Didaci solum « in praedicationis iugitate » permansisse[1], Radulphus Faventinus autem asserit, « quod multum erat sollicitus et devotus et assiduus in praedicationibus et confessionibus et saepe plorabat in praedicationibus et movebat auditores ad plorandum »[2].

Fervide eum praedicasse constat[3]. Ventura testatur de S. Dominico quod «quando veniebat ad locum ubi fratres habebant conventum, non ibat ad quiescendum sicut quidam faciunt, sed convocatis fratribus faciebat eis sermonem et proponebat eis verbum Domini et multam consolationem ». Semper cum Deo vel de Deo loquens et idem fratribus praecipiens, ad praedicandum paratus semper exstitit, sicut et coram ecclesiasticis et communitatibus religiosis, in ecclesiis et viis publicis, coram fidelibus et haereticis, coram scholaribus e. g. Bononiae, coram infirmis et immuratis verbum Dei proposuit. Et ad eos, quos ipse pertingere nequivit, fratres suos destinavit. Ex una parte sequaces suos ad indefessum studium sacrae scripturae utriusque excitavit[4], ex alia autem interdum fratres parvae peritiae in ope Domini confisus ad praedicandum emisit[5]. « Ubicumque versaretur sive in via cum sociis aut in domo cum hospite reliquaque familia aut inter magnates, principes aut praelatos semper aedificatoriis affluebat sermonibus, abundabat exemplis, quibus ad amorem Christi saeculive contemptum audientium animi flecterentur. Ubique virum evangelicum verbo se exhibebat et opere »[6]. Inter ceteros fratres nationis hispanicae nomen praedicatorum eximiorum Petrus Gonzalez et Dalmatius Moner sicut pariter Petrus Catalanus[7] sibi compararunt.

Ex Gallis afferendi sunt Reginaldus Aurelianensis, qui mira vi in patria et Bononiae praedicabat[8], et Stephanus de Borbona (†1261), qui postquam 1223 ordinem Lugduni amplexus est concionatorem egregium atque indefessum agens typumque praedicatoris generalis exhibens, terras gallicas et subalpinas peragravit. Ab itineribus apostolicis cessans opus famosum de diversis materiis praedicabilibus compilavit[9]. Nominantur etiam Benedictus de Ponte[10] Bartholomaeus Turonensis, Gerardus et Aegidius Leodiensis, Ioannes et Aegidius Aurelianensis, Hugo de S. Caro, Humbertus de Romans, B. Petrus

de Tarantasia, Guillelmus Perraud, Nicolaus de Biard, Nicolaus de Gorham († circa annum 1295), Guido d'Evreux[11]. Praeterea in pulpito sacro Parisiensi etiam exteri locuti sunt, ut Henricus Teutonicus, Albertus Magnus, Thomas de Aquino, Guillelmus de Hotham, Guillelmus de Moerbeke[12]. Momentum praedicationis dominicanae in Gallia ex eo apparet, quod anno 1271 ex 61 concionatoribus Parisiensibus erant 30 fratres Praedicatores, 14 fratres Minores, 17 sacerdotes saeculares[13]. Charismatibus excelluit Robertus de Usezia (Uzès), qui ab incunabulis spiritu prophetiae agebatur. Ordinem anno 1293 profitens apostolice Galliam, partes Italiae et Germaniae percurrebat, coram populis, principibus, Pontificibus (Caelestino V, Bonifatio VIII) verbum Dei proponens. Metis anno 1296 obiit. Eius corpus per magistrum generalem Bernardum de **Jusix** Avenionem delatum est. Roberti « Sermones Iesu Christi, quos locutus est in servo suo » publicati sunt[14].

Inter Italos[15] Nicolaus Palea, Ioannes Salernitanus, Iacobus Mevaniensis, Thomas Agni Albertus Pulte[16], Ioannes Vicentinus[17], Isnardus Papiensis, Ioannes Vercellensis, Iacobus a Voragine egregie praedicabant. De ferventissimo oratore sacro Ambrosio Sansedoni (1220/86) eius discipulus Recuperatus: « Pauca scripsit (ait) propter ineptitudinem manus ac scriptorum inopiam... Conciones eius nequaquam ab eo proferebantur quales a quibusdam copiositatem verborum suorum et facundiam capere non valentibus, sed multum defectuose collectae sunt »[18]. S. Thomas in patria sua Romae et Neapoli impigre sacrum sermonem vulgari sermone coluit[19]. Iacobus de Voragine, Albertus Paduanus, Hugo de Prato, Ioannes Brixiensis nomen sibi in praedicando fecerunt[20]. Ineunte saeculo XIV Romana Sede translata ac desaevientibus civilibus factionibus concionandi ardor videtur deferbuisse, nihilominus laudantur Remigius de' Girolami Florentinus vir pro temporis ratione satis elegans, Angelus a Porta Solis Perusinus, Branca seu Branda Romanus ac quatuor Etrusci, italici sermonis parentes, videlicet Iordanus a Rivalto, Bartholomaeus a S. Concordio Pisani, Dominicus Cavalca et Iacobus Passavanti Florentinus[21].

Ioannem de S. Geminiano « concionatorem tota Italia clarissimum » vocabant[22]. Singularis famae Venturinus Bergomensis (1304-1346) exstitit[23], qui 1319 habitum ordinis induens ad missiones exteras anhelavit. De mandato provincialis autem in Italia retinebatur, quam 1328/35 ignea eloquentia praeditus fructuose percurrebat. An-

no 1335 ex Lombardia coetum ingentem paenitentium Romam deduxit, quem ibi deseruit, Avenionem aufugiens. Capitulum generale illius anni huiusmodi coetus in forma insolita deducere severissime vetuit[24]. Avenione primum reclusus apostolatum litterarum et consiliorum Venturinus exercuit, donec cruciata expeditione praeparata in Syriam abire potuit.

Germania protulit fratres Praedicatores ut Iordanum ferventissimum concionatorem praesertim studentium[25], Henricum Teutonicum iuniorem, ad cuius verba Colonia efferbuit[26], Henricum Teutonicum maiorem etiam Parisiis notum[27], Ioannem Teutonicum qui praedicando multum fructum fecit[28], Helgerum de Hohenstein in Thuringia[29], Henricum de Westhoffen, Salomonem Teutonicum praedicatorem magnum et solemnem per Alemanniam, Conradum Lovaniensem[30], Albertum Magnum[31].

Saeculo XIII exeunte in provincia Teutoniae per rectores monasteriorum sororum modus specialis praedicationis mysticae invaluit, cui expansio mira mysticae practicae ex parte auditorii respondit. Ita hoc immensum onus, quod haec provincia per curam sororum tulit, maximum honorem sermonum et aspirationum summe spiritualium procuravit, etsi dolendum quod multi lectores per sermones ad sorores a scriptione scientifica arcebantur. Hermannus de Minden provincialis (1286/90) in sua instructione de cura sororum fratribus dixit: « Providete, ne refectione careant verbi Dei sed sicut eruditioni ipsarum convenit per fratres doctos saepius praedicetur »[32]. Magister Theodoricus Fribergensis, cuius facta inter annos 1293/1319 certe sciuntur, hanc praedicationem mysticam ad unionem intimam cum Deo evocantem introduxisse videtur. Eius philosophica tendentia neoplatonica his industriis piis favit[33]. Fama eo praestiterunt eius successores magister Ekkehartus Saxo, Ioannes Tauler Argentinensis. Henricus Seuse Suevus[34]. Ekkehartus potens mente, asceticam et mysticam ex parte cognitionis praecipue accipit, se in Deum figens et transfundens. Tauler potens sermone magis praedicator quam philosophus erat, voluntati se imponens. Suso potens amore, affectibus sanctissimis repletus ad mysteria passionis Salvatoris et Dei fortibus et dulcibus ascensionibus se elevat et operose, sicut Ekkehartus et Tauler, sed his suavius salutem animarum suscipit et peragit.

Ekkehartus († 1327) ex purissimo et ardentissimo zelo salutis augendae et sanctitatis animarum homines instructione mystica propius

ad Deum portare cupivit. Si in theoria sententias audaciores quasdam expressit, ab inimicis durius habitus est. Praedicatorem egit, cuius tota mens ac persona ad Deum vi vehementi anhelans profundissime auditoribus se impressit eo vel magis, quod cum subtilissima divinitatis cordisque humani cognitione proprietatem dicendi atque artem sermonis germanici coniunxerit.

Tauler (✝ 1361) vehementer in coaevos et posteros pariter influxit. Cum « amicis Dei » commercium fidele instituebat. Omni pharisaeismo alienus docte et perspicacissime veritatem vitae christianae explicat et efficacissime postulat. Eum aliquando Lutherani in suam partem assumpserunt, dum tamen ipse cum Ecclesia et opera mere externa damnat et opera externa spiritualiter facienda inculcat. Prima lucubratio Societatis Iesu reeditio sermonum Tauleri auctore S. Petro Canisio fuit. Saeculo autem XVI vergente ordines Iesuitarum et Capuccinorum interdum lectionem plurium mysticorum etiam Tauleri prohibebant[35].

Deinde beatus Henricus Seuse (✝ 1365), Ekkeharti, quem « magistrum sanctum » nominat, linguam aemulans, Taulerum in affectu vincens, velut amabilissimus inter mysticos regimen heroicum suae animae mortificationibus et fiducia probavit. Ipse plus quam alii evagationes evangelicas per Sueviam, Alsatiam, Rhenaniam perfecit, charismate pastorali eximio dotatus.

Summos fructus apud monasterium Tössense prope Turegum collegit. Ulmae tamquam praedicator foraneus obiit. Horologium aeternae sapientiae in textu germanico velut fructus summe maturus mysticae germanicae a cl.mo p. Denifle consideratur[36].

Iuxta hos viros nominatiores et Gerhardus de Sterngassen, Ioannes de Sterngassen ignei sermonis praedicator, Giselherus de Slatheim, Ioannes Franco, Henricus de Egwint citentur[37].

Apud Polonos Martinus Strebski[38] et Peregrinus provincialis (ab anno 1305)[39] in re concionandi excellebant.

Insulae britannicae dignissimis fratribus arte et efficacia praedicatoria notis pollebant. Ingressum in Angliam Dominicani bonae suae praedicationi haud ultimo loco debent[40]. Deinde Ioannes de S. Aegidio, Ioannes de Waterford Hibernus, Guillelmus de Hotham, Mauritius Anglus sermonibus suis scriptis innotescunt[41]. Summi autem concionatores Nicolaus Gorham, qui velut confessarius regis Franciae Philippi Pulchri obiit[42], et praecipue Thomas Wallace (Walleis. ✝ 1340)[43], Robertus Holkot[44], episcopus Bangorensis Thomas de Ring-

stead (✝ 1364)[45], Ioannes Bromyard (✝ 1396)[46] habentur, litteris concionatoriis et verbo potentes. Particulariter etiam relevandum, fratres Praedicatores Angliae non solum crebro crucem praedicasse, verum etiam contra errores et seductiones Wycliffitismi sermonibus valdissime se opposuisse[47].

Elapsis ita saeculis XIII et partim XIV inter calamitates Ecclesiae diro schismate occidentali divulsae et ordinis plurimum in observantia diminuti Deus misericordiosa sua vocatione instrumenta fortissima excitavit, quorum sacro verbi ministerio homines in unitatem ecclesiasticam, in pacem cum Deo, in aspirationes caelestes dirigerentur.

S. Vincentius Ferrer Valentinus (1350/1419)[48], ordini Praedicatorum 1367 se addicens post studium complementare Tolosae perfectum praedicationi et doctrinae in patria operam navavit, a cardinali Petro de Luna et regina Yolanda Aragoniae magni habitus. Avenionem postea a Benedicto XIII adscitus Vincentius anno 1399, mira sanatione recreatus missionem suam praedicandi per occiduas terras Europae velut Christi legatus a latere assumpsit. Cursum primum per Galliam meridionalem, Italiam subalpinam, Helvetiam occidentalem institutum Lugduni 1404 finivit. Alium per Hispaniam explevit, in quo pro salute christianorum, Iudaeorum, Mahometanorum, pro rebus publicis (in sua summa parte compromissi de Caspe) effecit. Demum ab anno 1412 ad 1419 ultimam suam missionem ad Britanniam minorem exsequebatur, ubi obiit, postquam unitatem Ecclesiae sub uno capite suis instantiis etiam valde promotam vidit. Austerae vitae praxi et miraculorum patratione illustris, voce viva et sermone metaphoris repleto loquens, vehementissime animos audientium numerosissimorum commovit, qui ad eum confluebant vel eum comitabantur. Haud raro coram coetibus 10,000 hominum praedicabat. Eius thema magnum de ultimo iudicio erat. Seipsum Salmanticae angelum apocalypseos esse declaravit. Solebat societas 150 hominum eum comitari, qui sacerdotibus ducibus in partem virorum et partem mulierum segregati incedebant induti vestibus coloris nigri et albi, vitae paenitentiali et fidei unice dediti. Quotidie S. Vincentius missam solemniter celebrabat et praedicabat pro sua societate aliisque adstantibus. Nonnisi linguam suam nativam Catalauniae (praeter latinam) callens, ubique in terris stirpis latinae satis intelligebatur. Adventantem praedicatorem civiles domini saepi honorifice receperunt. Hispanicis quoque magnis praedicatoribus Alvarus Cordubensis adnumerandus est[49].

Si S. Vincentius suo apostolatu vastissimas partes Galliae adhuc schismate et bello laceratae sublevavit, Andreas Abellon (+ 1450) verbi ministerium maximo audientium fructu per Provinciam exercuit[50]. Parisiis coram universitate ex pace anno 1403 effecta fratribus Praedicatoribus campus sermocinandi academicis denuo patuit[51].

Apud Italos tempus, quod effloritio Humanismi dicitur, seriem praedicatorum paenitentiae produxit, quorum plurimi ordinis nostri exstiterunt. Importune opportune instabant pro moribus christianis, pro severitate et puritate vitae, pro praxi fidei, spei, caritatis et iustitiae. Dum institutio christiana catechesi vel sermonibus ordinariis relinquebatur, hi praedicatores paenitentiae mutationem audientium vi sacra intendebant et perfecerunt[52]. Ita Ioannes Dominici (1355/1419)[53] studiorum et orationis praeparatione praemissa ardenti zelo animarum pulsus supremam actionem praedicandi fructuose Venetiis (1392/99) et Florentiae (1400ss) exercebat. Tot effectus salutares in auditoribus causavit, ut gubernatores Florentini Papae supplicaverint, quatenus praedicator per quinquennium a nullo superiore alibi assignaretur. Solebat expositiones continuas librorum sacrorum vel ecclesiasticorum instituere. Aliquando de regulis iuris ex libro VI° iuris canonici ante meridiem e suggestu cathedralis Florentinae, dum post meridiem ibi de evangeliis et epistulis dierum loquebatur. Cum de incarnatione Domini disserebat, animas auditorum quasi ex carne traxit sicut et nota seraphica pollebat. Severissime abusus morum castigavit et reformavit. Alii eximii praedicatores Hugolinus de Camerino, Bartholomaeus Mutinensis, disertissimus de Borsellis nominandi sunt[54]. De cetero per regiones septentrionales Stephanus Bandelli, Matthaeus Carreri, Andreas Greghii a Piscaria, Christophorus de Mediolano, Damianus Furcheri, Augustinus Fangi, Sebastianus Maggi, Marcus a Mutina, per Siciliam Petrus de Geremia aliique maxime observantiae asseclae multum fructum animarum in horreum Domini salutifera earum praedicatione congesserunt[55]. Ioannes de Neapoli (+ 1460) «per totam Italiam concionibus notissimus»[56], Gabriel Barletta (+ 1470)[57] quoque hic adducendi. Leonardus Matthaei vulgo de Utino (+ 1470) celeberrimus concionator etiam coram curia Romana saepius locutus est[58]. Ipse autem ornatiorem sermonem coluit potius quam simplicem evangelicam praedicationem.

Denique ultimus et maximi influxus praedicator noster saeculi XV in Italia Hieronymus Savonarola (1452/98) fuit[59], qui natione Fer-

rariensis anno 1475 fratribus Praedicatoribus sese adscripsit inter quos religiosissima vitae ratione enituit. Post commorationem Florentinam, Sancti Geminiani, Brixiensem anno 1490 Florentiae apud S. Marcum et anno 1491 in cathedrali eximia vi mirae eloquentiae sacri zeli verbum Dei proponere coepit, moderator morum eius civitatis ac rerum mox effectus, auditores 10-15000 interdum habens[60]. Partes quas contra Medicaeos et in reformatione observantiae regularis assumpsit, eius conflictus cum curia Romana et ordinis maturarunt, in quibus succumbens die 22 maii strangulatus atque igni traditus est. Defunctus tamen adhuc in animis plurimorum loquebatur[61].

In Teutonia praedicatio fervens sicut alibi cum restauratione observantiae cohaesisse videtur. Ita Conradus de Prussia « primus inchoator reformationis et observantiae ordinis nostri in partibus Alemanniae » « ignitissimus praedicator et ardentissimus animarum zelator » habebatur[62], De Ioanne Mülberg, concionatore Basileensi et magnanimo ordinis sui filio traditur: « Ipso praedicante alicubi fere totus populus loci convenire consuevit »[63]. Ioannes Herolt, qui Norimbergae longe commoratus est, viva voce et scriptis sermonibus famosissimis influxum summe notandum non solum in coaevos sed per duo saecula reliquit[64]. Sermones academicos et instructiones de Hussitis ad populum Franciscus de Retz pronuntiabat[65], dum Ioannes Nider potens scientia, vita, opere et verbo universalem actionem praedicationemque perficere potuit[66]. Sermones potius doctrinales de Aquinatis Summae parte II-II Servatius Fanckel edixit[67]. De cetero in omnibus conventibus reformatis confluxus populi ad conciones et confessionem notatur[68].

In Polonia Nicolaus de Brest eximius praedicator Cracoviae exstitit[69].

Vastissima congregatio hollandica Alanum de Rupe aliosque concionatores fervidos suis adnumerabat.

§ 33. Missiones apud infideles. Opera unionis ecclesiasticae.

Dominante circa annum 1200 adhuc zelo missionario Cisterciensium per terras christianitati proximas, divina providentia mox etiam alios operarios ad labores vineae Domini inter infideles, Saracenos et schismaticos colendae evocavit. Sensim iuxta Cistercienses ordinum Minorum et Praedicatorum fratres suas vires missioni ex-

terae applicabant, donec quasi unice illo aevo curas missionarias perficiebant[1]. Ordines militares in confinio christianitatis defensionem vel partem negativam gerebant, ordinibus primum Cisterciensi et mox Mendicantibus rem positivam, aedificationem et ampliationem regni Christi promoventibus.

S. Dominicus salutis animarum sitientissimus pluribus vicibus in missiones abeundi consilium suum edixit et aliis dedit. Cum Guillelmo de Monteferrato convenit ut iste studiis Parisiis peractis secum « ad convertendos paganos qui morabantur in Pcia (= Prussia?) et in aliis partibus septentrionis » iret. Impeditus vero ex ordinis fundandi et firmandi negotiis S. Dominicus desiderio suo ipse satisfacere nequivit[2], bene tamen in filiis. Spiritum ardentissimae expansionis ordinis sui et nominis christiani moderatores ordinis post Dominicum Iordanus, Raymundus, Ioannes Teutonicus et Humbertus egregie servarunt et excitarunt. « In quodam capitulo generali Parisius, cum incumberet aliquos fratres mittere ad provinciam Terrae sanctae, dixit magiter Iordanis fratribus in isto capitulo, quod si parati essent bono animo illuc ire, significarent ei. Vix verbum impleverat et ecce vix fuit aliquis in tanta multitudine quin faceret statim veniam cum fletu et lacrimis petens mitti ad illam terram Salvatoris sanguine consecratam. Frater autem Petrus Remensis tunc prior provincialis in Francia hoc videns surrexit et facta venia cum aliis locutus est magistro in hunc modum: « Bone magister aut karissimos fratres istos mihi dimittatis aut mittatis me cum eis, quia et ego paratus sum cum eis ire ad mortem »[3]. Similiter in capitulo provinciae Franciae petente Innocentio IV missionarios ad Tataros sponte et subito fratres ad missiones se praesentarunt[4]. Idea missionariorum maxime pro Terra sancta delectorum illius temporis praecipue fuit annuntiatio Christi apud infideles et martyrium pro Christo. Ita et summus inter praecones nostros Ricoldus de Monte Crucis († 1320) visitationem Palaestinae in « robur et firmamentum ad praedicandum et moriendum pro Christo » se fecisse enuntiat. In suis epistulis quinque commentatoriis de perditione Acconis (1291), quae monumentum validissimum ac speciosissimum spiritus missionarii dominiciani constituunt, inter verbera et humiliationes — habitu enim exspoliatus camellarium versus Babyloniam agere debuit — Ricoldus ad Deum, ad B. Virginem, ad S. Franciscum, ad B. Iordanum, quem sanctum et famosum in mundo miraculis et doctrinis habet, ad martyres Marochii et mira fiducia ad B. Dominicum animum erigit[5].

Magister Humbertus anno 1255 claro intuitu et zelanti hortatione fratres excitat[6], ut propter fidem christianam inter schismaticos, Iudaeos et gentes barbaras dilatandam studio linguarum harum gentium operam dent et ad praedicandum eis verbum Dei parati sint. In programmate suo promotionem missionis posuit. « Vae nobis, si praedicatores esse volumus et a talium praedicatorum (scilicet apostolorum) vestigiis deviare ». Tantoque successu verba magistri generalis benedicebantur, ut ipse anno 1256 edocens de fructu fratrum inter Cumanos, Tataros, Maronitas Georgianos, Prutenos, Saracenos degentium eos, qui se ad studium linguarum ac praedicandum inter gentes obtulerant, temperare debuit[7]. Illustratque Humbertus magistri generalis officium « circa nationes », quod licet « de omni fructu animarum per ordinem faciendo sit ei multum curandum, tamen specialiorem curam et zelum ferventiorem habere debet circa barbaras nationes et paganos, Saracenos, Iudaeos, haereticos, schismaticos et huiusmodi qui sunt extra Ecclesiam, ut per ordinis laborem et sollicitudinem in viam dirigantur salutis et Christi in eis gloria dilatetur ». Debet magister providere ut adsint tractatus contra errores infidelium, ut floreant studia linguarum, ut provinciae aptiores ad missiones habendas excitentur et ut non qualescumque sed ii « qui circa fructum huiusmodi fervent » emittantur[8]. In hoc desiderio ac praescripto et Ecclesia et ordo convenerunt, quippe cum e. g. Gregorius IX principissam Georgiae roget ut 8 fratres Praedicatores ad eius terram missos benigne suscipiat, quia sunt « fratres potentes in opere et sermone, in quibus vivificat vita doctrinam et doctrina vitam informat, dum hoc in moribus legitur, quod sermonibus explicatur ». Provincialis Hungariae monetur, mittendi « fratres qui sint probatae conversationis et vitae ac potentes in opere et sermone». De fratribus Tunisiam destinatis valet, quod erant «praepotentes in opere ac sermone ac fidei ampliandae zelo ferventes ». Etiam in saeculo XIV spontaneum ministerium fratrum missionariorum inculcabatur, cum tunc aliqua elementa inepta societati Peregrinantium uniri voluerint[9].

Divisio laboris ac campi missionum secundum divisionem stabilem administrandi ordinem nempe per provincias in initio facta est, erectis provinciis Graeciae et Terrae sanctae sub speciali fine missionis. Ad Africam pro Marochio et Tunisia autem missionarii Hispani, Galli, Itali plerumque ibant, absque compagine specialium provinciarum, similiter in partibus Prutenis, balticis, Finlandiae fratres

Poloni, Germani, Angli, Sueci promiscue per aliquod tempus operabantur. Provincia Hungariae ex principio campum missionis Cumanorum et unionis schismaticorum prospiciebat.

Ad missionem inter Cumanos[10] ipse S. Dominicus iam in fine vitae ire ratus esse videtur. Et fratres Praedicatores Hungari mox ad infideles Cumanae gentis, qui ad latus orientale sui regni moras reçeperant, se converterunt ut militibus Teutonicis collaborarent. Forsitan actio fratrum cohaeret cum hortatu, quem Honorius III ad primatem aliosque praesules Hungariae anno 1221 direxit. Primis tentaminibus frustratis necatisque duobus missionariis quidam fratres Praedicatores in ditionem Cumanorum usque ad flumen Dniepr pervenerunt. Anno 1227 princeps Bortz eiusque filius Membrok baptizari petierunt. Membrok sociis delectis cum quibusdam Dominicanis ad archiepiscopum Strigoniensem Robertum legationem perfecit, qua peracta Papa primatem Hungariae legatum inter Cumanos constituit. In comitatu Belae regis futuri et trium episcoporum « ultra silvas » Robertus profectus est. Baptizatis principibus et pluribus aliis Theodoricus anno 1228 episcopus Cumanorum renuntiatus est, imposito provinciali Hungariae, ut fratres necessarios pro missione destinaret. Dioecesis Cumanorum immediate S. Sedi subiciebatur et divisio paroeciarum introducebatur, millibus et iterum millibus animabus ad fidem conversis. Residentia episcopi a rege Bela dotata oppidum Milcov Moldaviae fuisse praesumitur. Missionarii dominicani Hungari etiam in Valachiam parvam transierunt, quae anno 1233 ab Hungaris occupata est. Ibi fratres et convertendis paganis et operi unionis schismaticorum incubuerunt. Dire vero anno 1241 irruentes Tatari Dominicanis 90 trucidatis vineam missionariam Hungarorum devastarunt. Tataris recedentibus Cumani magna ex parte in ipsa Hungaria sedes fixerunt. Seduli missionarii de eis indefessam curam habebant. Durante capitulo generali Budensi anni 1254 aliquis ex principibus Cumanis sacro fonte ablutus est. Fratres Praedicatores de Cumanis agere continuabant. Labor non deerat, cum mores feroces et scandala Cumanorum etiam baptizatorum saepius innotuerunt, testante Urbano IV. Anno 1278 etiam fratres Minores ad laborem missionariorum inter Cumanos advocantur. Magni sudores requirebantur pro convertendo hoc populo, nam adhuc anno 1348 spectabilis pars eius paganae vitae et religioni addicta erat.

Itinera, quae ante annum 1241 a variis fratribus Hungaris intentione missionis ad regiones « magnae Hungariae » prope montes Ural instituta fuerunt, fructum animarum non reliquerunt.

In regionibus Balcani[11] fratres Praedicatores Hungariae fructuose laborabant. Ita anno 1232 provincialis Hungariae ex pontificio mandato et 1237 tum episcopus Perusinus tum episcopus Bosniae Ioannes Teutonicus unionem Bulgarorum tentarunt. Efficacius apud Bulgaros Franciscani laborabant quam Dominicani. Pariter in Albania praesertim unio ecclesiastica efficienda erat.

Fratres Praedicatores provinciae Romanae die 22 aprilis 1236 per Gregorium IX destinati sunt, qui archiepiscopo Antibarensi opitularentur. 1250 Innocentius IV provinciam Hungariae ad opus unionis per partes Albaniae excitavit. Tum fundationes ordinis a conventu Ragusino exeuntes Dulcinii anno 1258 et Dyrrachii anno 1278 factae, praesules dominicani e. g. anno 1303 Valonae Nicolaus, Antibari Guillelmus Ada 1324/41, Dyrrachii Ioannes de Dyrrachio 1412/22, tum scriptores anonymi momentum signant, quo fratres Praedicatores iuxta Franciscanos et Benedictinos multum pro fide catholica Albaniae praecipue septentrionalis operabantur. Eugenius IV die 15 decembris 1438 missionariis dominicanis provinciae Dalmatiae et privilegia firmavit pro laboribus in Albania ceterisque terris et eosdem episcopis et populis Albaniae et Serviae vicinisque commendat. In Servia anno 1308 notamus Henricum de Arimino nostrum et Gregorium de Cattaro O.F.M., qui apud aulam regis Uros, cui Helena de Valesiis nupserat, residebant, ut ecclesiasticam unionem principi suaderent.

Merita praeclara fratres Praedictores in conservatione fidei Bosniae et Dalmatiae atque in pugna contra Bogomilos ac Paulicianos sibi compararunt. Haec tamen res potius sub inquisitione narranda est. Attamen relevetur quod deposito episcopo debili Bosnensi, cuius nomen ignoratur, per legatum papalem Ioannes Teutonicus, provincialis Hungariae, in sedem Bosnensem sive de Diaco(var) elevatus est. Ortis opinionibus quibusdam differentibus inter regem Andream II et Ioannem, ipse episcopatum fratri Ponsae O.P. cessit.

Missiones et evangelizatio et opera unionis ecclesiasticae in plagis orientalibus Europae cum S. Hyacintho connectuntur. Facta autem historica narrationibus legendae exuberantis non in omnibus favent.

Anno 1222 ipse cum paucis fratribus in civitate Kiowiensi conventum erexit[12], quem — dum ad Prutenos secessit — anno 1226 fratri Godwino administrandum commisit. Provinciam Poloniae haud spernendam actionem missionariam explicasse ex pontificia conces-

sione altaris portatilis apparet, cum fratres in partibus Poloniae et aliarum regionum degerent. Ad relationem quam Dominicani de statu deplorabili multarum ecclesiarum latini ritus Russiae archiepiscopo Gneznensi tradiderunt, Gregorius IX provinciali Poloniae ac fratribus Iacobo et Domaslao iniunxit, ut res inspicerent ac de eis referrent. Circa annum 1232 episcopus Gerhardus O. Cist. pro Ruthenis constitutus est, fratribus Praedicatoribus variis ministeriis apud Ruthenos summo fructu fungentibus. Eiectis Dominicanis anno 1233 ex civitate Kiowiensi fundatio dominicana circa annum 1238 apud Halicz apparet et alia anno 1270 Leopoli, ubi conventus anno 1297 formatus est. Leopoli, ubi Dominicani Hungari prope Constantiam filiam Belae IV et uxorem Leonis de Halicz capellani erant, mox centrum pro missione russica exstitit, quae a proprio vicario regebatur, donec anno 1378 quod conventus missionarii Russiae « de cetero pertineant ad provinciam Poloniae » statutum est. Conatibus unionis ecclesiasticae anni 1246 habendae inter curiam Romanam et Danielem de Halicz vasallum Tatarorum fratres Praedicatores, e quibus uni Alexii nomen, intervenerunt. Non obstantibus difficultatibus fratres Praedicatores quoad poterant rem ecclesiasticam Russiae tuebantur. Provinciali Poloniae 1253 amplissimae facultates pro missionariis ab Innocentio IV tribuuntur. Capitulumque generale anni 1277 eidem provinciae duas domos versus Russiam collocandas concessit. Cum demum episcopatus Kiowiensis latini ritus anno 1320 erectus est, eius primus titularis Henricus de Porwalle O.P. exstitit.

Inter Prutenos[13] monachi Cistercienses pacificam missionem suam exserebant, donec a duce Polono Conrado de Masovia milites Teutonici adsciscebantur. Qui ex sua parte praedicatores crucis a Papa postularunt et quidem ipsos fratres Praedicatores. Die 17 septembris 1230 Gregorius IX a fratribus Praedicatoribus archiepiscopatuum Magdeburgensis et Bremensis et regionum Poloniae, Bohemiae, Moraviae, Holsteinii, Gotlandiae petivit, ut crucem contra Prutenos praedicarent. Sequebantur aliae bullae pontificiae ad hanc rem renovandam. Per annos 30 fratres Praedicatores ordini Teutonico in Borussia, Livonia, Curlandia militanti exclusive et fortiter adstiterunt. Legatus papalis Guillelmus Votinensis Dominicanis in hoc opere favit. Ab anno 1260 Franciscani quoque campum intrant. Ante dimicationem ordinis Teutonici in partibus Prutenorum fratres Praedicatores anno 1227 locum Gedanensem receperunt. Obtento a duce Svatopolk terra fundationis conventus et ab episcopo Wladis-

laviensi officium praedicationis per totam dioecesim, missionarii devictos Prutenos baptizare debebant. Coacta autem conversio illius nationis in seditionibus multis erupit. Quibus non obstantibus methodus violentae introductionis fidei ibi (contra theoriam missionariam etiam illius aevi) non dereliuquebatur. Caute ob eamdem causam laetitiae significationes curiae Romanae et magistri Humberti de conversa natione Prutena accipiendae sunt. Devotio ac vitae sacrificium fratrum Praedicatorum omnia quidem fecerunt, ut fides neophytarum plena esset. Erant hi missionarii maxime ex ordinis provinciis Poloniae ut S. Hyacinthus, qui 1226/7 et 1236/8 ibi praedicavit apostolus Prutenorum dictus, et Teutoniae. Ad tres ex quatuor episcopatus apud Prutenos erectos fratres Praedicatores primos praesules dederunt, nempe Heidenricum Culmensem, Warnerum Pomesaniensem (Marienwerder), Thetwardum Sambiensem (Samland). Ex statuta hierarchia ac cura parochorum necnon et fratrum Praedicatorum, qui per regiones Prutenorum varie se fixerunt, conversio ad fidem illius gentis perfecta est.

Circa annum 1244 missionarii nostri ad Lithuaniam[14] profecti sunt et anno 1250 quasi inopinato princeps Mindowe baptizatus est, 1251 Innocentius IV episcopum Culmensem Heidenricum et ad coronandum regem Mindowe deputat, et ad instituendum episcopum Lithuaniae Heidenricus cum Mindowe et ordine Teutonicorum saepius tractabat, interdum a fr. Sinderamo comitatus. Electio episcopi Lithuaniae partes Germanorum et Polonorum ita excitavit, ut duo episcopi consecrarentur unus Christianus ab archiepiscopo Prutenorum Alberto, alius Vitus O.P. ab archiepiscopo Gneznensi Fulcone. Papa anno 1255 Vitum ad resignandum induxit, qui iam 1254 Cracoviam se receperat. Si episcopi dominicani Heidenricus et Vitus apud Lithuanos laborabant, certe et alii fratres eiusdem ordinis ibi missionarios egerunt. 1289 Dominicani et Franciscani insimul cum proceribus civitatis Rigae denuntiarunt, populum Lithuanorum fidem amplecti velle. Anno 1323 fundationes fratrum Praedicatorum et Minorum Vilnae per principem Gedemin concessae sunt. Conversio Lithuanorum anno 1386 perfecta fuit, cum princeps Iagello ducissam Hedwigem uxorem ducens regno Poloniae potitus sit.

Apud terras balticas[15] Livoniam, Curlandiam, Estiam post canonicos S. Augustini ac monachos Cistercienses in civitatem Reval Dominicani Daciae 1229 advenerunt, ab anno 1246 conventum formalem habentes. Anno 1244 conventus Rigensis, 1300 Dorpatensis fun-

dati sunt. Dominicani expeditiones militum Teutonicorum tamquam capellani sequebantur, subactis gentibus baptismum administrantes.

Finlandia[16], ab anno 1156 christianitati aperta, post annum 1221 Thomam, fratrem Praedicatorem Anglum, episcopum habuit, qui zelantissime superatis ingentibus difficultatibus paupertatis suae conditionis et defectionis aliquorum Finnorum iam conversorum tandem ex armatis auxiliis circa annum 1240 ecclesiam servatam vidit. 1241 autem eius positio complicata exstitit et 1245 ob excessus administrationis resignare debuit († 1248). Victoria christianismi apud Finnos et fundatio fratrum Praedicatorum cum expeditione Suecici principis Birger Jarl anno 1249 facta cohaeret. Influxus culturalis ac religiosus Dominicanorum Finlandiae digne relevetur. Franciscani nonnisi circa 1400 illuc venerunt.

Versus orientem mari mediterraneo adiecerunt provinciae missionariae Graeciae et Terrae sanctae, propriis locis iam describendae. Hae provinciae momentum summum ex eo hauserunt, quod semper initium vel subsidium vel centrum actionis fratrum pro catholicis illarum terrarum et pro operibus unionis ecclesiasticae cum orientalibus et basis pro expeditionibus inter distantes populos erant. Ab anno circiter 1300 societas Peregrinantium propter Christum tum Constantinopoli tum ad Euxinum Pontum et in Persia centra ha bens, zelum dilatandae fidei vivum expressit[17].

Ubique in vel pro illis ditionibus missionariis Dominicanis adfuerunt conspicua dignitas praesulum[18] (e. g. Corinthi archiepiscopus Guillelmus de Moerbeke 1280/81, Hierosolymis patriarchae Thomas Agni de Lentino 1272/77, Nicolaus de Hanapes 1288/91, Antiochiae vicarius patriarchae, Tyri et Nazareth archiepiscopi varii, Sultanie archiepiscopi plures [1318 - s. XV], Caphae Bartholomaeus Venturae 1387/91), praedicatio coram catholicis et Mahometanis[19] et Graecis et infidelibus, systema habendorum conventuum formalium potius quam stationum parvarum, studium unionis ecclesiasticae cum Byzantinis[20], ut anno 1234, cum Gregorius IX legatos miserit duos Praedicatores Hugonem quemdam ac Petrum de Sezana cum duobus Minoribus, qui omnes tamen Nicaeae per colloquia septem nihil obtinebant vel anno 1256, in quo Constantinus Urbevetanus papalis legatus Beroeae in Macedonia ad Italiam reverti constituit.

Disquisitionibus S. Thomas de Aquino et Humbertus de Romanis rem graecam illustrarunt, dum Petrus de Tarantasia unionem in concilio Lugdunensi altero atque in synodo Basileensi Ioannes Stoj-

ković, in coetu Florentino Ioannes de Montenigro et Ioannes Torquemada summis industriis promoverunt[21].

Per nostros insuper viguit studium unionis ecclesiasticae cum Iacobitis (1237 in domo Praedicatorum Hierosolymis per Philippum postea provincialem Terrae sanctae), cum Nestorianis[22], quorum « catholicus » Jabalaha III ope Ricoldi[23] sociorumque ad Benedictum XI fidem catholicam professus est, populo quidem vel clero « catholicum » non sequentibus, tuitio unionis Maronitarum, cultus sanae doctrinae ecclesiasticae etiam in forma thomistica[24], conversionis Mahometanorum[25] vel schismaticorum aut infidelium industria, neque obliscenda consignatio memorabilium tractatuum vel narrationum missionariorum ut Guillelmi de Tripoli, Ricoldi de Monte Crucis, Guillelmi Ada, Iordani Catalani vel peregrinorum orientis ut Burchardi, Ottonis de Nienhausen, Pipini Bononiensis, Felicis Fabri, neque omittenda indefessa actio legatorum ad Tataros missorum[26] anno 1245 tum Anselmi ac comitum, tum Andreae de Longjumeau 1245/7 pontificio, 1249 regio gallico mandato, tum aliorum, qui tamen omnes decepti vel insufficienter instructi apparent, constantia martyrum[27] occasione irruptionis Tatarorum novae circa annum 1259 (destructio conventuum et occisio fratrum Sandomiriensium), incessabiles egressus fratrum cum litteris pontificiis[28] ad sultanos Aegypti, Iconii, Hims, ad principes populosque Aethiopum (fr. Vasinpace 1267), ad Georgianos (1254; 1329 primus episcopus de Tiflis Ioannes Florentinus O.P.).

Sub Ioanne XXII die 1 aprilis 1318 excitatio atque extensio zeli missionarii regionibus Armeniae et Persidis maxime profuit, in quibus florentes iurisdictiones per fratres Minores et Praedicatores exercebantur, una sub Minoribus cum primate in Pekino, alia sub Praedicatoribus cum primate in Sultanie[29]. Facta et fatum illarum missionum cum illis societatis Peregrinantium magis magisque uniebantur. Ad plagas Indiae orientalis post Nicolaum Pistoriensem, qui anno 1292 apud Madras obiit[30], Iordanus Catalani profectus est ac dioecesim Columbensem (Quilon) 1330 rexit[31]. Alii usque ad imperium Sinense pervenerunt, ut Ioannes de Cora O.P., qui archiepiscopo Ioanni de Monte Corvino O.F.M. 1328 morienti adstitit[32].

Si fructus actionum zelantium per missionarios orientis in opera duratura non transierunt, id non solum methodo ac mentalitati illius

aevi attribuendum est sed praecipue difficultatibus militaribus ac politicis, quas populi armis versus occidentem irruentes movebant. Et fructus etsi saepissime quoad actionem externam frustrati in internam vitam Ecclesiae atque ordinis gloriose transierunt[33].

Similiter procedebant missiones in Africa septentrionali versus occidentem, dum in Italia meridionali et in Hispania actio fratrum Praedicatorum contra Saracenos felicissima evasit.

In Italia meridionali[34] Fridericus II inter annos 1221/23 mercenarios Saracenos collocavit, quibus instante Gregorio IX anno 1233 fratres Praedicatores evangelium pandere debebant. Sensim res processit. Ex mandato anni 1310 constat servos Saracenos ad locos praedicationi destinatos mittendos esse. Deinde sub episcopo Lucerino B. Augustino († 1323) regio illa a residuis Mahometanismi expurgata fuit.

Tunisii[35] ante 1230 fratres Praedicatores in salutem animarum laborabant. Ipse S. Raymundus adhuc paenitentiarius papalis casus conscientiae resolvit, qui ei a superioribus missionum Dominicanorum et Franciscanorum propositi sunt. Successus maiores, quam in aliis terris mahometanis, Tunisii per missionarios obtinebantur. Novam epocham christianitatis mandatum Alexandri IV provinciali Hispaniae fratrum Praedicatorum factum aperuit, iuxta quod in partes islamiticas Hispaniae et Tunisii missionarios mitteret. Certe Andreas de Longjumeau reversus e castris de Karakorum Tunisii praedicavit. Eumque S. Ludovicus IX Tunisii in expeditione cruciata velut ministrum evangelii pro regione Tunisina commendavit, dum rex ipse suo itinere militari pacificam missionem valde interrupit. Mox autem fratres redierunt.

Anno 1299 rex Aragoniae Iacobus II Sancium de Boleyna Tunisium destinavit, ut christianos illos visitaret ac consolaretur. Saeculo XIV intrante missio Tunisii floruisse videtur.

Pro extrema deinde parte septentrionalis Africae Honorius IX anno 1225 Dominico priori et fratri Martino ad regiones Marochii eundi ibique praedicandi et baptizandi licentiam dedit[36]. Dominicus mox episcopali charactere auctus rector christianorum apud Marochum nominatur, dum idem Papa anno 1226 Rodericum archiepiscopum Toletanum laudat, quod iuxta mandatum apostolicum fratres Praedicatores et Minores ad convertendos infideles in regnum Miramolini transmiserit, eique mandat, ut quotiens opus fuerit in illam provinciam destinet unum vel duos ex dictis fratribus in lege Domini eruditiores et in dilectione Christi ferventiores in episcopos consecret. Quod

Dominicus anno 1225 missionem Marochanam moderabatur, indicium forsitan est, Praedicatores ab annis iam et fructuosissime ibi ministerium exercuisse, cum Franciscani, qui ab anno 1219 pariter ibi erant, ea dignitate non augerentur. Dispensationes magni momenti missionariis Marochanis utriusque ordinis mendicantis anno 1226 dabantur, cum possent quamdiu eos arctat necessitas vel utilitas incitat mutare habitum ordinis cum veste communi, barbam et comam nutrire, non ad declinandam illius gentis ferocitatem, quae in fideles crudelius debachabatur sed ut quam liberius christianos in carceribus et locis aliis visitare possent. Etiam pecuniam accipere missionariis permittitur, ut pro veste et cibo sibi providerent. Christiani plerumque coloniis mercenariis hispanis vel lusitanis constabant, quibus sultani libertatem religiosam concedebant. Controvertitur de morte episcopi Dominici an martyrio vel naturali modo et quando evenerit. Franciscani successores in sede Marochitana plures habebant, fratribus Praedicatoribus certe deinceps in campo illo collaborantibus.

Circa industrias fratrum Praedicatorum in Hispania[37] de Saracenis Christo lucrifaciendis S. Raymundus de Pennafort spiritu et amplitudine actionis illuminatae ac fortis ita rei missionariae Mahometanorum animum applicavit, ut coaevis « zelator fidei propagandae inter Saracenos »[38] famosus exsisteret. Sicut ante generalatum in negotia Saracenorum consiliis apud curiam Romanam Raymundus influxit, ita et post abdicatum ordinis magisterium apud aulam regiam Aragoniae auctoritatem summam pro iisdem rebus ostendit. Eum in edictum anni 1242, a Papa anno 1245 probatum, de frequentandis per Iudaeos et Mauros praedicationibus ab episcopis vel a fratribus Praedicatoribus et Minoribus dandis causam habuisse iure conicitur. Summarium Raymundi de fructu ministerii fratrum in Africa et in Hispania eum velut caput huiusmodi operis commendat. Ad fructum maiorem et securiore modo obtinendum Raymundus « cum licentia magistri ordinis et cum auxilio domini regis Castellae et domini regis Aragonum studium linguae arabicae fieri procuravit, in quo viginti fratres ordinis Praedicatorum vel plures in lingua illa per ipsius diligentiam sunt instructi, ex quo fructus maximus est secutus; nam plures quam decem millia Saracenorum a fratribus Praedicatoribus sunt conversi et inter Saracenos de Hispania et etiam de Africa divulgata est veritas fidei christianae et iam taliter approbata quod multi eorum praecipue sapientes dispositi sunt ad suscipiendam fidei catholicae veritatem et magistri fratrum in

lingua scilicet arabica fere omnes per ipsorum industriam sunt conversi ». Instante Ioanne Teutonico magistro ordinis fratres 8 ad studium arabicae linguae delecti sunt. Inter eos Raymundus Martin apparet, qui sermonis arabici deinceps peritia innotuit. Alii eidem linguae addiscendae parare se debebant, scholis arabicis Tunisii et Murciae erectis. De his studiis Humbertus in encyclicis litteris notat: « in Hispaniis partibus fratres qui iam multis annis inter Saracenos in arabico studuerunt non solum laudabiliter in lingua proficiunt, sed quod laudabilius est, ipsis Saracenis ad salutem cedit cohabitatio eorumdem ut patet in pluribus qui iam baptismi gratiam susceperunt »[39]. Statuta capitularia varia hanc linguam addiscendam praescripserunt.

Postquam capitulum generale anni 1259 studium arabicum erigendum in Hispaniae christiana parte desideravit, provincia Hispaniae studium huiusmodi ac scholam pro missionariis inter Arabes Barcinone proposuit, 1281 aliud studium arabicum Valentiae, 1291 studium arabicum et hebraicum Xativae.

Si Raymundus de Pennafort Thomam de Aquino doctorem contra errores gentilium advocans huius summam apologeticam excitavit Raymundus Martin († circa annum 1284) alter zelantissimus vir pro re Saracenorum et Iudaeorum magna ex parte in scriptis suis apologeticis ex Aquinate doctrinam claram hausit[40].

In favorem Iudaeorum christianismo adducendorum Paulus Christiani, e Iudaismo conversus, scripsit, praedicavit, disputavit. Post disputationem anni 1263 coram rege Barcinone habita rex compulsis Mauris et Iudaeis per Dominicanos sermones fieri decrevit. Non absque discussionibus et denuntiationibus et negotiis inquisitionis res Iudaeorum deinceps continuata est[41]. Postea Vincentius Ferrer annis 1409/10 et in coetu Derthusensi 1414 quaestionem Iudaeorum tangere et promovere sincere et cum effectu potuit, sicut et circiter 7000 Mahometanos ad fidem perduxisse dicitur[42]. Multa autem de his gentibus adhuc agendum restabat, actione in saeculo XV exeunte characterem violentiorem assumente.

Dum Franciscani saepius navigatores Hispanos ad insulas Atlanticas comitabantur, fratres Praedicatores principem Portugalliae Henricum († 1463) sequentes domos in regione Ceptensi (Ceuta) et in insulis Maderensibus fundarunt. Ad regna de Benin et Congo penetrantes Lusitani per suos missionarios ab anno 1486 baptizari nigros fecerunt,

missione in partibus Guineae nonnisi ex anno 1491 magis florent[43].

In navigationibus quas impiger Alfonsus Albuquerque circa annum 1503 ad Indias orientales per Africam instituit, quinque fratres Praedicatores aderant. Dominicus de Sousa cupiditatem Lusitanorum compescens amici et protectoris Indorum officium assumpsit. Primo conventu ad ora Malabariana erecto in Cochin, missionarii Lusitani etiam ad alias partes se diviserunt. Rodericus Homen regionem Quilonensem evangelizavit. Ex duabus classibus Lusitanis anno 1505 instructis una cum comitatu Franscicanorum et alia duce Albuquerque cum societate Dominicanorum versus orientem profecta est, in Ormuz ad sinum Persicum anno 1507 conventu ordinis fundato, alio postea in Goa[44].

Missionariis exeunte medio aevo tum commercii praxis tum ars medicinalis prohibebatur[45].

§ 34. Servitia pro Ecclesia.

Ordo fratrum Praedicatorum ob praedicationem et salutem animarum institutus propter claritatem suae constitutionis et finalitatis actione sua sacerdotati apostolica ac doctrinali magnum et solidum influxum in Ecclesia produxit. Viris ecclesiasticis institutione theologica, libris manualibus, schola victrice utilem se praebuit, dum laicos propositione verbi Dei, sacramentorum administratione, vitaque regulari aedificavit atque auxit. His titulis iam sufficienter incrementa continentur, quibus S. Dominicus Ecclesiam amplificavit. Quem conceptum auctores saeculi XIII in formam legendae involverunt, iuxta quam Innocentius III labentem basilicam Laternanensem humeris Dominici suppositis a ruina servatam esse vidisset[1]. Ad hos titulos generaliores etiam speciales accedunt, quibus fratres Praedicatores bene de Ecclesia meruerunt[2].

Imprimis haud exigue in hierarchia atque administratione ecclesiastica apparent. Etenim Innocentius V (1275) et Benedictus XI (1303/4) e filiis S. Dominici ad Romanum pontificatum ascenderunt. Insuper fratres 29 ad purpuram Romanam vocabantur, a Hugone a S. Caro usque ad Ioannem de Torquemada seriem eminentium virorum constituentes, qui in variis administrationis vel consilii ecclesiastici partibus profunde influebant. Inter 1272/1321 decani sacri collegii fratres Praedicatores quinque erant[3]. Episcopatus praelatis plurimis ex ordine dominicano illustratus est. Sub magisterio Ior-

dani iam assumptio fratrum ad regimen episcopale incoepit. Et iam tunc ordinis habitudo circa illam dignitatem notetur. Nam «fiebat mentio semel coram eodem magistro de quodam fratre magno et bono quod deberet fieri episcopus. At ille: Magis vellem videre eum portari in feretro ad tumulum quam in cathedra exaltari ad episcopatum »[4]. Eadem observatio famosissime a magistro Humberto de B. Alberto Teutonico facta est[5]. Sede Apostolica urgente Albertus Magnus praesulatum Ratisbonensem anno 1260 assumpsit, quem quantocius peracto biennio dimisit. Ininterruptus ordo episcoporum per Gregorium IX pro missionibus praecipue (Dominicus episcopus Marochitanus 1225, Theodoricus episcopus Cumanorum 1227) sed et pro dioecesibus totius Europae et orbis tunc noti aut etiam pro auxiliaribus, suffraganeis, titularibus delectorum usque ad finem medii aevi continuavit[6]. Ita Alexander IV patriarcham 1, archiepiscopos 2, episcopos 22 ex Praedicatoribus sumpsit, Ioanne XXII cardinalem 1, patriarchas 3, archiepiscopos 25, episcopos 106, legatos 18 inter eosdem seligente[7].

Fratres facti episcopi plerumque socium unum vel duos iuxta placitum secum ducere consueverunt. Etsi annis 1247 et 1249 huiusmodi commorationes extra ordinem et libera delectio sociorum episcopis concessorum limitata ac provinciali determinanda relicta sit[8], tamen ordo de numero fratrum ei deductorum lamentabatur. Neque omnes ad praesulatum tracti sunt sicut e. g. Albertus Magnus, sed aliqui curiam circuibant intendentes « rapere episcopatus et maxime qui iam vident quamplures adeptos fuisse episcopatus »[9]. Bonifatius VIII tandem fratribus ordinum Mendicantium anno 1296, quod episcopatum sine praevio Sanctae Sedis consilio habito acciperent interdixit[10].

Officiales curiae Romanae plus minusve arcte personae Summi Pontificis iuncti saepius ex fratribus sumebantur nostris. Capellani domini papae, paenitentiarii diversi generis, lectores et magister S. Palatii praecipua munia curialia constituebant. Inter capellanos Raymundus de Pennafort maximum momentum habuit. Erant hi capellani iuris periti, qui de quaestionibus in cancellaria apostolica ortis ad modum consultorum deliberarunt[11]. Tempore Avenionensi fratres plures distinctionem « capellanorum honoris domini papae » receperunt, contra quam ordo dein protestatus est[12]. Vicecancellarius S. R. Ecclesiae 1239/41 Iacobus Buoncambio erat[13].

Paenitentiarii in tres ordines distinguuntur, nempe eorum, qui erant Papae a confessionibus ut S. Raymundus[14], deinde paeniten-

tiariorum curiae, qui ad familiares Papae pertinentes saepe legationibus fungebantur, tandem paenitentiariorum in basilicis quibusdam Urbis exsistentium. B. Guala familiaribus Papae adnumeratus legationes pontificio iussu explevit[15]. Ioannes Teutonicus et Reginaldus paenitentiarii in Terram sanctam conferre se debebant[17]. Paenitentiarii apostolici in Urbe Dominicani plurimi erant[18], pro populis Scandinaviae primo speciali paenitentiario exprovinciali Daciae Nicolao exsistente[19]. Cardinalis Hugo de S. Caro maiorem paenitentiarium egit[20].

In tribunali primario Romanae Ecclesiae, quod saeculo XIV erectum erat, S. Antoninus auditoris generalis causarum apostolicarum munus gerebat[21].

Lectores S. Palatii ex utroque clero[22] in studio generali apud curiam Romanam per Innocentium IV constituto[23] docebant. E nostris e. g. Bartholomaeus de Bregantia (1252), Albertus Magnus, in aevo Avenionensi plures Galli lectores S. Palatii erant[24]. In libris, quos camera apostolica de introitu et exitu pecuniae sub pontificatu Ioannis XXII servabat, magistri theologiae in curia docentes indicantur, sed nonnisi post annum 1340 munus et honos magistri S. Palatii fratribus Praedicatoribus tribuendus in usum venit[25], sicut et Ioannes Columna et Galvagnus Flamma de magistro S. Palatii testantes circa annum 1340 scripserunt[26].

Tempore schismatis occidentalis et conciliari officium hoc increvit, praesertim sub Nicolao a S. Saturnino et Ioanne de Torquemada[27], Eugenius IV anno 1437 privilegia magistro S. Palatii debita sic firmavit et ampliavit, ut hic in capella pontificia ac consistoriis locum post decanum capellanorum auditorumque causarum palatii apostolici haberet, deinde inspectionem concionatorum simul et sermonum pro capella pontificia destinatorum, demum concedendi licentiam legendi pro forma magisterii in Romana curia atque insignia magisterii conferendi, baccalaureos instituendi eosque examine privato superato ad magisterium promovendi[28]. Ordo autem sic promotos magistros explicite accipere debuit, ut constat pro Daniele de Egher, cuius lecturae et acceptum magisterium in universitate S. Palatii a magistro generali 1475 approbatum est[29].

Legationum seu negotiorum ecclesiasticarum vel mixtarum utriusque potestatis supremae expeditio saepissime per membra ordinis effecta est[30], Thomas de Lentino et Nicolaus de Hanapes, uterque patriarcha Hierosolymitanus et legatus Terrae sanctae, rem christia-

norum ac Latinorum in Syria defendere debebant[31]. Aliae legationes in Armeniam anno 1328[32] vel sub Petro de Palude in Cyprum atque ad Sultanum anno 1329 et sequenti[33] fiebant.

Legationes « paciariorum » cardinalium Latini Malabranca (1280)[2] et Nicolai de Prato (1304) pro civitate Florentina[34] sicut et missio cardinalium Nicolai Boccasini (1301) pro Hungaria, Servia, Polonia[35] et Ioannis Dominici (1418/19)[36] in Austriam, et Hungariam digne notentur. Commercia unionis ecclesiasticae Graecorum cum Latinis plerumque per fratres Mendicantes peragebantur. Ita ex quatuor apocrisiariis 1234 Nicaeae primum et postea Nymphae colloquium habentibus, duo Minores erant et duo Praedicatores[37]. Anno 1433 concilium Basileense in negotio unionis fidei recuperandae Ioannem Stojković « de Ragusio » Constantinopolim misit[38], Andreas de Logjumeau cum sociis unioni ecclesiasticae pro Iacobitis adlaborarunt[39].

Pro defensione fidei vel occidentis varii legati et nuntii emittebantur ad populos orientis ut Ioannes Teutonicus ad Bulgaros[40], Anselmus ad Tataros 1245, de quo relatio apud Vincentium Bellovacensem in Speculo historiali servatur. Ob imprudentiam et ostentationem Anselmi suorumque sociorum haec legatio absque successu obtento anno 1248 Lugdunum rediit. Andreas de Longjumeau 1245/47 aliam missionem iussu Papae ad Tataros exsecutus est, novamque 1249 iussu Ludovici IX[41]. Vicarium Urbis Gregorius X 1272 Aldobrandinum Cavalcanti nominavit[42]. Negotiis ecclesiasticis, quibus fratres Praedicatores consilium et vim suam miscebant, computandae sunt electio Clementis V, transferentis residentiam pontificiam Avenionem, pro quo cardinalis Nicolaus de Prato zelavit[43], conatus reducendi Summum Pontificem Romam, qui per magistrum Matthaeum Orsini anno 1326 nomine desolatae Urbis Ioanni XXII submissus est sed nonnisi per hortamenta S. Catharinae in effectum anno 1377 definitive transiit[44], determinatio schismatis regis Franciae magna ex parte magistri S. Palatii Nicolai a S. Saturnino fidentis[45], actio Vincentii Ferrer et Ioannis Dominici pro abolendo schismate[46]. Honorifice doctrinam, auctoritatem, prudentiam filii S. Dominici in conciliis generalibus tum Lugdunensi utroque, tum Viennensi, sicut et in sessionibus oecumenicis Constantiensibus, Basileensibus, Ferrariensibus, Florentinis[47] monstrabant.

Si qua demum res pro Papis vel aliis principibus Ecclesiae evulganda erat, sive expeditio cruciata praedicanda, sive interdictum aut

excommunicatio notificanda cum aliis Mendicantibus et crebro ante eos destinabantur fratres Praedicatores.

§ 35. Inquisitio.

Commissio gravissima ac delicatissima, quae fratribus Praedicatoribus per Sedem Apostolicam imposita est, in inquisitione circa haereticos exercenda constabat. In ea perficienda devotionem Ecclesiae exhibendam vere demonstrabant amplectentes officium ingratum, onerosum, a Papis ordini impositum, ut et fides pura Ecclesiae ac societati civili mores christiani servarentur. Postquam concilium Lateranense III 1179 praesertim de vitandis haereticis Galliae meridionalis statuta dedit ac Lucius III in synodo Veronensi auxilio imperatoris Friderici I fretus suspectos de haeresi inquirendos et casu occurrente saeculari brachio tradendos edixit, Innocentius III 1198 legatos Cistercienses in Galliam Narbonensem direxit, qui haereticos devincerent, reducerent vel diiudicarent[1]. Ipse S. Dominicus circa annos 1208 et 1214 de mandato horum legatorum haereticos cum Ecclesia reconciliavit vel usque ad determinationem legati apud catholicos morari permisit. Nonnisi munus inferius quoddam in re inquisitoria Dominicus gessit[2]. Concilium Lateranense IV episcopis vel eorum delegatis iudicium causarum huiusmodi reliquit, Friderico II ab anno 1220 sedulo legibus civilibus cum Ecclesia collaborante[3]. Quae inquisitio particularis mox non iam sufficiebat. Quare Gregorius IX de facto inquisitionem papalem, independentem ab episcopis creavit, ad quam faciendam ex anno 1231 plurimos Dominicanos tum ipse tum imperator delegit. Origines fundationis ordinis Praedicatorum in regione haereticis populata necnon et instructio theologica, qua fratres Praedicatores pollebant, eos ad inquisitorum munus in oculis auctoritatis ecclesiasticae commendabant. Dicit e. g. Innocentius IV: Quia in inquisitione facienda contra haereticos eorumdem fratrum sollertiam novimus plurimum opportunam, ipsis huiusmodi negotium providimus specialiter committendum[4]. Specialiter, sed non exclusive. Non solum enim in Germania sacerdos saecularis Conradus Marburgensis (trucidatus 1233) validissimus praedicator, post annum 1227 inquisitor constitutus est, verum etiam ubique maxime ab anno 1240 alii religiosi ut Minores vel sacerdotes saeculares ad inquisitionem peragendam determinabantur[5].

Quaenam conditiones pro inquisitore requirebantur, pontificiis directionibus constat. Gregorius IX et Conrado de Höxter provinciali Teutoniae imponit, nonnisi probos pios iurisque peritos inquisitores deputandi[6], et Robertum le Bougre primum inquisitorem generalem per Galliam (1235/39) ob imprudentiam et zelum caecum in inquirendis haereticis deposuit atque in solitudinem relegavit[7]. Plena probatio haereseos damnandorum postulabatur, testibus Narbonensibus statutis, circa 1243 editis: Ad nullius vero condemnationem sine lucidis et apertis probationibus vel confessione propria procedatis. Satius enim est facinus impunitum relinquere quam innocentem condemnare[8].

Methodum in inquisitione servandam tum bullae pontificiae tum auctores, praecipue Bernardi Guidonis Practica inquisitionis haereticae circa annum 1321 composita[9] et Nicolai Eymerici († 1399) Directorium inquisitorum[10] exhibent. Sic Gregorius IX ad provincialem Provinciae anno 1233 mandat, «quatenus aliquos de fratribus tuis tibi commissis, in lege Dei eruditos... transmittas, qui clero et populo convocatis, generalem praedicationem faciant, ubi commodius viderint expedire et adiunctis sibi discretis aliquibus ad haec sollicitius exsequenda diligenti perquirant sollicitudine de haereticis... Omnibus qui ad praedicationem eorum accesserint in singulis stationibus viginti dies, illis vero qui ad impugnandum haereticos, fautores, receptores, defensores eorum in munitionibus et castellis vel alias contra Ecclesiam rebellantes, ipsis ex animo auxilium, consilium praestiterint vel favorem... tres annos de iniuncta sibi paenitentia relaxamus et si qui ex his in prosecutione huius negotii forte decesserint eis omnium peccatorum, de quibus corde contriti ac ore confessi sunt plenam veniam indulgemus»[11]. Tractat autem Bernardus Guidonis in quinque partibus de citatione et serie actorum ac formulariorum, de potestate tribunalis inquisitionis, de sectis haereticis e. g. de Manichaeis, Valdensibus, falsis apostolis, beguinis, Iudaeis, Graecis, sortilegis, divinatoribus, de ritibus eorum et calliditate ac de modo eiurandi et reconciliandi. Bernardus Guidonis inter 1306/23 cum personis circiter 647 rem agere debuit[12].

Expositio eius conscientiosa semper remansit, diversissima ab illa chronici auctore Guillelmo Pelisso († 1268), qui satis rudem se praebet[13].

Quemadmodum ius inquisitoriale ex dubiis et quaestionibus inquisitorum ab una parte et ab alia parte ex directionibus ac respon-

sis Sedis Apostolicae formatum est[14], ita hierarchia inquisitorum eorumque privilegia ex necessitatibus crescentibus fluxerunt ac constituta sunt. Sub inquisitoribus generalibus alii inquisitores simplices stabant.

Regiones vel terrae christianitatis variis inquisitoribus pro tuenda fide adiudicabantur, medio aevo exeunte inquisitoribus generalibus in omnibus fere nationibus nominatis. Cum inquisitores propter officium suum saepius extra conventus proprios morari deberent, ideoque libertas circumeundi iis commoda fieri potuerit, capitulum generale Podii 1344 habitum, « cum ad inquisitores haereticae pravitatis pertinere noscatur haereticos et errantes quosque ad catholicae fidei unitatem atque sacrosanctae Ecclesiae obedientiam non minus exemplo vitae quam verbo reducere », statuit, quod inquisitores « sicut ceteri fratres ordinis teneantur superioribus ordinis sive conventuum, ad quos pertinet vel aliquoties declinabunt, in omnibus quae directe suum non concernunt officium obedire »[15].

Pro regionibus gallicis die 20 aprilis 1233 Gregorius IX in archiepiscopatibus Bituricensi, Burdigalensi, Narbonensi, Auxitano, Viennensi, Arelatensi, Aquensi, Ebredunensi « ad capiendas vulpes parvulas, haereticos sicilicet » ad inquirendum fratres Praedicatores deputat, die 22 aprilis iam provinciali Provinciae iniungens, ut hic fratres ad praedicandum contra haereticos atque inquisitores constituat[16]. Iam antea inquisitores contra Albigenses instituti partes meridionales Galliae percurrebant, actu ininterrupto officio prospicientes.

Anno quidem 1229 post bella Albigensium in pace Parisiis firmata Raymundus VII comes Tolosanus ad persequendos haereticos se obligavit, sed cum inquisitores pontificii anno 1233 episcopum Manichaeorum Vigorosum de Baconia in haeresi obstinatum iudicavissent et saeculari brachio tradidissent, quod eum igne cremavit, idem Raymundus fratribus Praedicatoribus cibum afferre et quodcumque commercium cum illis habere vetuit. Quare anno 1235 ex urbe Tolosana abierunt, ex Narbonensibus autem fratribus aliqui interfecti sunt. Interveniente Ludovico IX Gregorius IX ad tempus facultatem inquisitorum Tolosanorum suspendit. Demum 1242 inito foedere cum Anglis contra Ludovicum IX, comes Raymundus exitium inquisitoribus parare statuens aliquos ad castellum Avenioneti prope Tolosam ex ficta causa colloquii convocavit. Hac occasione inquisitores et socii, nempe Guillelmus Arnaldi, Bernardus de Ripaforte, Garcia de Aura capti die 29 maii in nocte Ascensionis Domini trucidati sunt.

Hac calamitate motus provincialis Provinciae anno 1243 a Papa exonerationem officii inquisitorii petivit[17]. In partibus Franciae Robertus le Bougre ex haeresi conversus tanto zelo et terrore haereticam pravitatm persecutus est, ut nimis fecisse videtur[18]. In causa rehabilitationis (1452/56) Ioannae d'Arc fratres Praedicatores duce Ioanne Bréhal inquisitore generali gloriosa praestiterunt[19].

Per Germaniam nostrates plures quaesitores fidei excellebant sicut apud Bohemos (Schwenkfeld) et Polonos. Inquisitores Germaniae tempore Friderici II eiusque successorum Stauficorum sicut et sub Ludovico Bavaro excommunicato gravioribus oneribus premebantur. Si in discrimine Ludovici cum Papa aliqui inquisitores negligentes se praebebant, durius ab ordine habiti sunt[20]. In serie inquisitorum Coloniensium saeculi XV Gerardus de Elten, Iacobus Sprenger, Henricus Institoris eminent[21]. Ultimi duo quidem, ab Innocentio VIII iurisdictionem habentes[22], opus famosum ediderunt cui titulus Malleus maleficarum et earum haeresim ut framea potentissima conterens (Lugduni 1484, ed. 9 1496)[23].

Ex italicis quaesitoribus fidei in prima medietate saeculi XIII quinque prae ceteris afferendi sunt. Ioannes Salernitanus, qui « martellus haereticorum » vocabatur, Moneta qui Mediolani laborabat et vigilabat, adiutus a Guidone de Sexta. Deinde Rolandus Cremonensis, quem haeretici vulneraverunt. Gloriosior omnium Petrus Veronensis exstitit, qui anno 1203 ex Patarenis genitoribus procreatus, Bononiae ad praedicationem S. Dominici ad fidem conversus postea ordinem intravit, observantia, doctrina zelo catholicae actionis et inquisitorio illustris, feria quinta in Coena Domini anno 1252 a haereticis ense trucidatus est[24]. Ad excitandam strenuitatem aliorum inquisitorum Innocentius IV Petrum Martyrem sanctorum catalago anno 1253 accensuit.

De cetero provincia Lombardiae durissimam litem contra Gibellinos excommunicatos pontificio mandato sustinere debuit. Ne provincia nimis vexationibus exponeretur vel Gibellinorum vel haereticorum, contra quos inquisitoribus praedicandum atque agendum erat, Ioannes Vercellensis provincialis remisse rem inquisitorialem prosecutus est. Quare ex una parte inquisitores superiore neglecto directe ad Apostolicam Sedem recurrerunt et ex altera prior provincialis inquisitorum numerum non complevit. Alexander IV ei munus quidem moderandi superiore modo res inquisitionem tangentes, abstulit, sed non obligationem providendi de numero competenti inqui-

sitorum utpote directe deinceps a Sede Apostolica dependentium Etiam Urbanus IV apud eumdem provincialem de constituendis inquisitoribus insistere debuit[25]. In saeculo XIV quaesitores fidei Lombardi anno 1307 non solum contra Dulcinum eiusque socios sed etiam contra asseclas imperatoris Ludovici Bavari excommunicati ac Vicecomites Mediolanenses ab anno 1320 impetebant, Benedicto de Assignano inquisitore hos sectatores Ludovici excommunicante et Comum ac Cremonem interdicto mulctante[26]. Alii quaesitores fidei in terris subalpinis versus occidentem Petrus de Ruffia (1365), Antonius Pavoni (1374), Bartholomaeus de Cerveriis (1466) morte violenta perierunt, Aimone Taparelli († 1495) pacifica aetate centenaria post exercitam inquisitionem obivit[27].

Sixto IV inquisitionem pro terris Latinis anno 1474 renovante per magistrum ordinis Leonardum de Mansuetis pro dioecesi Astensi Hugo de Albinis, pro Patavina Iacobus de Valentia, Venetiis Ioachim Torriani, Bononiae Michael de Hollandia aliique per alias ditiones deputabantur[28].

In hispanicis regionibus tribunal inquisitionis apud Aragoniam die 26 maii 1232 ad petitionem Raymundi de Pennafort per Gregorium IX erectum est. Qui mandavit archiepiscopo Tarraconensi huiusque suffraganeis, « quatenus per vos et fratres Praedicatores ac alios quos ad hoc idoneos esse noveritis diligenti solicitudine perquiratis de haereticis et etiam infamatis. Et procedatis contra eos iuxta statuta nostra contra haereticos noviter promulgata quae vobis sub bulla nostra transmittimus interclusa »[29]. Nicolaus Eymerici strenui inquisitoris Aragoniae exemplum exstitit. Ex quo demum 1478 auctoritate apostolica Sixti IV tribunal inquisitionis pro regno Castellae concessum est, principes Hispaniae ad instituendos inquisitores delegantur, qui duo vel tres archiepiscopi vel episcopi vel alia membra utriusque cleri esse poterant et annorum saltem 40, morum integritate, theologiae magisterio vel baccalaureatu aut iuris canonici doctoratu seu licentiatu rite ornati esse debebant. Sic qualificatis viris in inquisitores selectis Papa necessariam iurisdictionem tribuit. Praecipue contra Marranos i. e. Iudaeos baptizatos relabentes et contra apostatas alios procedere inquisitorum Hispanorum erat. Reges postquam in vanum media humanitatis, nempe praedicationis, in Marranos adhibuerunt, vi bullae pontificiae diei 17 septembris 1480 pro civitate et dioecesi Hispalensi duos fratres Praedicatores Michaelem Morillo et Ioannem de San Martin inquisitores constituerunt,

quibus sacerdos saecularis doctor Ioannes Ruiz addebatur. Mox gravissimae accusationes de inordinato modo procedendi inquisitionis hispanicae Romam delatae sunt. Reges enim sub specie religiosi zeli adversarios politicos quoque ope inquisitionis percellere nitebantur. De abusibus in negotio inquisitionis Hispanorum ex brevi Sixti IV diei 29 ianuarii 1482 constat sicut de praecepto inquisitoribus a Papa inculcato, observandi accurate normas apostolicas. Obtento quod archiepiscopus Hispalensis iudex papalis pro appellationibus super tribunalia renutiaretur, gubernium hispanicum minis ex Papa aliam concessionem extorsit nempe constitutionem inquisitoris generalis natione Hispani, qui Thomas Torquemada O.P. prior Segobiensis erat. Cuius facultates die 2 augusti 1483 pro Castella et Legione datae die 17 octobris ad Aragoniam, Valentiam, Catalauniam extensae sunt.

Inquisitor speciali consilio ad diiudicandas appellationes minoris momenti gaudebat. Dum ipse iurisdictionem a Summo Pontifice habebat, sui adiutores a consiliis ab ipso quoad facultates dependebant. Hi consiliarii etiam, sed non primarie, velut officiales status agnoscebantur. Licet primus inquisitor generalis Thomas Torquemada ab historiographis sicut a Sixto IV laudes meruit, tamen inquisitio in Hispania sub charactere, quem ex immixtione potestatis civilis inde ab anno 1480 assumebat, etiam postea detinebatur[30].

§ 36. Merita de societate civili et de artibus.

Ministerium apostolici ordinis servitia societati civili et actioni sociali eminenter tribuit[1]. In speciali pro epocha medii aevi huiusmodi servitia a fratribus Praedicatoribus praestita considerari licet velut confessariorum ac consiliariorum apud principes, vel legatorum in gratiam potestatis civilis vel auctorum pacis stipulandae inter populos aut factiones vel instauratorum operum misericordiae utriusque vel moderatorum coetuum specialium laicalium in subsidium Ecclesiae.

Franciae reges[2] continuam fere seriem confessariorum ex fratribus Praedicatorum delegerunt. Ita S. Ludovicus IX per annos 22 conscientiae moderatore et arbitro Godefrido de Beaulieu usus est, qui eum in itineribus etiam cruciatis fidelissime sequens ad mortem praeparavit[3], dum Philippus Pulcher praecipue Nicolaum de Gorham et Nicolaum de Fréauville aliosque[4] a confessionibus adhibuit. Reginae

pariter fratres pro sua conscientia moderanda assumebant, e. g. Clementina de Hungaria[5] uxor Ludovici X et Maria de Luxemburgo[6] altera uxor Caroli IV.

Apud Angliam domus Plantagenet devotissima ordini exsistens ab Henrico III ad Richardum II ex eo confessarios elegit, quod et aliqui ex domo Lancaster fecerunt. Inter eos Ioannes de S. Aegidio, Ioannes Darlington, Walterus de Winterbourne, Thomas de Jorz, Richardus de Winkley, Thomas Claxton celebriores sunt[7]. In curiis regiis tum Legionis et Castellae Petrus Gonzalez a S. Ferdinando accersitus, tum Aragoniae Raymundus de Pennafort prope Iacobum I, tum Lusitaniae Aegidius Scaballitanus a Sanchez II vocati apparent[8], in ceteris saeculis aliis fratribus e. g. Alvarus Cordubensis, Lupus Barrientos, Ludovicus Vallisoletanus, Ioannes Torquemada in officio confessoris sequentibus[9]. Imperator Henricus VII anno 1313 in expeditione sua italica obiens a Bernardo de Monte Politiano ultima religionis solatia recepit, ex quo iniqua fabula porrecti a confessario veneni mortem imperatoris causantis in accusationem et calumniam ordinis circumferebatur[10].

Sensim officia spiritualia confessariorum aulicorum tot temporalia commoda congerebant, ut modus vivendi fratris mendicantis cum vita curiali difficile componeretur. Ita e. g. Innocentius IV ad petitionem Henrici III cum confessario regis gratiose super prohibitione non equitandi dispensavit, dum alii licentias non servandi silentii vel cibi constitutionalis obtinuerunt[11]. Accesserunt itinera vel iucundae conversationes, quae ab aulico sacro ministerio separari nequibant, dona, reditus, camerae speciales[12]. — Enzium, infelicem regiam stirpem, anno 1272 nostri caritative apud S. Dominicum Bononiae sepelierunt[13].

Si cardinalis Hugo de S. Caro negotium eligendi Guillelmum de Hollandia regem Romanorum in Germania peragebat, quem Albertus Magnus in conventu Coloniensi mirifice excepit[15], idem Albertus rem Rodulphi de Habsburg in concilio Lugdunensi II fideliter exposuit et finivit. Principes Sueciae et Scotiae legatos dominicanos in Angliam ac reges Angliae similes fratres et per partes proprii regni et ad exteros Scotiae, Flandriae, Franciae, Hungariae, curiae Romanae miserunt[16]. In negotio Flandriae Bernardus Gui et magister Berengarius de Landore[17], in legationibus multiplicibus ad gratiam Franciae vel domus Luxemburgensis vel Hungariae magister Simon Lingoniensis excellebant. In pacto apud Brétigny anno 1361 stipulato inter Anglos et Gallos idem sollers adlaboravit[18].

Causa difficiliores durante bello centum annorum evenerunt. Quare capitulum generale anno 1344 edicit: « Cum praedicatores unitatis et pacis guerrarum dissidia... debeant declinare, cum haec innumera salutis animarum et corporum discrimina committantur necnon exinde conventuum subversio sit timenda, prohibemus fratribus universis, ne de principum aut aliorum quorumcumque guerris se quomodolibet intromittant et volumus contrarium facientes per suos superiores, postquam de hoc legitime constiterit carceri mancipari»[19].

Alia officia aulica praeceptoris imo et medici fuerunt. S. Ludovicus IX « sub specialis cura magistri et consilio religiosorum maxime ordinis fratrum Praedicatorum moribus et scientia litterarum» educatus est, Vincentii Bellovacensis praecipuo munere[20]. Anno autem 1493 Petro de Hempudia licentiae pontificiae firmantur, qui ad aulam reginae Elisabeth exivit, ut principissam Portugalliae infantem Hispaniae legere, scribere, grammaticam et dicere officium doceret[21]. Deza et Ranzano quoque filios regum instituebant[22].

Pacis ferendae nuntii vel procuratores e fratribus nostris exstiterunt Guala (1227 inter Papam et Fridericum II) idemque Guala ac Ioannes et Bartholomaeus de Vicentia inter municipia Lombardiae, praecipue ultimus in civitate Parmensi tempore pacis generalis « Alleluia » dicto[23]. Suerius Gomez in pacanda Lusitania quae civilibus discordiis ardebat totum se collocabat[24] et postea Albertus Magnus intercessit praesertim inter archiepiscopum et cives Colonienses[25], Ioannes Vercellensis in Lombardia atque inter regna Franciae et Castellae[26]. Cardinalis Latinus Malabranca anno 1279 occasione benedictionis primi lapidis S. Mariae Novellae Florentinos in amplexu pacis univit[27], S. Catharina Senensis legationem pacis Florentinorum cum Papa suscepit[28]. S. Vincentius Ferrer post interregnum et excidia Aragoniae anno 1412 apud Caspe thronum Aragoniae Ferdinando Iusto Castellae regi unitatem politicam Hispaniae auspicando adiudicavit[29].

Opera misericordiae a S. Dominico in ordine plantata sunt. Ipse fundator salutis animarum sitientissimus proximum perire noluit, sed operibus zeli apostolici, doctrina, praedicatione, commiseratione, instruere, augere et adiuvare cupivit. Dum opera misericordiae spiritualis actione fratrum maxime elucent, opera misericordiae corporalis simul et spiritualis in fundationibus Pruliana saltem in initio et Tolosana mulierum magis ostenduntur. Fratres Praedicatores exempla imitantes, docendo et praedicando vera principia[30] societa-

tis humanae eiusque regiminis atque educationis, christianitati immensum fructum semper, praecipue per Vincentium Bellovacensem, Thomam de Aquino, Vincentium Ferrer, Ioannem Dominici, Antoninum, Hieronymum Savonarola attulerunt, alii praesertim fratres Angli in constitutionem nationalis gubernii formam constitutionalem sui ordinis apte influere videbant[31].

Quam curam circa proximos periclitantes ordo ab exordio sumpsit, ex vita Iordani de Saxonia patet, qui monialibus S. Agnetis puellas commendat[32]. Pinamontius Brembati (+ 1266) non solum post dira dissidia circa 1260 militiam S. Crucis ad ideam paenitentiae concivibus inculcandae, ut pax et misericordia divina obtineretur, sed etiam collegium Misericordiae anno 1265 excitavit, quod coetum devotorum in amore Dei et in exercitiis misericordiae proficientium congregaret. Mox ultra 200 cives huic associationi, regula a Pinamontio auctae, se adscripserunt. Pecuniae ex parvis denariis sociorum collectae ex crescentibus legatis in subsidia maiora beneficentiae cuiuscumque vertebantur, vel postea in opera particularia impendebantur. Ex originaria societate Misericordiae anno 1421 collegium Incarceratorum et 1422 Misericordia montis S. Vigilii pro illa regione segregata est[33]. S. Antoninus anno 1442 vocatis diversi generis egregiis Florentiae viris iisque contribuentibus comitatum sublevandae inopiae verecundia absconditae (provveditori de' poveri vergognosi vulgo: buonomini di S. Martino, instituebat, quod in tempore illo splendido facie sed et subter superficiem miseria probato necessarium erat[34]. Eiusque vita actionem socialem et caritatis uberrime explicat, quapropter et patris pauperum nomen meruit. Lupus Barrientos episcopus hospitalia varia erexit[35].

In calamitatibus pestis magnae anno 1348 apud Carcassonam fratres Praedicatores caritate ducti conventuales Minorum, qui prius quam Praedicatores infirmitate inficiebantur, curarunt et sepelierunt[36]. Dum peste laborantibus assisteret Robertus Holcot famosissimus inter fratres Anglos, mortem sacrificii subiit[37]. Similiter peste grassante caritate excellebant: Andreas Abellon, Laurentius de Ripafratta, Aimo Taparelli[39]. Conradinus de Ariostis prior Bononiensis, in saeculo XV peste saeviente, iunioribus religiosis alibi collocatis per aliquos probatos conventuales antiquiores, adiutus, pestiferos magno animo curavit.

Ipsi etiam cordi erat non solum candidatos ad ordinem recipiendos elevare verum etiam puellis, ut matrimonium inire possent,

stipem conferre[40]. Notior in hac re cardinalis Torquemada industria et magnanimitas exstitit, qui Romae anno 1460 fraternitatem SS. Annuntiatae pro dotandis puellis instruxit et ditavit[41].

Patres Arelatenses heroica praestiterunt occasionis per Rhodanum annum 1497 causatate[42].

Neque silendum est de multiplicibus fraternitatibus, quae curis dominicanis ad firmandos laicos in fide et bonis moribus in toto medio aevo ortae et servatae sunt. Sicut Fulco episcopus Tolosanus incolas suae civitatis residentialis in factiones duas alborum contra Albigenses et nigrorum pro Albigensibus partem assumentium diviserat ita similes militiae laicorum pro fide tuenda vel pace in Italia mox inveniuntur[43]. Anno 1233 Parmae auctore Bartholomaeo Vicentino militia Iesu Christi fundata fuit. Societas cruce signatorum «de S. Dominico» Bononiensis statuta anno 1244 recepit, quae anno 1492 renovavit. S. Petro Veronensi antiquissima associatio dictorum « Laudesi » (compagnia di Laudi di S. Maria Novella 1244) sicut et societas « del Bigallo » (1244) debentur. Sic S. Petrus propugnatorem orthodoxiae et moderatorem strenuum et sapientem se monstravit. Societas S. Mariae Novellae vel S. Petri vel « fidei » dicta, capitibus regebatur, quibus vulgo nomen erat « capitani della fede »[45].

Congregationem vel societatem similem Iordanus de Rivalto Pisis instituit[46]. Apud populos septentrionales in coetibus particularibus opifices colligebantur. Ita sutores germanici prope conventum de Oslo Norveciae fraternitatem habebant[47], dum conventus Francofurtanos anno 1458 praeter fraternitates religiosas communes notat illas speciales fabrorum, claustrariorum, balneatorum, bidellorum municipalium, coriariorum, zonariorum ,pergamentariorum, fabrorum tignariorum, pileariorum, gladiatorum[48].

His industriis omnibus laboris officium et diversitas statuum civilium spiritu Christi et Ecclesiae in unum obsequium Dei fratrum zelo et in animarum profectum dirigebatur. Accedit deinde actio efficax, quam tertiarii de S. Dominico vel ipsi societati copiose exhibebant.

Miretur quis, si in historia ordinis cuiusdam mendicantis de actione circa *bonas artes* sermo instituitur, cum revera non solum idea fundatoris ordinis Praedicatorum, sed etiam primitivorum fratrum cultui maioris ornatus aedium, quem implicant, aliena fuerit[49]. Attamen evolutio virium atque ingenii multiplicis non recludi potuit, postquam fratres Praedicatores statu formationis originariae supe-

rato ad quamdam fruitionem suae actionis ac potestatis pervenerunt. Pulcherrimisque operibus Dominicani historiae artium se inscripserunt[50].

Humilitas domorum praecepta est: « Murus domorum sine solario non excedat in altitudine mensuram duodecim pedum, cum solario viginti, ecclesia triginta nec fiat lapidibus testudinata nisi forte super chorum et sacristiam »[51]. Si haec ultima pars iam anno 1230 e. g. Ratisbonae non amplius servata fuit[52], postea Tolosae, Barcinone, Coloniae paenitentiae et correctiones prioribus, qui in aedificatione excesserunt, dabantur[53]. Tandem anno 1297 maior libertas in construendo conceditur, si tantum curiositates vitentur[54].

Primas ecclesias fratres Praedicatores iam constructas receperunt. Ubi autem novas ipsi aedificare debebant, utilitati, simplicitati ac stilo in regionibus praevalente se accomodantes ecclesias in forma basilicarum, una vel duabus vel tribus navibus constantes, testudinibus chorum vel chorum ac naves tegentibus, erigebant[55]. In septentrione plerumque ecclesiae Mendicantium nave transversa carebant et nonnisi campanam unam in parva turri e tecto se elevantem habebant, dum Itali Mendicantes tum navem transversam (sicut et Hispani plerumque) tum campanile ab ecclesia separatum[56] servabant. Per Galliam, Germaniam, Scandinaviam, Angliam stilus goticus non solum assumebatur, sed etiam excultus est[57]. In Hispania, Italia, Bohemia, Polonia stilus goticus ab elementis romanicis separari nequivit. De charactere ecclesiarum dominicanarum Rohault de Fleury, Oberst, Krautheimer[58] disseruerunt. Ecclesia duarum navium e. g. Tolosana, Parisiensis, Barcinonensis, Augustana[59] quid proprium ordini Praedicatorum vel non constituit vel non remansit[60]. Exsecutio utique operis construendi laicis oppidanis sub inspectione fratris « praefecti operis » committebatur[61], nisi aliquando ipsi fratres magnam partem aedificationis in se suscipiebant[62].

Architectonicae rei peritis fratribus ordo Praedicatorum non caruit. Diemarus circa annum 1230 pulcherrimam ecclesiam Ratisbonensem specimen goticae primitivae construxit[63], quae iuxta posteriorem ecclesiam amplissimam Erfurtensem notabilior ecclesia dominicana Germaniae habetur. Alberto Magno quosdam labores sacrae architecturae[65], Volmaro claustrum sororum et fratrum Columbariensium[66], Gundisalvo, Petro Telmo et pluribus Italis fra-

tribus opera aedificatonum civilium maxime pontium[67], adscribunt, Fratres deinde Sixtus († 1289) et Ristorus († 1283) ex opere S. Mariae Novellae Florentinae, notissimi exsistunt, cuius novae aedes anno 1278 primo lapide posito[68] per fratres Ioannem da Campi et Iacobum Talenti anno 1357 perfectae sunt, insumptis totaliter 100.000 florinis aureis[69]. Non obliviscendum est, fratres Praedicatores his et similibus operibus vere arte et exemplo praedicasse. Nam ecclesiae Florentinae S. Crucis (1294) et cathedralis (1298) posteriores sunt templo S. Mariae Novellae. Immensas aedes sacras Venetiis fratres excitarunt. Nicolaus Imolensis S. Nicolai Tarvisinam ecclesiam anno 1352 ad finem perduxit[70], aliis architectis florentibus inter fratres Guillelmo Pisano (1293 Urbeveteri)[71] ,Benedicto Bononiensi circa annum 1320, Ioanne de Guissno (Mediolani circa annum 1395)[72]. Novum stilum saeculi XV Franciscus Colonna et Iucundus (Giocondo) coluerunt. In Hispania aedificationes varie auctae S. Stephani Salmantini, S. Thomae Abulensis et Vallisoletanae celebres exsistunt[73].

Quod autem in terris Sueciae et Finlandiae Dominicani prae ceteris clericis duces non solum in scientiis sacris verum etiam in arte architectonica fuerint, moderni auctores relevant[74]. Ex provincia Daciae fratres Iosephus et Halvordus ac Gisico episcopus Odenseensis († 1302) architecti citantur. Exemplar structoriae artis in Scotia exstitit ecclesia conventualis Glasguensis, « quae subsequentibus saeculis pro totius regni Scotiae ornamento elegantissima evasit ac de peritorum sententia etiam cathedralem artis pulchritudine superans reputabatur ». Anno 1670 ictu fulguris percussa corruit[75].

Post primam artem architecturae, cuius operibus aliae artes inhaerent, pictura nominetur, Imagines sculptae ratione paupertatis excludebantur, statuto «ne de cetero in nostris conventibus habeantur imagines nisi pictae nec fenestrae vitreae nisi albae cum cruce, nec litterae aureae in libris nostris »[76]. In muris ecclesiae, parietibus aularum vel cellularum conventus aut claustri, in tabulis altarium pictores artem suam ad aedificationem animorum atque instructionem locare poterant. Documenta maioris decorationis in conventu S. Mariae Novellae prostant. Ibi saltem in recentiore constructione ecclesiae et in adiacentibus claustris imagines pictae vehementer ad pietatem et mentis elevationem movebant, quod et directoris harum scenarum spiritualis Iacobi Passavanti[77] intentum erat. Maxime illa aula capitularis apud S. Mariam Novellam cum historiis S. Dominici, S. Petri Martyris, S. Thomae de Aquino, circa annum 1366

ab Andrea Bonaiuti perfectis in artem religiosam influxit[78]. Sancti quoque ordinis vel mysteria religionis ubique depingebantur. Similes picturae Traiecti 1337, Pisis 1344, Ratisbonae elaboratae sunt[79], dum conventus Gandensis (saeculo XIV exeunte) et Mediolanensis S. Mariae Gratiarum (circa annum 1499 manu Leonardi da Vinci)[81] coenam Domini in refectorio repraesentavit, capitulo Tarvisino serie virorum illustrium ordinis (auctore Thoma Mutinensi 1352) ornato[28]. Atque pictor angelicus Ioannes de Faesulis Florentiae apud S. Marcum alibique ecclesiam, claustra, cellulas, capitulum, domitorium sancte et artificiose decoravit. Columbariae super sacristiam imago crucifixi muro inhaesit[83]. Basileae apud claustra fratrum et sororum «choreae mortuorum» sub forma phantastica vanitatem saeculi indicabant[84]. In pluribus domibus vel templis «arbores» vitae vel dominicanae generationem spiritualem membrorum venerabilium ordinis Praedicatorum ex Christo crucifixo vel S. Dominico prodeuntem explicabant[85]. Ad depingendum muros, tabulas, altaria saepissime famosiores artifices advocari solebant. Ita Florentiae apud S. Mariam Novellam Orcagna, Cimabue, Ghirlandajo et Francofurti[86] Holbein maior, Dürer, Grünewald opera exsecuti sunt.

Interdum nostri in arte pictoria excellebant ut fr. Guido[78] Florentiae vel in saeculo XV Andreas Abellon[88], Ioannes dictus Faesulanus, (+ 1455) qui facile principatum inter pictores vere religiosos obtinet[89], Bartholomaeus Corradini Urbinas (fra Carnovale), Hieronymus Monsignori Veroniensis[90], Martinus Schwarz[91].

Sculpturae, etsi apud Dominicanos in exordio vetitae, non semper ab eorum ecclesiis exsulare poterant. Structura solemnis arcae S. Dominici et sumptuosum opus arcae S. Petri Veronensis in ecclesiis Bononiensi et S. Eustorgii Mediolanensi aderant. Guillelmus d'Agnello Pisanus, quem architectonica arte celebrem iam invenimus, etiam scalpro excelluit, artem caelandi in arcae S. Dominici confectione collaborando monstrans. Iacobus Talenti quoque sicut architectonica arte et ita sculptoria innotescit. In sculpendis ligneis portis Ioannes di Michele nomen sibi fecit, dum alii qui chorales sedes artificiose decorando confecerunt absque mentione historiae transierunt[92].

Eximium decus multae ecclesiae conventuales ex sepulchris magnorum vel principum nanciscebantur. Papae saepius (e. g. Clemens IV)[93] sicut et Anglorum proceres ,familia regia Franciae (ecclesia S. Iacobi necropolis Borbonica vocatur[94]), marchiones Bran-

denburgenses (Berolini)[95], principes Hispaniae (ut Ioannes filius Ferdinandi V Abulae)[96] in templis sepeliri desiderabant, quemadmodum alii plurimi nobiles. Omnesque huiusmodi sepulchra sculptoria arte distinguebantur. In claustris pariter praecipue Avenionensi nitidae figurae et formationes scalpro fabrefactae notantur[97]. Monasteria alemannica sororum statuas Salvatorem simulac S. Ioannem repraesentantes habere diligebant[98].

Miniaturis in libris apponendis tum fratres tum moniales curam impendebant. Ex miniaturistis afferre licet Hugonem Ripelin, Hjalm Dacum[100], Ioannem Sifrewas (circa annum 1400)[101] expeditissimum, deinde illos notiores Italos apud S. Mariam Novellam Florentiae tum quosdam saeculi XIV tum Michaelem Sertini († 1416) famosissimum, apud S. Catharinam Pisis (Dominicum Pollin, Alexandrum della Spina saeculo XIV), Venturinum Bergomensem, Ioannem Dominici ,Benedictum germanum Ioannis Faesulani, Zenobium Strozzi opificem admirabilium quorumdam librorum liturgicorum apud S. Marcum Florentiae, Ioannem Antonium Cattaneo e scriptoribus regis Matthaei Corvini[102], Benedictum sequacem Savonarolae.

Artem vitris colorem ingerendi coluerunt[103] Dominicus Pollini Pisis († 1340), Ambrosius da Bindo Senis (s. XV), Bartholomaeus di Pietro Perusiis anno 1411 in immensa quadam fenestra, Ioannes de Sedriano Mediolani 1420, Iacobus Griesinger ab Ulma conversus conventus Bononiensis († 1491)[104] qui plures vitreas picturas hodie adhuc servatas confecit.

In poesi varie excellebant Eberhardus de Sax, prior Henricus Basileensis[105], Hugo Ripelin[106], S. Thomas de Aquino[107]. Dum Stefanardus de Vimercato († 1298)[108] chronicam Mediolanensem metrice narrat et Guido Vicentinus a cardinali Boccasini «ad versificandum» inductus in margarita bibliae rem scripturae sacrae 1500 versibus circiter comprehendit[109], quidam ex conventu Rigensi summarium biblicum metrice expressit[110]. Alii poetica laude illustres erant Dominicus da Corella (saeculo XV) et Petrus Ranzano († 1492)[111], Remigius Florentinus[112], Thomas Tomasinus[113].

Musicorum modorum peritia certe Humbertus de Romans emicuit, qui liturgiae castigationem peregit, insuper forsitan Thomas Aquinas, cui vel melodiae hymnorum eucharisticorum adscribuntur[114]. Simon Taylor Hibernus natu († 1240) in Scotia pro servanda dignissima musica sacra verbo et scripto plura effecit[115], dum Hieronymus Moravus († 1260) tractatum de musica reliquit[116]. Ioannes

Roose Eboracensis in organis construendis vel reparandis notum se fecit[117].

Praeter opera artium vere praestita ordo Praedicatorum influxum magnum in rem ac historiam artium exercebat per inspirationes[118], quibus artifices auxit. Lucubrationes ut Stephani de Borbona tractatus de diversis materiis praedicabilibus, Vincentii Bellovacensis Specula, Iacobi de Voragine Legenda lombardica, Ludolphi de Saxonia primum Dominicani postea Cartusiani Vita Iesu Christi, Ulrici Boner fabulae, consilia eruditorum ac zelantium virorum ut Passavanti, Ioannis Dominici, insuper desideria confraternitatum maxime saeculo XV exeunte (imago Coloniensis de rosario), profunde evolutionem artium direxerunt. Praesertim de moderatione, quam Savonarola in artifices et artes exsecutus est, historici loquuntur[119].

IV. Evolutio provinciarum. Statistica Generalis.

Summa capita historiae singularum ditionum ordinis ad compendiosam narrationem rerum gestarum ordinis conferunt, quia totum ex partibus constat, quae nisi aliquo saltem modo cognoscuntur, cognitionem etiam totius deficere sinunt.

Postquam ratio provinciarum et congregationum sub capitibus de constitutione vel de re reformationis iam relata est, circumscriptio atque divisio historica provinciarum imprimis consideretur. Deinde iuxta situm geographicum et ordinem dignitatis vel filiationis variae provinciae percensentur. Generali demum synopsi statistica magnitudo harum ditionum praebetur. Et quidem convenienter huiusmodi tabulae statisticae explanatis rebus provinciarum velut coronis locum habent.

§ 37. Ration et divisio provinciarum

Extensio operis atque ordinis Praedicatorum per varias orbis partes fundatori cordi et esse debuit et exstitit. Urgebant quidem res incertae politicae, quae regionem et civitatem Tolosanam 1217 denuo commovere coeperunt[1], at minime illae solae Dominicum ad emittendos fratres determinaverunt. Ipse enim ex necessitate et in-

tentione sui operis divulgandi et per ordinem missionem praedicationis apostolicae pandendi alios locos recipere voluit, ut in illis et fratrum labor ad salutem animarum ageretur et ordo augmentum caperet. Ante dispersionem quaedam dispositiones circa regimen et administrationem ordinis erant determinandae. Dominicus moderationem generalem sui ordinis tenuit, dum ei in dirigendo conventu Tolosano frater Matthaeus superior sub titulo abbatis successit. Post diem 15 augusti 1217 fratres in varias partes distributi industriam apostolicae suae actionis et vitae necnon et ampliandi ordinis susceperunt. Dominicus cum socio Italiam petivit[2], ubi sui regiminis centrum constituere ratus est. Non videtur dubium de hoc, quod ipse civitates, ubi fundationes fierent, determinaverit[3].

Conventus, qui in universitariis civitatibus Parisiensi et Bononiensi siti erant, maximum numerum candidatorum ordini adduxerunt[4]. Et non solum Galli Parisiis neque Itali tantummodo Bononiae sed etiam aliarum nationum filii, qui studiorum causa in illis centris degebant, ordinem intrabant.

Cum ordo Praedicatorum post capitulum generale anni 1220 celeriore modo propagatus fuerit[5], in capitulo generali anno 1221 quaestio de colligendis pluribus conventibus in particulares ditiones provinciarum per speciales provinciales priores moderandas solvenda manebat, servata centrali ordinis totius administratione.

Selectio atque adunatio variorum conventuum ad unam provinciam efformandam in initio magis secundum populorum diversum characterem, etiam tantummodo regionalem, et diversam linguam, quam secundum circumscriptionem politicam evenerunt. Ita paeninsula iberica, quae pluribus regnis constabat, unam provinciam Hispaniae recepit. Pro Galliis duae provinciae illa Provinciae et alia Franciae concedebantur, in quibus insuper imperium Romanum nationis germanicae, e. g. Lugduni et Metis, participabat. Imperium duas provincias complectebatur, nempe Lombardiae et Teutoniae. Provinciae ordinis Hungariae et Angliae finibus politicis continebantur[6]. Attamen vel situs geographicus solus pro aliquibus provinciis ut Graeciae et Terrae sanctae in extremis orbis exsistentibus sufficiens ratio independentiae administrativae esse potuit. In casibus dubiis de domibus uni vel alteri provinciae adiudicandis capitula generalia vel ipsae provinciae litem dirimere solebant. Sic conventus Viennensis a fratribus Hungariae provinciae fundatus ad provinciam Teutoniae transiit, conventus Brugensis et Gandavensis e

Teutonia ad Franciam adscripti sunt. Conventus Perpinianus modo ad Tolosanam modo ad Aragoniam, Duracenus modo ad Romanam provinciam modo ad Dalmatiam pertinebant.

Circa exsistentiam historicam provinciae alicuius primus testatur Iordanus, qui de Lombardia narrat, quae ei a capitulo generali 1221 regenda committebatur[7]. Et provinciae Hispaniae, Provinciae, Franciae, Romana certe iam simul erectae sunt, provinciis Hungariae, Teutoniae, Angliae in tempore subsequente constitutis[8]. Usque ad annum 1228 provinciae Poloniae, Daciae, Graeciae, Terrae sanctae formabantur[9].

Quantum ad ordinem, quo provinciae recenserentur, constat[10], eas non iuxta respectum chronologicum, sed secundum situm geographicum conventuum per diversas terras erectorum enumeratas esse. Haec est ratio, quare neque Provincia Hispaniam neque Teutonia Hungariam praecedit. Dispositio provinciarum duplici linea iungitur, quarum una exordiens in Hispania ad gallicas partes meridionalem et septentrionalem ducit, deinde convergens citra montes per Lombardiam ad regionem Italiae centralis descendit, quarum autem altera incipiens cum ditionibus sub corona hungarica sitis per vastissimam Germaniam ad insulas britannicas protrahitur. Ratio divisionis iuxta situm geographicum descriptae vel ipsis nominibus provinciarum commendatur, cum ex regionibus provinciae nuncupentur. Etiam ipsa provincia Romana in saeculo XIII plerumque sub nomine regionali Tusciae vocabatur. Haec pro primitivis provinciis valent, at provinciae, quarum erectio anno 1228 denuntiatur, non semper determinata serie afferuntur sicut et nonnisi 1241 aliis provinciis adaequantur[11]. Modo enim Polonia et Dacia praecedunt, modo sequuntur, atque iterum Graecia et Terra sancta ad invicem eodem modo non constanter se habent[12].

Deinde anno 1287 principium pro ordine novarum provinciarum id enuntiatur ,quod locum post provincias exsistentes possideant[13]. Ab hac regula vero exceptiones notantur. Primum enim Neapolitani fratres a Romanis separati, auctoritate apostolica sibi locum immediate post ipsam Romanam assignari fecerunt. Postea provincia Trinacriae iam tribus capitulis generalibus constituta, approbata et confirmata anno 1378 fuit, at locum nonnisi post Dalmatiam obtinuit[14].

E provinciis primitivis filiationes[15] novarum provinciarum sic prodibant inter annos

1221-1228	1294-1303	1378-1484
	(Hispaniae)	
Hispaniae	Aragoniae 1301	
		Portugalliae 1426
Provinciae	(Provinciae) 1303	
	Tolosana	
Franciae		
Lombardiae	Lombardiae superioris 1303	
	Lombardiae inferioris	
Romana	(Romana)	
	Regni 1294	(Regni)
		Trinacriae 1378
Hungariae		(Hungariae)
		Dalmatiae 1380
Teutoniae	Saxoniae 1303	
	(Teutoniae)	
		(Angliae)
Angliae		Scotiae 1481
		Hiberniae 1484
Poloniae	(Poloniae)	
	Bohemiae 1301	
Daciae		
Graeciae		
Terrae sanctae		

Ordo provinciarum in sedendo apud comitia generalia saeculo XIV ineunte[16] sequens servabatur

Chorus dexter —	*Chorus sinister*
Hispaniae	Tolosana
Franciae	Lombardiae inferioris
Romana	Hungariae
Regni	Angliae
Teutoniae	Daciae
Poloniae	Terrae sanctae
Graeciae	Bohemiae
Aragoniae	Saxoniae
Provinciae	
Lombardiae superioris	

Ab anno 1326 provinciis Hierosolymitanae et Graeciae loci post provincias Saxoniae et Lombardiae superioris assignantur[17].

Erectae 12 provinciae usui administrativo post medium saeculum XIII non amplius sufficiebant. Ideo 1266 ad petitionem multarum provinciarum et fratrum in capitulo generali Trevirensi placuit, ut capitula provincialia conferant, qualiter meliore et utiliore modo provinciae dividi possent « ad pacem fratrum et salutem animarum »[18]. Magister generalis insuper litteras de hac re ad provincias dedit, ad quas 1268 non iam responsum est[19]. Attamen provinciae aliquae divisionem in vicarias fecerunt. Tandem Bononiae anno 1275 strenue divisio provinciarum etiam ope specialium delegatorum facienda imponitur exceptis Graecia et Terra sancta[20], 1276 Pisis approbatur[21], sed denuo non absolvitur[22]. Res redit in capitulo generali Montispessulani 1283[23], cum « usque modo a multis provinciis non potuerit modus congruus inveniri ». 1286 divisio exsequenda inchoando constituitur[24], 1287 obligatione divisionis ad provincias Hispaniae, Provinciae, Lombardiae, Romanam, Poloniae restricta, et aliis provinciis facultate concessa, exceptis Graeciae et Terrae sanctae[25]. 1289 Treviris et ditio Teutoniae dividenda proponitur[26]. Silentibus comitiis ordinis sequentibus de causa divisionis fratres regnum Siciliae inhabitantes rem a Sancta Sede decerni petierunt. Et vi bullae Caelestini V, qui in manibus regis Caroli II Andegavensis tenebatur, datae Aquilae die 1 septembris 1294, ad petitionem «sanio-

ris » partis provinciae Romanae Siculi in specialem provinciam Regni Siciliae congregati sunt, probata re die 1 martii et 5 augusti 1295 per Bonifatium VIII, qui novae provinciae locum sextum inter provincias assignavit[27]. Quae statuta apostolica in capitulo Argentinensi 1296 denuntiantur[28]. Numerus provinciarum ita ad 13 auctus exstitit. Nunc quoque pro aliis provinciis dividendis nova industria apparet. Capitulis annorum 1298, 1300, 1301 provinciae Hispaniae et Poloniae in duas dividebantur, orientibus ditionibus Aragoniae et Bohemiae[29]. Atque iterum capitulis 1301, 1302, 1303 divisio Provinciae in Tolosanam et Provinciae, Lombardiae in Lombardiam inferiorem et superiorem, Teutonia in Teutoniam et Saxoniam rata habita est[30], constitutis provinciis universis octodecim. Ad has actiones multiplicandorum districtuum ordinis anno 1305 quidem reductio provinciarum tentata est, sed absque successu.

Anno 1376 (supposita iam inchoatione huius rei anno 1374) approbatur formatio insulae Sicilae et nationis Hiberniae in provincias particulares et 1378 confirmatur[31]. Tamen Hibernia nondum velut provincia specialis apparet, et Sicilia sive Trinacria in tempore sequente locum nonnisi post Dalmatiam obtinuit[32], quae 1378 ex conventibus Hungariae et Lombardiae inferioris conflata, petita est Carcassonae[33] sed de facto 1380 per Urbanum VI constituta est cum dispensatione super approbatione et confirmatione per capitula generalia[34].

In saeculo XV provinciae Portugalliae, Scotiae, Hiberniae seriei provinciarum adducebantur.

Paucis verbis de subdivisionibus provinciarum in vicariatus vel nationes provinciarum magnarum referre libet. Erant ditiones intra provincias aliquas, per vicarium provincialis gubernatae. Ortum non eodem tempore apud provincias varias ducebant sicut nec in omnibus provinciis aderant. Habuit:

Hispania 1303 nationes Castellae, Legionis, Gallaeciae, Portugalliae[35].

Provincia (1275) vicariatum Massiliensem, Avinionensem, Montispessulani, Tolosanum, Lemovicanum, Burdigalensem[36].

Romana (ante 1294) nationes Tusciae et Regni utriusque Siciliae, post 1294 nationes Tusciae et Romanam[37].

Regni probabiliter nationes Terrae laboris (Neapolitanam), Terrae Aprutii, Apuliae, et certe Siciliae[38].

Hungaria nationes Pannoniae, Transsilvaniae, Sclavoniae, citra Danubium, Dalmatiae[39].

Teutonia (1303) nationes Alsatiae, Sueviae, Bavariae, Brabantiae[40].

Anglia (1303) nationes Angliae, Walliae, Hiberniae, Scotiae[41].

Dacia (1303) nationes Daniae, Sueciae, Norveciae.

Graecia conventus quosdam Gallorum et alios Lombardorum.

Aragonia nationes Catalauniae, Aragoniae, Navarrae[42].

Saxonia nationes Saxoniae, Thuringiae, Misniae, Guestfaliae, Slaviae, Marchiae Brandenburgensis, Hollandiae, Frisiae, Livlandiae[43].

Tempore observantiae nova formatio administrationis invaluit, cum quidam conventus congregationem specialem inierint vel sub immediata iurisdictione magistri ordinis[44] positi sint.

§ 38. Provinciae in paeninsula iberica.

Anno 1217 fratres Dominicus Hispanus, Michael de Ucero, Petrus Matritensis, Suerius Gomez a S. Dominico in *Hispaniam*[1] directi sunt, ubi autem visitante ipso S. Dominico paeninsulam ibericam nullus conventus fundatus exstitit. Postquam S. Dominicus se archiepiscopo Toletano Roderico, qui antea episcopus Oxomensis erat, praesentavit, Matriti donationem monasterii sororum aedificandi recepit, cuius initia ad annum 1218 redeunt. Eodem tempore vel saltem anno 1219 fundatio conventus fratrum Segobiensis tribuenda est, assignatis 1220 et 1221 pro fundationibus Palentina, Barcinonensi, Scalabitana, Zamorensi. Ex sequentibus citare iuvet conventus Caesaraugustanum, Compostellanum, 1222 Toletanum, 1224 Burgensem, Salmanticensem circa annum 1228, 1230 Illerdensem, Cordubensem 1233, 1239 Valentinum, 1242 Pampilonensem, Tarraconensem et Hispalensem c. 1248, 1253 Astiganum (Ecija), 1260 Derthunensem, 1261 Legionensem, 1265 Murciensem, 1266 Astensem (Jerez de la Frontera), 1272 Vallisoletanum, 1278 Victoriensem, 1300 Corumniensem, 1318 Lucensem, 1320 Rupis fidelis (Penafiel), 1382 Giennensem (Jaen), 1390 Methymnensis Campi, 1399 Civitatis Regiae, 1476 Cisnerensem, 1477 Placentinum, 1479 Asturicensem, 1482 Abulensem, 1493 Granatensem, 1491 Malacitanum (Malaga), 1506 Guadalaxarensem (Guadajara), 1509 Oranensem in Africa.

Post separationem Aragoniae ab Hispania, alia divisio provinciae Hispaniae in tres circumscriptiones saeculo XV proposita et efflagitata est, sed licet apostolica concessio et constitutio de hac re ema-

naverit nonnisi divisio in duas partes i. e. separatio alicuius specialis provinciae Portugalliae a provincia Hispaniae 1418 evenit, provincia S. Iacobi, quae Legionem, Gallaeciam et Asturias de Oveto contineret, non erecta. Dignissimae et amplae Hispaniae provinciae regimen in initio habuerunt Lusitani duo, qui virtutibus et gubernatione excelluerunt et aulis regiis accepti ordinem magnopere promoverunt, nempe Suerius Gomez 1221/33 et Aegidius 1234/45, 1247/48, dein inter alios Munio Zamorensis 1278/85. Anno 1301 dum provincia Hispaniae dividebatur provincialis Dominicus de Alquesar filius conventus Caesaraugustani suum officium finivit. Primus provincialis limitatae Hispaniae 1301/04 Aegidius de Roynollo factus est, qui et antea 1294/95 provinciae suae praefuit. Tribus vicibus (1285/91, 1295/97, 1304/05) Aegidius de Arevalo provincialis exstitit. 1348/53 Nicolaus Vallisoletanus, postea magister generalis in ditione Avenionensi, et 1422/27 Ludovicus Vallisoletanus provinciam Hispaniae moderabantur, vergente saeculo XV Vincentio Cordubensi et Ludovico de Foro filiis conventus Salmanticensis gubernacula provinciae tenentibus.

Quoad studia provincia Hispaniae ab exordiis tendentiam strenuam in doctrinas practicas posuit, quae fidei tuendae et erroribus Maurorum expugnandis inservirent. S. Raymundus de Pennafort claro intuitu magnum influxum super fratres suos in Hispania exercuit, eos ad actionem ampliorem praedicationis et sacrae doctrinae pro Iudaeis et Mauris incitans.

In universitatibus Salmantina et Vallisoletana saeculo XV eximie florescere incipientibus nostri fratres vigorose collaborarunt, optimos in re thomistica professores praesentantes. Ex iis Ludovicus de Valle Oleti 1418 decanus facultatis theologicae Vallis Oleti a Summo Pontifice renuntiatus fuit, dum Didacus de Deza vergente saeculo apud academiam Salmantinam doctrina effulsit.

Doctrina solida imbuti plures fratres ad moderandas conscientias regum per Aragoniam, Castellam, Portugalliam vel ad pulpitos palatiorum regiorum vocati sunt, alii pacis foedera statuerunt. Ad grave inquisitionis negotium probatissimi viri ex nostris fuerunt destinati, inter quos Ioannes de Torquemada velut inquistor generalis eminebat.

Sanctitatis laudem plurimi et publicam famam haud pauci ex hispanicae provinciae filiis obtinuerunt.

Generaliter notandum, Hispanos durante medio aevo se nimis intra fines suos continuisse.

Provincia *Aragoniae*[2] a provincia Hispaniae separanda 1301 decreta est, hac ratione, quod Aragoniae, Catalauniae et Navarrae partes sint specialis provincia distincta ab Hispania sub nomine speciali Aragoniae « et teneat locum in dextro choro post provinciam Graeciae ». Ad insulas et Baleares et Sardiniae haec provincia dominii causa se pariter extendit.

Principales eius fundationes ante et post constitutionem propriae provinciae Aragoniae sunt Barcinonensis et Caesaraugustana circa annum 1221, Palmensis in insula Maioricensi et Ilerdensis 1230, Valentina 1239, Tarraconensis 1248, Gerundensis circa annum 1253, Oscensis (Huesca) circa annum 1254, Calataiudensis S. Petri Martyris circa annum 1255, Derthunensis prior 1260, Urgellensis 1273, Calaritana 1284, Xativensis (S. Felipe de Jàtiva) 1291), Cervariensis et Manresensis 1318, Derthunensis (collegium SS. Georgii et Vincentii) 1362, Alcanisensis 1397, Luchentensis 1422, Oriolensis 1468, Trempensis 1490. Conventus Perpinianus (1242) et Coquilibratanus (1290) in initio huic provinciae addicti, postea autem provinciae Tolosanae adiudicati sunt. Conventus Barcinonensis et Valentinus maximi in partibus Catalauniae atque Valentiae erant, ille quidem S. Raymundi conversatione, doctrina, actione, virtutibus et miraculis illustratus, alius vero postea praecipue per S. Vincentium Ferrer conspicuus exstitit. Schisma Avenionense hanc provinciam Aragoniae dire lacerabat, ipso S. Vincentio Ferer magnopere partes Avenionenses promovente.

Studia egregie florebant in conventibus Barcinonensi, Valentino, Caesaraugustano, Luchentensi, Maioricensi, Calataiudensi aliisque.

In capitulo generali 1506 conventibus Perpiniano, Barcinonensi, Oscensi provinciae Aragoniae solemniter moderatores studiorum assignantur. Influxu apud curiam Romanam filii huius provinciae Hispanis praestiterunt, dum cum illis impigre doctrina, scriptis, apostolico labore pro christianis et Saracenis se impendebant.

Primus vicarius et mox provincialis huius ditionis erat B. Pelegrini.

Deductio ordinis in terram *Lusitanam*[3] inter annos 1220 et 1222 locum habuit. Anno 1221 die 28 maii Honorius III fratrem Dominicum, cui probabiliter de Cubo cognomen erat, ad partem Lusitanam commendavit, qui et primus prior conventus Scalabitani (Santarem) dicitur. Quid Suerius Gomez, Lusitanae gentis filius et unus e primis S. Dominici sociis, primusque provincialis provinciae Hispaniae pro patria sua fecerit, in particulari non constat.

Fundationes habentur praecipuae Scalabitana 1221, Conimbricensis S. Dominici 1227, Portuensis 1238, Ulyssiponensis, qui exsistens « principalis totius provinciae conventus sub titulo S. Dominici, a Lusitaniae regibus Sanctio II et Alphonso III anno 1241 fundatus, sacerdotes numero 60, fratres clericos 25, fratres conversos 20 regulariter alebat », Elbensis (Elvas) 1267, Eborensis 1286, Beneficensis « in patriarchatu Ulyssiponensi, pro strictiore observantia a venerabili p. mag. Vincentio Lisbonensi, inquisitore generali Hispaniarum, in praedio regis Lusitaniae Ioannis I anno 1399 fundatus », 1415 Civitatis regalis in Africa, Aseitonensis 1435, Abrantinus 1472, Petragoiensis 1476, Almeierensis.

« Lusitanorum fratrum conventus ab anno 1388 sub proprio Vicario positi, provinciae Hispaniae haud ignobile membrum constituere ad annum 1418, quum apostolica auctoritate... in specialem provinciam Portugalliae nuncupatam, coadunati fuerint ».

§ 39. Provinciae gallicae.

Provincia *Provinciae*[1] ea fuit, in cuius regionibus S. Dominicus et occasionem et formationem sui operis vel habuit vel perfecit. Cum Tolosae, ubi Petrus Seila ordinem nascentem in domum suam anno 1215 recepit et ubi primus conventus fratrum Praedicatorum stetit, et in vicinis terris anno 1217 fructuosa commoratio amplius non esset, S. Dominicus fratres suos ad orbem dispersit, Petro Seila Tolosae cum sociis duobus relictis. At angustiis pressus Petrus Seila 1218 Parisios contendit. A S. Dominico Lemovicum missus, ibi conventum erexit et direxit. Forsitan 1221 domus Tolosana denuo recepta est. Anno 1231 favente episcopo Fulcone facultas theologica Tolosae instituta a fratribus Praedicatoribus regebatur.

Lugduni 1220 a fratribus Tolosanis duce Arnaldo conventus fundatus est, qui postea autem ad provinciam Franciae in permutatione cum conventu Lemovicensi transiit, Montispessulani non solum propter initium missionis praedicatoriae, quod S. Dominicus hac in civitate fecerat, sed etiam propter universitatem ibi florentem fundatio fratribus accepta esse debuit. Hic anno 1248 studium generale positum est. Sequuntur conventus Baionensis, Aniciensis (Le Puy en Velay), Narbonensis, Burdegalensis, Arelatensis, Massiliensis (1225) Avenionensis, Valentinus, Niciensis, Perpinianus, Petragoricensis, Carcassonensis, Agennensis, Sancti Maximini, ubi «locus fuit datus or-

dini simulque conventus positus per D. Bonifacium papam VIII petente et procurante, imo totum faciente D. Karolo II rege Siciliae anno 1295 ». « Provincia Provinciae a meridie Pyrenaeis montibus et mari Mediterraneo; ab occidente littore Oceano de Pyrenaeis ad fluminis Garumnae (Garonne) ostia; a septentrione regionibus infra Carantonum (Charente) et Vigennam (Vienne) flumina sitis; ab oriente superius flumine Rhodano (Rhône) continebatur, dein inferius usque ad Alpes maritimas extensa, comprehendebat Provinciam (la Provence), a qua Provincia Provinciae nominata est ». Hanc extensionem per divisionem provinciarum anno 1303 perdidit, sicut et ei secundus locus in ordine provinciarum ablatus est, cum nova provincia Tolosana dicta — antiquiores conventus possidens — priorem locum obtinuerit. Conventus «Montispessulanus, Narbonensis, Bitterrensis, Amiliavensis, Podiensis, Albenaciensis, Marologius, Alestensis, Nemausensis aliique ultra Rhodanum nuncupationem provinciae Provinciae retinuere. Sed et usque ultra Alpes haec provincia se extendebat ita ut e. g. conventus Pinerolensis anno 1450 erectus primitus iuris provinciae Provinciae fuerit.

Provincialis primus hanc provinciam rexit B. Bertrandus de Garriga prope Alestum oriundus, S. Dominico saepe viae comes. Quartus provincialis Raymundus de Felgar mox ad praesulatum Tolosanum (1232/70) ascendit. Quintus autem erat « Romeus Catalanus natione, sed caelestis conversatione, oriundus de Levya » erga Virginem devotissimus, qui et prior Lugdunensis exstiterat.

Ad Gerardum de Frachet anno 1259 venerabilis Pontius de S. Aegidio, Bernardus de Trilia, Bernardus de Jusix in provinciae moderamine successerunt. Ex posterioris temporis provincialibus Provinciae Téxier, Rochin, Auribelli notentur.

Circa primam centuriam huius provinciae acta capitulorum provincialium bene edocent. De studiis sub Pontio de S. Aegidio ordinatio edita est a magistro generali Humberto probata. E maioris momenti Thomistis Bernardus de Trilia (Latreille) lector in hac provincia et postea provincialis († c. 1292) citetur. E tribus centris inquisitionis in Gallia duo, nempe et Tolosanum et Cacassonense, in finibus huius provinciae iacebant. Quod praedicatio valide viguit apud fratres Provinciae ex conspicuo numero praedicatorum generalium saltem pro saeculo XIII erui potest.

Provinciae *Tolosanae*[2] initia sub illis provinciae Provinciae continentur, quippe cum Tolosana per divisionem anno 1303 definitive ab

illa orta sit: « dividimus eam (Provinciam) in duas, ita quod conventus Tolosanus, Carcassonensis, Appamiensis, Castrensis cum ceteris conventibus versus Lemovicam, Burdegalam et Baionam, cum monasteriis sororum interclusis, sint una provincia et vocetur provincia Tolosana, et teneat primum locum in choro sinistro », dum alia pars Provinciae exinde sola Provinciam formet.

Post conventum Tolosanum imprimis fundationes Baionae (1221) et Burdigalae (1222) factae notentur. Conventus Caturcensis 1225, Carcassonensis 1247, Rutenensis 1271, Morlacensis 1284, ad ordinem venerunt.

Primus provincialis Tolosanus Guillelmus Petri de Godino Baionensis, baccalaureus theologiae, in capitulo provinciali Montis Albani 1303 electus est.

« Hic... fuit novissimus prior in provincia Provinciae non divisa et primus in provincia Thollosana. Praefuit hac vice in provincia Tholosana a festo S. Michaelis usque ad sequens festum Trinitatis... et missus fuit inde Parisius paulo post capitulum generale pro magisterio theologiae praesentatus». Eum secuti sunt Bertrandus de Claromonte, Berengarius de Landora, Guillelmus de Anhanis et iterum Berengarius. Qui et 1312 ad magisterium generale ordinis elevatus est, secutus in tali munere postea ab aliis fratribus Tolosanae provinciae ut Ioanne de Moulins, Elia Raymond et pro parte Avenionensis ditionis pontificiae Ioanne de Puinoix. Sicut studia in Tolosana provincia per magistrum Petri characterem serium atque egregie thomisticum demonstrant, ita similem characterem alii magistri, praesertim doctores academiae Tolosanae prae se tulerunt. Inter doctissimos filios provinciae Ioannes Capreolus e conventu Rutenensi floruit.

Tempore Avenionensis residentiae Paparum multi Tolosani fratres ad munera et honores curiae pontificiae ascenderunt. In servitiis Sanctae Sedis missiones politicae ecclesiasticae et Berengarius de Landora et Bernardus Gui varie expleverunt.

Provincia *Franciae*[3] momentum et centrum ipsam residentiam regis Franciae et civitatem universitariam Parisiensem habuit. Eo S. Dominicus fratres 7 misit, qui duplici agmine Parisios venerunt.

Primi quidem Mannes, frater germanus fundatoris, Michael de Fabra et conversus Odericus de Normandia die 12 septembris 1217 capitalem Urbem Franciae intrarunt.

Alii autem duce Matthaeo de Francia B. Bertrandus de Garriga, Ioannes de Navarra, Laurentius Anglus peractis tribus hebdomadibus post primos adventarunt. Fratribus Parisios destinatis Dominicus, ut studerent, praedicarent et conventum facerent, imposuit. Mannes in domo iuxta hospitium B. Mariae Virginis et prope palatium episcopi sita primum commorationem invenit, in qua fratres fere menses undecim transegerunt, difficultatibus pressi. Matthaeus in obtinenda propria domo cum ecclesia successum non habens Dominici opem efflagitavit, qui a curia papali auxilium petivit. Ordinavitque Honorius III universitati Parisiensi, ut fratribus Praedicatoribus hospitium quoddam cederent, quod 1218 in hospitio S. Iacobi evenit. Die 6 augusti 1218 haec nova commoratio recepta est. At nunc circa praedicationem et ministerium sacrum quaestio cum capitularibus ecclesiae S. Benedicti exarsit, in cuius paroecia hospitium S. Iacobi inveniebatur. Ipse Dominicus ex Hispania veniens Parisiensem rem inspexit, fovit eamque apud curiam Romanam iterum promovit. Commissioni speciali id assignatum est, ut compositio inter Praedicatores et capitulares Dominae Nostrae suam filialem S. Benedicti defendentes facilior redderetur. Ferventissimus et eloquens Reginaldus, fratribus Bononiae iuvamen et spes, mense ianuarii 1220 Parisios missus est, probabiliter ut causae absolutionem ex parte nostra moderaretur. At morte praeventus negotia ipse ducere longius nequivit. Ante capitulum generale 1221 locatio hospitii S. Iacobi in possessionem fratrum benignitate universitatis et magistri Ioannis de Barastre mutata est. Ex domo simplici studentium conventus annis 1221 et 1222 amplioribus aedibus donatus, centralis schola ad formandos futuros professores scientiarum ecclesiasticarum pro ordine factus est. Inter optimos candidatos ordinis Reginaldus brevi tempore suae commorationis Parisiensis die 11 februarii 1220 Iordanum de Saxonia, Henricum et Leonem Teutonicum ordini acquisivit. Aliique ut Everardus archidiaconus Lingoniensis, Petrus Remensis, numerosi studentes mox Parisiis nomen religioni dederunt. Anno 1223 conventus super 120 fratres alebat, quorum multi etiam ex aliis provinciis advenerant. Capitulorum generalium celebratio post obitum S. Dominici per B. Iordanum inter conventus Bononiensem et Parisiensem divisa, successus doctrinales, vitae regularis auctoritas famam domus Prisiensis magnificarunt. Quae Iordanus ibi fecit participabantur a coetu fratrum fidelissimorum. Per suos sermones anno 1226 non solum studentes et gradibus academicis ornatos ad habitum as-

sumendum attraxit, verum etiam episcopum Parisiensem auditorem habuit, qui et « cum fratribus in refectorio comedit. Similiter dominus legatus Franciae in Annuntiatione Beatae Virginis cum fratribus in refectorio comedit. Et ipsa regina [Blanca de Castella] tenerrime diligit fratres, quae [fatente ipso Beato] mecum de negotiis suis ore proprio satis familiariter loquebatur ».

Praeter hanc notabilissimam fundationem aliae Remis, Metis, Lugduni (in patria Valdensium), Pictaviensis, Aurelianensis vivente S. Dominico factae dicuntur. Metis episcopus Conradus de Scharfeneck, cancellarius Friderici II, fratres laetus adiuvit, eorum ministerium in cura animarum et institutione cleri salutans. Primus prior Metensis Guerricus Metensis exstitit. Afferantur quoque alia nomina conventuum Virdunensis, Bisuntini, Insulensis Rotomagensis. Nannetensis, Belvacensis, Rupellensis, Cenomanensis, Leodiensis, Lingoniensis, Lausannensis, Divionensis, Bituricensis, Altissiodorensis Ambianensis, Gebennensis. 1277 habuit provincia Franciae conventus fratrum 52, 1303 58, 1345 66.

Si autem extensio tantae ditionis in ordine observatur, apparet quod «provinciae Franciae... regiones ultra Carantonum Vigennamque flumina, Rhodani (Rhône) et Araris (Saône) convalles, integrum Delphinatum (le Dauphiné) montosasque partes usque ad Gebennam (Genève) et Lausannam (Lausanne) totamque Burgundiam (la Bourgogne) et Lotharingiam (La Lorraine) includebat ac Metim (Metz) attingens versus septentrionem ad Flandras et Belgium usque Gandavum (Gand) et Ypras (Ypres) se extendebat ». Conventus Gandensis et Brugensis iuxta capitulum generale 1259 ex Teutonia ad Franciam translati sunt.

Etsi provincia Franciae satis vasta erat, regimen vicariorum sub provinciali constitutorum cognovisse non videtur. Provinciales priores famosi per Franciam innotescebant Petrus Remensis, Hugo de S. Caro, Humbertus de Romanis, Petrus de Tarantasia, Stephanus Bisuntinus, Herveus Nédélec, Hugo de Vaucemain, Petrus de Palma, Garinus de Gy-L'évêque, Simon Lingoniensis, Guido Flamochetti. Ex quibus alii ut Hugo de S. Caro et Petrus de Tarantasia ad cardinalatum, alii ut Garinus et Simon ad praesulatum, plurimi ad magisterium ordinis et ad sedes patriarcharum, archiepiscoporum, episcoporum ascenderunt.

Cum studentes tum provinciae Franciae tum aliarum partium ordinis ad scholas S. Iacobi mitterentur, fama patrum huius provinciae facilius per ordinem spargebatur. Recolantur dein alia studia ut Metense 1221, Remense 1222, Leodiense 1229, Divionense 1237. Litterarii quoque labores per fratres Franciae vel alios Parisiis perfecti releventur, nempe concordantiae biblicae, exaratio libri normalis liturgiae ordinis, confectio commentariorum maximorum magistrorum super sacram scripturam vel philosophos, encyclopaedica specula Vincentii Bellovacensis, expositiones morales (Flos summarum, Livre des vices et vertus), collectiones praedicabilium, explanationes paedagogicae, quae ultimae partim ex connexu fratrum cum familia regia intelliguntur. Actio pro re civili, sociali, politica fratribus Franciae in partibus assumptis contra Bonifatium VIII, in legationibus multiplicibus pro regno Franciae (ut Simonis Lingoniensis), in assistentia S. Ioannae de Arc tributa pulcherrime innotescit sicut etiam elucet ex cessione Delphinatus ad coronam Franciae per Humbertum II facta, antequam ipse ordinem Praedicatorum petiit. Propositio verbi divini indefesse ab hac provincia in patriae pagis et civitatibus aeque ac in missionibus exteris perfecta est.

§ 40. **Provinciae italicae.**

Sub nomine *Lombardiae*[1] illa ordinis provincia 1221 constituta est, quae conventus in regionibus Padanis, Venetiarum, Liguriae, Aemiliae comprehendit. Eius principium, centrum et gloria summa conventus Bononiensis exstitit, quem S. Dominicus 1218 mense februario fundare suscepit.

Primi fratres apud ecclesiam S. Mariae de Mascarella hospitium invenerunt, donec sub Reginaldo Aurelianensi, qui 21 decembris 1218 Bononiam missus est, res meliorarentur. Ecclesiam S. Nicolai Vinearum in via S. Proculi obtinuerunt insimul cum iure curam animarum publice agendi. A patrono Petro Lovello ex stirpe Andalò Reginaldus adiacentem ecclesiae terram emit, ubi domus conventualis formaretur. E pulpito Reginaldus triumphos gratiae et conversionum nactus est, quibus illustriora membra magistri Rolandus, Moneta, Conradus Teutonicus, Paulus Hungarus, Clarus Bononiae ordini adducti sunt. Post capitula generalia annorum 1220 et 1221 die 6 augusti 1221 morientem patriarcham fratrum Praedicatorum Bononiensis conventus vidit. Bergomi iam 1219 vel 1220, Mediolani subito

postea, Veronae pariter, et anno 1221 Placentiae, Brixiae novi conventus recepti sunt. Lombardia opportunitatem summam tum actionis Praedicatorum explendae tum augendi ordinis dabat. Etenim fuit illa regio inter florentissimas et in re culturali maxime promotis et tamen in necessitate profunda religiosa, ob quam verbum divinum et litem contra adversarios Ecclesiae valde postulavit. Ubertas domorum pondus administrationis non parum aggravavit, ita ut prius vicarii super partes tantae provinciae constituti sint et postea divisio provinciae Lombardiae in duas circumscriptiones nempe Lombardiam inferiorem et Lombardiam superiorem evenerit, primitiva Lombardia quodammodo in Lombardia inferiore continuante. De ea in statuto separationis dicitur: «Conventus Marchiae Anconitanae et Romaniolae cum Bononia, Mutina, Regio, Parma et Ferraria et omnes conventus de patriarchatu Aquileiensi et Gradensi excepto conventu Cumano sint una provincia... Lombardia inferior et teneat secundum locum in choro sinistro iuxta provinciam Tolosanam ».

Lombardia haec inferior, licet reducta, anno 1303 conventus 33 numerabat, quibus alii continuo addebantur.

Primus provincialis ab ipso S. Dominico pro regenda tam ampla tamque conspicua provincia Iordanus de Saxonia delectus est sicut ipse testatur: « Anno domini MCCXXI in Bononiensi capitulo generali visum est ei mihi officium prioratus super provinciam Lombardiae primum imponere cum anni spatium peregissem in ordine nondum fixis quantum oportuit radicibus, ut regendis aliis ante praeficerer quam meam imperfectionem regere didicissem ». Iordanus adhuc Parisiis stetit et ex electione tanti partis ad tantum munus optime commendabatur. Eo post annum ad magisterium totius ordinis designato Ventura provincialem Lombardiae egit, deinde Stephanus Hispanus, 1238/41 Ioannes Teutonicus, provincialis Hungariae et episcopus Bosnensis, Philippus de Carixiis, Ioannes Vercellensis, Iacobus de Voragine, Nicolaus Bocasini ceterique.

Sicut in regimine provinciae, ita in vita regulari et religiosa fratres Lombardi semper egregie fulgebant. Lombardi fratres quam maxime reformationem regularis observantiae in suis terris valide et potenter receperunt et auxerunt. Si operibus misericordiae Pinamontius Bergomensis praestitit, in campo scientiarum ecclesiasticarum Rolandus et Moneta Cremonenses excelluerunt. Neque laude Guidotus Mediolanensis canonista et expositor veritatis catholicae, Bonacursius Bononiensis rei graecae peritissimus, Stefanardus theolo-

gus, Albertus Clavarensis, Ioannes Balbus Ianuensis carent. Inter chronistas collocandi sunt Iacobus de Voragine, Galvanus Flamma, Hieronymus Borselli. Inquisitores et praedicatores indefessi Lombardi erant.

Tertium nomen haec provincia anno 1405 sortita est, ut constat ex suppositis inchoatione, approbatione confirmatione in capitulo generali 1410 Bononiae celebrato enuntiatis, « quod provincia Lombardiae inferioris dicatur de cetero provincia sancti Dominici; et provincia Lombardiae superioris dicatur et vocetur provincia Lombardiae absolute; et debet in constitutionibus, ubicumque fuerint praedicta nomina, ut praemittitur, commutari ». In capitulo generali anni 1426 inter participantium fratrum nomina tum provincialis tum definitor « provinciae S. Dominici » adsunt.

Inter novas provincias ex divisione aliarum iam exsistentium provinciarum anno 1303 creatarum illa *Lombardiae superioris*[2] fuit. Divisa Lombardia primitiva statutum est quod « conventus de archiepiscopatu Mediolanensi et Ianuensi cum conventibus Papiensi. Placentino, et Cumano [Novocomensi] sint alia provincia et Lombardia superior nominetur et teneat locum in choro dextro post provinciam Provinciae ». Hic iam notare iuvat, quod 1410 definitive acceptum est, deinceps provinciam Lombardiae inferioris provinciam S. Dominici nominari et provinciam Lombardiae superioris absolute et simpliciter Lombardiam vocari. Quod in capitulo generali 1426 et sequentibus apparet, dum ab anno 1484 iterum appositio Lombardiae *superioris* ostenditur. Tandem provincia, quae 1501 tamquam Lombardiae superioris repraesentantes ad comitia generalia misit, ab anno 1505 in actis eiusmodi coetuum velut provincia S. Petri Martyris affertur, excepto anno 1508, ubi ad denominationem Lombardiae superioris reditus fit.

Conventus huic provinciae addicti fuerunt Bergomensis omnium primus, Mediolanensis, ubi ecclesia et locus S. Eustorgii fratribus Praedicatoribus 1220 patuit, Brixiensis, Placentinus, Astensis, Ianuensis, Cremonensis, Novocomensis, Vercellensis, Alexandrinus, Taurinensis, Queriensis, Novariensis, aliique. Principalis conventus habebatur ille S. Eustorgii Mediolanensis. Alii conventus maioris notae erant Vercellensis, qui fundatus tempore B. Iordani pluribus studentibus scholarum Vercellensium auctus est, Queriensis et Taurinensis ante annum 1257, et Ianuensis.

In schismate occidentali provincia dividebatur. Iterumque ob nexus intimas cum domo Sabauda unica fuisse ex nostris provinciis videtur, quae in schismate Basileensi per Amadeum Sabaudiae causatum, partes schismaticas habuit. Tunc provinciam Philippus Bandonio et Thomas Scaravelli, professor universitatis Taurinensis, moderabantur.

Si provincia haec cum ducibus Sabaudiae habitudines multas strinxit, id sub ratione ministerii sacri fecit. Intrepide et egregie veritates et iura Ecclesiae proposuit, inculcavit, defendit, sive praedicatione coram fidelibus vel infidelibus sive inquisitione haereticorum vel adversariorum. Sub patrocinio S. Petri Martyris inquisitores varii mortem violentam obierunt. Inter praedicatores Venturinus Cerasolo Bergomensis ob zelum salutis animarum non iam fervens, sed furens nominandus occurrit. Qui et spiritum missionariorum in se sentiens Smyrnis mortuus est. Alii ad plagas orientales discedentes societati Peregrinantium propter Christum adhaeserunt, e. g. Ioannes de Galonifontibus, qui prius episcopus Naxivanensis Armeniae et postea archiepiscopus Sultaniensis exstitit (1402).

Si de praesulibus sermo est, Aicardum Antimiani archiepiscopum Mediolanensem omittere non debent, qui propter animi fortitudinem et constantiam per dominum civitatis 1318 in exsilium pulsus fuit.

Docti fratres semper in hac regione ordinis enutriebantur, qui postea cum honore cathedras universitarias tenebant. Laudem doctrinae sibi compararunt Conradus de Mondonio Astensis († 1470), magistri disputatione coram Pio II de unione sanguinis Christi 1463 instituta famosi, Vercellinus Vercellensis, Gabriel Cassafages, Iacobus Brixiensis, Silvester Mazolino Prierias, qui ab anno 1515 magister S. Palatii suo tempore votum de re Lutherana dare debuit. Res observantiae regularis in partibus provinciae Lombardiae superioris assertores magnos nacta est. Praecipui beati, quae ab hac provincia venerantur, congregationi reformatae lombardicae adscribebantur.

Ex commorationibus, quas S. Dominicus variis temporibus in centro catholicitatis urbe *Romana*[3] agebat, collecti aspirantes ad vitam ordinis Praedicatorum in principio a fundatore Bononiam missi sunt. Mox etiam fratres quidam transitorie apud S. Sixtum veterem hospitati fuerunt donec conventus S. Sabinae eis datus sit. Senis et Florentiae vivente S. Dominico fundationes surrexerant, forsitan vel

aliae, ut Pisana et Viterbiensis, quae probabiliter anno 1221 circumscriptionem specialem formaverunt. Haec provincia non solam vicinitatem Urbis continebat. « Sed olim eius confinia latius patuere; praeter enim agrum Romanum seu Latium vetus, Etruriam universam et Umbriam, quas regiones ad Orientem et Septentrionem Apennini montes circumsaepiunt, habuit quoque adiunctam reliquam meridionalis Italiae partem, Regni nomine appellatam, quae Tyrrheno mari et Adriatico alluitur, insuper Siciliam insulam complexa est. Tam amplae primitivae provinciae regiones recensentur in diplomate Gregorii IX anno 1235 dato, in quo sic legitur « Dilecto filio priori provinciali Ord. Praed. in Urbe, Regno Siciliae, Campaniae, Ducatu Spoleti et Tusciae salutem » His igitur regionibus provincia quae Romana dicta est, constituebatur: sed, praesertim primo saeculo et altero Tusciae quoque provincia nuncupabatur, quod maior pars in Tuscia iacet et etiam fratres huius provinciae Tusci interdum sunt appellati, licet in ea nati non fuerint: ideo D. Thomas in Regestis Academiae Parisiensis Tuscus dicitur. Haec provincia ob nimiam vastitatem extremo saeculo in duas dissecta est partes ». 1303 provincia Romana conventus 25 complectebatur, quorum famosiores praeter iam relatos sunt Minervitanus de Urbe, Urbevetanus, Perusinus, Aretinus, Lucanus, Anagninus, Spoletanus, Pistoriensis, Reatinus, Narniensis, Tiburtinus, Eugubinus, Fulginas, Curtoniensis, accedentibus postea aliis, ut Mevennate, Terracinensi.

Conventus S. Sabinae de Urbe prae ceteris gloriam singularem ex praesentia fundatoris ordinis et primitivorum fratrum necnon ex residentia Romana magistrorum generalium, si de ea sermo esse potest, habet. In documentis quidem eius nonnisi anno 1222 nomen fit, at certe iam antea nostris concreditus est.

Florebant ibi etiam studia sacra. In saeculo XIV iacturam conventus passus circa annum 1400 ex reformatione regulari pulchriorem vitam denuo hausit, dum ad congregationem reformatam transierit.

Romanus conventus S. Mariae supra Minervam anno 1255 ex conditionibus parvis crevit. Tunc enim paenitentibus feminis in communi regulariter ibi 1252/53 viventibus ad S. Pancratium migratis fratres Praedicatores domum illam relictam a Summo Pontifice habendam petierunt et impetrarunt. Qua demum feliciter obtenda capellam hospitio circa annum 1255 adiecerunt. Huc evangelizandi causa fratres e conventu S. Sabinae descendebant. De hac domo valet quod in capitulo provinciali Tudertino 1266 legitur: « Inhibemus districte fra-

tribus Romanis, ne locum Romae novum acceptum aliquatenus alienent ». Probabilius ob situs Minervitani incommoditatem locum hunc aliqui frtares Romani relinquere voluerunt. Insuper ecclesiam sufficientem non habebant. Praedicabant quidem etiam in ecclesia S. Mariae supra Minervam, cuius autem possessio spectabat ad moniales benedictinas in Campo Martio. Anno 1275 ipsam ecclesiam receperunt Dominicani, roborante rem Aldobrandino O.P., episcopo Urbevetano et tunc vicario Papae in Urbe. Lis, quam canonici basilicae S. Marci contra fratres Praedicatores circa dependentiam paroecialis ecclesiae Minervitanae a basilica sua movebant, contra canonicos decisa est. 1281 prior domui Minervitanae praeest, et 1289 magnifica constructio novae ecclesiae in stilo gotico per fratres Sixtum et Ristorum ducta fieri coepit. Frater Sixtus 1289 apud S. Sixtum veterem obiit. Labores quidem sensim progrediebantur, etsi vel ipse Papa Bonifatius VIII summam notabilem elargitus sit. Defectu pecuniae aedificatio circa annum 1300 sistere debuit et nonnisi versus annum 1450 finita est. Post reditum Summorum Pontificum in Urbem sicut vita religiosa Urbis effloruit, ita et conventus Minervitanus epocham magnitudinis inchoari vidit. Etenim Raymundus de Capua eum velut sedem ordinariam magistri generalis delegit. Talis usus mansit usque ad annum 1873. Cardinalis Ioannes Turrecramata, summus benefactor aedium Minervitanarum, non solum ecclesiam finiri iuvit, verum etiam arti typographicae primum locum in Urbe praebuit, dum Udalricum Hahn Ingolstadianum et postea typographos e monasterio Sublacensi descendentes fovebat. Ita conventus et ecclesia Minervitana semper magis clarebant. Qualem autem auctoritatem coram curia Romana Minervitana ecclesia nacta sit, e celebratione duorum conclavium ibi 1431 et 1447 habitorum ostenditur.

Conventus Florentinus sub Ioanne Salernitano receptus est. Fratres prius in hospitio Ripulitano, postea in illo S. Pancratii habitabant. Mense novembri 1221 ecclesiam S. Mariae Novellae obtinuerunt, prope quam aedes regulares per actionem S. Petri de Verona et administrationem prioris Aldobrandini Cavalcante ex anno 1244 et viros clarissimos celebres evaserunt. Aldobrandinus ecclesiam novam pulcherrimam ope architectorum fratrum Sixti et Ristori exstruendam curavit. Circa 1366 aula capitularis, quae postmodum capella ab Hispanis nuncupata est, ab Andrea Bonaiuto notissimis picturis ad gloriam SS .Dominici, Petri Martyris, Thomae de Aquino ornata fuit. Eugenio IV Florentiae commoranti conventus S. Mariae Novellae mansionem praebuit.

Fratrum provinciae Romanae merita haud paucis enarrari possunt. In serie gubernantium Clarum, Nicolaum de Iuvenatio, Humbertum, Thomam Agni, Aldobrandinum Cavalcante, Nicolaum Albertini, Hugonem Borgognoni, Remigium de Claro, Matthaeum Orsini, Dominicum Peccioli, Iacobum Altoviti, Bartholomaeum Dominici, Michaelem della Casa, Fridericum Frezzi, Leonardum Dati, Leonardum de Mansuetis, Ludovicum Gentili famosos nominant. Et de scientiae et litteris quid meruerunt, Aquinas iam solus enuntiat. Cui ceteri professores ex hac provincia prodeuntes digne adduntur. Studia maiora in ditione Romana plura ex saeculo XIII cognoscuntur, praesertim illa conventuum S. Sabinae, Pisani, Urbevetani, Neapolitani, Florentini, et postea maxime Minervitani. Praedicatores animarumque moderatores multos Romana ditio enutrivit.

Propter propinquitatem huius provinciae ad curiam Romanam nexus speciales eam cum illa uniebant. Plures fratres etiam ad sedes episcopales, archiepiscopales vel ad dignitatem cardinalitiam ascenderunt.

Provincia *Regni*[4] Siciliae extremo saeculo XIII a ditione Romana independentem se constituit. Amplitudo provinciae Romanae ab Etruria ad insulam Siciliae se extendentis administrationem per unum priorem provincialem difficilem reddidit. Qui etsi vicarium saltem post annum 1250 super partes regni Neapolitani nominaverit, tamen et magnitudo gubernii regularis et vota regiae domus Andegavensis in terris Neapolitanis ab anno 1263 dominantis separationem conventuum Regni ab illis provinciae Romanae petierunt. Anno 1266 divisio provinciarum in ordine iam agitata fuit. Et Caelestinus V instante rege Carolo II dividendam provinciam Romanam esse die 1 septembris 1294 edixit.

Circa annum 1309 provincia Regni conventus in insula Siciliae 8 (e. g. Messanensem, Panormitanum, Trapanensem), in terra Laboris 9 (ut S. Dominici, et S. Petri M. Neapolitanos, Caietanum, Beneventanum, Salernitanum, Capuanum, Adversanum, Suessanum), in terra Aprutii 5 (Aquilanum, Adrianum, Pennensem, Teatinum, Sulmonensem), in Apulia 7 (e. g. Monopolitanum, Tranensem, Fogetanum, Barensem, Tarentinum, Brundisinum) comprehendebat, ad quos alii postea advenerunt. Principalis conventus Neapolitanus ille S. Dominici maioris erat, 1231 per Thomam de Lentino fundatus. Pro domo conventuali aedes cuiusdam hospitalis prope ecclesiam S. Michaelis

inserviebant, quod anno 1116 monachis nigris donatum anno 1231 ad Thomam de Lentino sociumque eius Ioannem de S. Iuliano transiit, qui 1227 a Gregorio IX tamquam praedicatores et inquisitores ad urbem Parthenopaeam missi sunt. Ibi etiam S. Thomas Aquinas habitum ordinis postulavit. Sub archiepiscopo Aiglerio 1269 possessio conventus et ecclesiae fratribus Praedicatoribus confirmata invenitur. Tandem 6 ianuarii 1284 intervenientibus principe Salernitano, qui erat filius Caroli senioris, et cardinali Gerardo Bianco fundamenta novarum aedium iacta et benedicta sunt. Dum abbatia et conventus S. Michaelis extra civitatem stabant, novus conventus in loco nobilissimo Neapoleos situs est, anno 1324 complete fabricatus. Novae aedes S. Mariae Magdalenae protectrici dicatae sunt, at a populo sub titulo S. Dominici salutatae. In electione patrocinii S. Mariae Magdalenae cultus particularis domus Andegavensium in hanc praeclaram sanctam ostenditur. Etiam fundationes Brundisina (1304) et Aquilana (1309) eamdem titularem per Andegavenses habebant.

Licet partes regni Siciliae plurimos viros famosissimos provinciae Romanae dederant, tamen usque ad tempus circiter Andegavensium vita dominicana non eodem modo in meridionalibus terris floruit, sicut in Etruria vel in Lombardia.

Sub Romano provinciali Ioanne de Polo divisione provinciarum facta, in nova parte Neapolitana Petrus de Andria, unus ex praedilectis discipulis S. Thomae de Aquino, regimen suscepit et quidem delegatione pontificia, dum primus provincialis electus Nicolaus Brunacci esse videtur.

Aquinas, qui quidem velut filius provinciae Romanae vixit et obiit, quoad partem spiritualem hanc ditionem dominicanam Neapolitanam praeparavit, quae circa 1300 et in saeculo XIV ad alta fastigia ascendit. Clarissimi magistri praesertim Ioannes de Neapoli doctrinam thomisticam egregie explicabant atque actionem dominicanam omni honore proponebant. Guillelmus de Tocco inter inquisitores in terris Italiae meridionalis excelluit. Simon de Lentino, prior Messanensis 1268 factus episcopus Syracusanus, cum fr. Iacobo 1282 a rege Carolo ad Petrum Aragoniae legatus missus est ut pro populo suo causam diceret.

Dum anno 1378 conventus insulae Trinacriae propriam provinciam formantes, a provincia Regni seiungebantur, in saeculo XV pars eiusdem provinciae Regni ad congregationem reformatam Lombardiae accessit.

In capitulo generali Carcassonae 1378 celebrato confirmatur, « quod insulae *Siciliae*[5] et Hiberniae sint provinciae cum iuribus aliarum provinciarum. Et haec habet iii capitula ». Antea in capitulis Bituricensi 1376 et in Florentino 1374 separatio Siciliae insulae e compagine provinciae regni Siciliae inchoata et approbata fuit. De pluribus circumstantiis scitu necessariis circa primordia provinciae lumen deest. Ita non congnoscitur quando primum capitulum provinciale celebratum fuit neque scitur nomen primi provincialis.

Imo neque locus in serie provinciarum eo modo provinciae insulae Siciliae servatus est, quo iuxta tempus suae erectionis conveniens fuerit. Etenim in capitulo generali 1426 provincia insulae Siciliae vel Trinacriae post Dalmatiam 1380 fundatam locum tenet. Explicatur silentium de hac provincia apud acta utriusque obedientiae pontificiae ex schismate occidentali et ex schismate provinciae noviter erectae, in qua provinciales duo et capitula duo 1390 de regimine decertarunt. Lis similis iterum 1392 notatur. Occasione missionis Raymundi Capuani in insulam Siciliae velut legati apostolici hic zelantissimus vir certe omnia quae potuit pro pace religiosa suorum fratrum illius partis tentavit.

Cum provincia Trinacriae particularis et independens crearetur, conventibus undecim constabat. Tres antiquissimi Panormitanus, Messanus, Syracusanus aucti per alios Platiae Armarinae, Catanensem 1224, Augustanum, Trapanensem anno 1228 sub ditione provinciae Romanae exsistentes, ex lite inter Fridericum II et Romanos Pontifices in plena evolutione valde impediebantur. Et cum fratres intrepide partes Ecclesiae defenderent, a populis regi praesertim faventibus interdum ludibria et inimicitias passi, sed et per bullas papales protecti sunt.

Pariter seditio, quae 1282 sub nomine vesperarum Sicularum nota evenit, et sequentes turbationes politicae expansioni tranquillae regularium mimine propitia fuerunt. Deinde 1294 divisio provinciarum Romanae in Romanam et in novam regni Siciliae desiderium maoiris autonomiae nutrite in ipsa Trinacria debebat. Si quedem supponendum est, extensissimam provinciam Romanam et postea amplam etiam provinciam regni Siciliae specialem vicarium super insulam Trinacriae constituisse, ex initio saeculi XIV directum testimonium de aliquo vicario magistri ordinis in Sicilia qui erat Garnerius de Vecchettis (†1310) adest. Capitulum generale Mediolanense 1340 vicarium generalem in insula Siciliae Bertrandum Riquerii de conventu Moli-

censi, lectorem conventus Maioricensis, filium provinciae Aragoniae nominat. Insequenti anno alteri fratri Aragoniae Petro de Figarola vicariatus insulae Siciliae committitur, dum 1342 probabilius ob causas internas falicius in Trinacria superandas magistro generali nominatio vicariorum super Siculos facienda imponitur. Delectus fuit Iacobus de Ficara Messanensis.

Interea pace post lites Aragonensium et Andegavensium habita conventus Agrigentinus 1315, Notensis 1344, Modicensis, Tauromeniensis 1374 recipi poterant. Magis extensa vita dominicana per studiorum cultum augebatur. Iam 1344 « quod mittat unum studentem Parisius de dicta insula pro rata provinciae regni Ciciliae isto anno » vicario Trinacriae mandatur. Si hic de studente Parisios destinato sermo est, plura studia regionalia et conventualia per insulam Siciliae viguisse ex saeculo XIII patet. Studium autem generale nonnisi 1456 in terminis provinciae Trinacriae ad conventum Panormitanum « sine gradu tamen et forma » positum est. Vita regularis in provincia Trinacriae inchoante saeculo XV mirifice florere coepit et conventus novos, inter quos illum S. Zitae Panormitanum, excitavit. E filiis Trinacriae Salvus Cassetta ad magisterium generale ascendit.

Claris praelatis ecclesiasticis, inter quos magistri Parisienses et Oxonienses, provincia usque ad 1500 circiter 30 ornata, alios pro re publica bene merentes fratres, e. g. missos ad Papam pro tuendis iuribus Siculis anno 1282 habuit. Alii doctrinae laude eminebant, e. g. Guillelmus Giannotta regens Taurinis, Philippus de Barberis, alii in virtute et caritate ut Andreas Xueres, Nicolaus Balsamo, Ioannes Sergio, Antonius Scarcella, alii in praedicatione solemni ut Hieronymus Oddo eminebant, Antonius Stancloplano vicarius Observantium per Trinacriam exstitit, postquam Bononiae moram studiorum plenam « perdilectus omnibus » traxit.

Ex altera medietate saeculi XV conventus S. Mariae de Crypta (Notabile) in Melitensi insula erectus ditioni Trinacriae subdebatur.

§ 41. Provinciae in Hungaria, Dalmatia, Polonia, Bohemia.

S. Dominicus missionem inter gentes infideles colendam numquam obliviscens, interdum ad Cumanos respexit, qui ad partes orientales *Hungariae*[1] sedes fixerant. Ex hac ordinis fundatoris intentione circumscriptio particularis provinciae Hungariae explicanda videtur. Iam 1220 duce Paulo fratres Hungariam petierunt. Quod ex relatio-

ne fundationis fratrum in Dacia et insuper ex commentariolo Petri Bodrogiensis, provincialis Hungariae, circa 1270 confecto, innuitur. Anno 1221 autem Paulus Hungarus, qui Bononiae in doctrina et regimine eminuerat, et quatuor fratres in Hungariam secesserunt. «Et primo venerunt in civitatem Jauriensem» (Györ, Raab), ubi populus circa hos novos praedicatores concurrebat. « Et quia [ibi] nondum locum habebant egressi inde transierunt in Pannoniam... Inde procedentes venerunt in civitatem Vesprimiensem et inde in Albam», ubi multi fratres ordini aggregati sunt. Albense coenobium seminarium ordinis nostri in illis regionibus et initium extensissimae ac validissimae actionis praedicatoriae in Hungaria et finitimis terris exstitit. Assignabantur huic ditioni ordinis omnes regiones sub corona S. Stephani unitae ipsa Pannonia, Sclavonia, Croatia, Dalmatia, insuper Albania, Servia, imo usque ad 1228 Bohemia, Moravia, Polonia. Conventus etiam per omnes has partes spargebantur. Citentur principaliores ex Pannonia Albae Regalis (c. 1221), Pestensis (c. 1230), Budensis, Strigoniensis circa annum 1231, ex Sclavonia Zagrabiensis 1241, Iadrensis (Zara) 1228, ex Transilvania Hystricae (Bristritz), ex Dalmatia Spalatensis 1245, Ragusinus 1225. Pro missione Bosnensi conventus Quinqueecclesiensis (c. 1238) et de Dubic (c. 1235) momenti magni erant.

Fratres Hungari incunctanter missionarias curas inter Cumanos aggressi sunt, e primo quidem conatu fructum non reportantes, in altero conatu martyres relinquentes.

Magnanimitate, audacia et amore christiano erga Hungaros versus montes Ural degentes ducti, fratres Hungariae expeditiones in illas longinquas regiones vel tentarunt vel susceperunt, primam 1232, alteram famossimam fratris Iuliani, tertiam et quartam circa annum 1237. Fructum missionarium hae expeditiones ob paucitatem fratrum et maxime ob minantem invasionem Tatarorum non habuerunt.

In Bosnia, Dalmatia, Albania fratres huius provinciae eximia merita de tuenda fide adversus haereticos et schismaticos comparaevrunt, pro re unionis pariter et in Bulgaria ab anno 1232, postea participatione Hungarorum in societate Peregrinantium notata.

Inter illustriores provinciae filios recensentur primi provinciales Paulus, Theodoricus, Ioannes Teutonicus, et episcopi Cumanorum Theodoricus, idem Ioannes, Ponsa, Augustinus episcopus Zagrabiensis. Si doctoribus et scriptoribus haec antiqua Hungaria nonnimis innotuit, id ex eo explicatur quod immediato apostolatui potius vires

suas applicuerit. Studia praesertim Budae florebant. Observantiae status saeculo XV ineunte talis fuit, ut Ioannes Dominici cardinalis et legatus Budae ad extrema veniens non apud fratres proprios, sed apud alium ordinem observantiorem sepeliri voluerit. Hungari Dominicani deinde reformati sunt.

Provincia *Dalmatiae*[2] per bullam Urbani VI die 3 martii 1380 in specialem ditionem ordinis Praedicatorum et a provincia Hungariae distinctam constituta est cum his conventibus et locis Duracensi, Scutarensi, Dulcinensi, Catharensi, Ragusino, Quarensi, Spalatensi, Traguriensi, Sibinicensi, Iadrensi, Vegliensi, Nonensi, Segniensi, Arbensi necnon tribus conventibus e Lombardia inferiore sumptis Utinensi, Civitatensi, Iustinopolitano. Defectum approbationis et confirmationis huius novae provinciae per capitula ordinis faciendarum ex apostolica plenitudine ipse Papa supplens provinciae Dalmatiae ex concessione bullae suae omnia iura et privilegia, quibus aliae provinciae gaudent, in perpetuum tribuit.

Divisionis a provincia Hungaria rationes plures erant, praecipue extensio ditionis hungaricae, ob quam provinciali vel eius vicariis negotium visitationis difficile evasit. Sed et aliae, quae tacentur, rationes ad separationem movebant, praecipue congregatio nationis croaticae in proprium districtum administrationis.

De facto conventus Ragusinus primus ad litora Dalmatiae fundatus est 1225, independenter ab actione fratrum Hungariae provinciae. Conventus Nonensis et Iadrensis 1228, Zagrabiensis, Chasmensis Spalatensis ante annum 1245 originem duxerunt. Praefuit his conventibus Dalmatiae intra compagines provinciae Hungariae vicarius provincialis. Imo saepius etiam de vicario magistri ordinis pro Dalmatia sermo in documentis occurrit. Ita fratres Marcellus, Ioannes Cholos, Andreas Vegliensis, Thomas Zocclo vicarii provincialis ante annum 1347 erant, dum praeter huiusmodi vicarium in bulla diei 17 decembris 1345 specialis vicarius generalis nominatur, cui facultas fit locos Cathari, Scodrae (Scutari) « civitatum provinciae Hungariae sub dominio regis Rasciae » necnon tres alios, inter quos Sibinicensem pro utilitate ordinis et Ecclesiae « ad nomen, opus et usum fratrum et ordinis » Praedicatorum suscipere, si tamen duodecim fratres congrue ibi sustentari valent.

Anno 1347 cognoscitur vicarius magistri ordinis nomine Nicolaus Anconitanus. Iterum 1368 apparet quidam « totius provinciae Dalmatiae et Duracii vicarius ordinis Praedicatorum » Stephanus.

Quoad actionem praedicatoriam et missionariam patres regionis Dalmatiae et Croatiae fratribus Hungaris in initio collaborabant, qui praecipue duce Ioanne Teutonico episcopo in partibus Bosniae et sub aliis viris egregiis multos fructus animarum in horreum Domini congesserunt. Sui zeli apostolici causa nominandi sunt Florianus Ragusaeus, qui se Peregrinantibus propter Christum univit (s. XIII), et 1452 Ioannes Uljarević, (Olearius), qui cum auctoritate pontificia in Bosnia praedicans domos plures erexit.

Studia, si iam in omni conventu colebantur, multo magis in scholis domorum Ragusinae et Catharensis florebant. Inter doctiores fratres eminent Augustinus Kazotić, etiam velut episcopus famosus († 1323), Gregorius Ragusinus (c. 1305) commentaria in Paulinas publicans, Ioannes Stoichović magister Patavii et dein archiepiscopus atque pater concilii Basileensis. Bononiae Georgius Sibenicensis. et Seraphinus Bona Budae, qui et inter regis Matthiae Corvini consiliarios adnumerabatur, docebant.

Provincia *Poloniae*[3] segregata est anno 1228 ex provincia Hungariae in se complectens conventus in regno Poloniae, in regno Bohemiae et Marchia Moraviae, in ducatu Silesiae, in partibus Borussiae, Pommeraniae, Brandenburgii, Russiae. Eius fundatio et augmentum praecipue zelantissimo S. Hyacintho, e Silesia oriundo, tribuitur. Anno 1219 Hyacinthus ex Italia (Bononia) probabiliter a S. Dominico emissus per Carinthiam, ubi Frisaci per menses aliquot stetit conventum fratrum excitando, Cracoviam profectus est, ubi anno 1222 primum conventum polonicum fundavit. Postea in civitatem Kiowensem apud Ruthenos contendit, fratribus ibi relictis. Ab anno 1226 ad missiones in terris Prutenorum aspirans ad civitatem Gedanensem (Gdansk, Danzig) se contulit, ex qua fratres Praedicatores laborem opistolicum mox inter Prutenos exercebant, conventus Culmensem (c. 1232) Helbicensem (Elbing c. 1237), Thorunensem 1263 excitantes. Ex aliis polonicis fundationibus Sandomiriensi 1224, Posnaniensi (1231), Lublinensi, ex illis Silesiae Wratislaviensi (1223), Ratiborensi, Glogoviensi, Thesniensi, Legnicensi, Oppoliensi, ex ceteris Pommeraniae Gripsvaldensi, Dersoviensi, ex illis Bohemiae et Moraviae Pragensi, Gradicensi (Königgrätz), Olomucensi, Brunensi, Opaviensi, Pilsnensi magna provincia coaluit.

Difficultates territoriales adduxerunt 1301 divisionem huius ditionis in provincias Poloniae et Bohemiae. Postea saeculo XV intrante fratres linguae germanicae, qui intra fines provinciae Poloniae ha-

bitabant a magistro generali specialem erectionem provinciae Teutoniae inferioris obtinuerunt, sed mox ad Polonos redire debuerunt cassata per capitulum generale 1417 divisione per magistrum generalem facta.

Gubernium vastissimae huius provinciae tum ex ambitu regionum et diversorum populorum atque actione missionaria facile non erat. Primus provincialis Gerardus natione Vratislaviensis, antea studens Parisiensis, exstitisse videtur, alter B. Ceslaus, tertius autem Henricus Lipsiensis, quos alio tempore iterum Germanus et Gallus et Italus in regimine provinciae secuti sunt.

Praeter praedicationem in ditione proprie polonica exercitam haec provincia summam industriam missionariam ad tempus ostendit inter Prutenos, populos balticos, Ruthenos. Pro fide martyres Sandomirienses 1259 aliique Colomeae 1349 trucidati sunt, dum inquisitores in Hussitarum saevitiam ad Poloniam protensam fortiter suo tempore instabant.

Studiorum causa Poloni saepius ad studia generalia Coloniense, Viennense, Parisiense, Italiae, imo Hispaniae perrexerunt, dum in patria cum academia Cracoviensi amicitiae foedere et litterarum mutuo usu iuncti exsistebant. Clarum nomen in scholis medii aevi Martinus Strebski Polonus possidebat.

Ordo noster in *Bohemiam*[4] a B. Ceslao sub principio 1222 inductus est, cum ipse et socii eius a munificentia regis Przemyslai Ottocari I ecclesiam S. Clementis et aream in regio pago Porzitsch ante Pragam in Moldavae subripinis receperint, conventu post quadriennium ad antiquam urbem translato. Ibi spatium ad fratres 120 alendos erat. Fama et auctoritas conventus et studii Pragensis sub Carolo IV maximae splendebant. Pragae etiam capitulum generale 1359 praeclarum celebratum est. Cum fratres nostri 1411 contra Ioannem Huss praedicare incoeperint. 1420 ab haereticis conventus S. Clementis cum clade fratrum destructus est remanentibus exinde paucis religiosis prope ruinas claustrales et actionis catholicae. Ad civium Pragensium vota 1496 rex Ladislaus Dominicanos Polonos ad excitandum vitam ordinis vocavit. Ex reliquis 18 conventibus Bohemiae, plures in bellis Hussiticis perierunt. In Moravia conventus Olomucensis fundationem 1220, S. Hyacintho tribuunt. Domus in marchionatu Moraviae sitae, partim in rebellione Hussitarum pariter destructae sunt.

Absque speciali regimine superiore, ut videtur fundati conventus Bohemiae et Moraviae, inter 1228/1301 provinciae Poloniae uniebantur. At pluries visitatores et vicarii nationis germanicae hanc ditionem ordinis vel gubernabant vel inspexerunt, ut Albertus Magnus et Ekkehartus. Anno 1301 conventibus Bohemiae et Moraviae exprovincialis Poloniae Dislavus velut vicarius praepositus apparet.

Sicut bullae papales introductionem fratrum Praedicatorum in has regiones commendaverant, ita postea Pontifices bullis suis fratres ad strenuam defensionem et extensionem Ecclesiae per praedicationem multiplicem praecipue crucis contra gentes vicinas paganas et contra Turcas excitarunt. Cum haeresi autem in propria terra fratribus res et colluctatio saepius erat, ut munera inquisitorum et martyria probant. Tempore insurrectionis Hussitarum ad 300 fratres in odium fidei interempti sunt. Huiusmodi victimae locos vacuos in conventibus reliquerunt. Et si cogitatur de damno etiam per pestem saepius grassantem in domibus religiosorum causato, insuper de calamitate belli Hussitarum nil mirum si status regularis provinciae Bohemiae in prima medietate saeculi XV languebat. Postquam imperatori Sigismundo Pragae status Bohemiae se subiecerunt, res religiosae et regulares efflorescere poterant. A vicino conventu Viennensi reformatio ad conventus Brunensem, Budvicensem, Olomucensem aliosque extendebatur. Probabilius ut fructus reformationis in Bohemiae et Moraviae domibus servaretur vel ut conventus reformati obedientiae provincialis Bohemiae subderentur, 1487 in capitulo generali petente provinciali Bohemiae conventus ex illa provinciae Teutoniae parte, quae vocabatur portio inferioris Bavariae, nempe Viennensis, Cremensis et alii, a Teutonia avulsi sunt. Reclamante vero provinciali Teutoniae, cui imperator adiutorium praestitit, hi conventus iterum suae nativae provinciae Teutoniae per ordinis magistrum restitutae fuerunt. Iulius II 1505 plura privilegia Bohemis fratribus tribuit.

§ 42: Provinciae Teutoniae, Saxoniae, Daciae.

Provincia *Teutoniae*[1] una ex primigeniis ordinis ditionibus sub S. Dominico designatis in tempore maioris extensionis amplissima provincia exstitit, pertingens a flandrica civitate Brugensi usque ad civitatem Austriae Viennam, et alio sensu a terra Turicensi (Zürich) usque ad Lübecenses.

Ad eam quasi omnes regiones, ubi lingua germanica adhibebatur, pertinebant. Anno 1260 conventus flandrici ad provinciam Franciae transierunt, conventu Antverpiensi ad extrema occidua manente. Resecatis et anno 1303 in propriam provinciam Saxoniae formatis conventibus Germaniae septentrionalis provincia Teutoniae terras germanicas circa Rhenum et Danubium sitas comprehendit.

Fundationes principales sunt Frisacensis 1219, Coloniensis circa 1220, Gandavensis (postea ad Franciam), 1224 Argentinensis, Magdeburgensis (postea ad Saxoniam), mox Trevirensis, Esslingensis, Lipsiensis, Isenacensis, Lubicensis, Marburgensis, Ratisbonensis, Petaviensis in Styria, Lovaniensis, Constantiensis, Basileensis 1233, Friburgensis, Augustanus, Antverpiensis, Maguntinus, Traiectinus ad Mosam 1254, Nurimbergensis, Colmariensis, Curiensis, Ulmensis, Luxemburgensis 1292, Selestandianus, Aquisgranensis, Buscoducensis, Bambergensis 1310, Brisacensis 1319, Marienheidanus 1421, Bruxellensis 1465, Graecensis 1468, Heidelbergensis et Stuttgardianus 1474. Totaliter anno 1277 provincia Teutoniae conventus 53 et post separationem Saxoniae conventus adhuc 49 tenebat. Eius magnitudo in copiositate conventuum, in multitudine personarum doctrina et virtutibus clarissimarum necnon et in taxatione pecuniaria apparet. Anno 1325 inter summas, quas singulae provinciae procuratori generali solvere debebant, provincia Teutoniae ad maximam quantitatem, nempe 20 florenos solvendam taxatur.

Dum iam 1267 vicarius provincialis super regiones Germaniae septentrionalis cognoscitur, post divisionem Teutoniae et Saxoniae Teutonia has nationes numerabat *Brabantiam* cum conventibus Brabantiae et Rheni inferioris, *Alsatiae* cum conventibus Alsatiae, Badeniae, Helvetiae, *Sueviae* cum conventibus in Württembergio, Suevia, Franconia, *Bavariae* cum conventibus Bavariae et Austriae.

In his nationibus loci principales erant Colonia, Argentina, Esslinga, Ratisbona et Vienna. Regimen super teutonicam terram in ordine Praedicatorum primus Conradus de Huxaria (Höxter 1221/33) exercuit, cui cardinalis legatus Otto partes quasdam delegatas commisit. Inter provinciales, qui post eum electi sunt viri egregii, scientia, rerum et iuris cognitione excellentes, administratione probati, eminent Hermannus de Havelberg «vir sanctus, genere nobilis», Albertus Magnus, Hermannus de Minda, Ioannes de Lichtenberg, Bartholomaeus de Bolsenheim, Ioannes Cusin, Udalricus Theobaldi, Nicolaus Notel, Petrus Wellen « theologiae magister, vir sanctus »,

Iacobus Fabri de Stubach, Iacobus Sprenger, Petrus Siber. Eorum regimen potentissimum et sapiens habitum est.

Etsi vita fratrum Praedicatorum non eodem modo vel eadem vi sicut in ceteras terras subito transierit, tamen mira profunditate in regionibus germanicis recepta est.

Studiorum centrum in conventu Coloniensi apud metropolim Rhenanam positum est. Coloniense coenobium velut principale totius provinciae habebatur. Et dum medio saeculo XIV lis inter archiepiscopum et Colonienses fratres Praedicatores ardebat, tota provincia eventum hunc anxiose observabat. In saeculo XV nostrates et doctrina thomistica eximia, observantiae cultu, pietate rosariana speciali nomen tanti conventus tum coaevis suis tum historicis venerabile reddebant.

In aliis conventibus quoque e. g. Argentinensi, Basileensi, Viennensi studia particularia vigebant. Dum praeeunte B. Alberto plures Parisiis docebant, alii in magisterio vel studentatu inveniendi erant apud universitates Coloniensem, Erfordiensem, Lipsiensem, Pragensem, Viennensem, Graecensem, Basileensem, Heidelbergensem, Friburgensem, Oxoniensem, Senensem, Perusinam, Ferrariensem.

Ad nomina prasulum, doctorum uniuscuiusque disciplinae, ad praedicatorum copiam et scriptorum laudem provincia Teutoniae velut speciale momentum zelum regularis observantiae merito iunxit.

Provincia *Saxoniae*[2] ex divisione provinciae Teutoniae amplissimae ortum 1303 duxit his terminis finalibus, quod Misnia, Thuringia, Hassia, Saxonia, Marchia, Slavia, Frisia, Zelandia, Hollandia sint provincia specialis « et provincia Saxoniae nominetur et teneat locum in sinistro choro immediate post Bohemiam ». Si divisio provinciae Teutoniae et constitutio Saxoniae multa commoda administrationi ditionis dominicanae per Germaniam afferebat, etiam incommoda quaedam ipsi novae provinciae exsurgebant. Praecipue distantia a centro ordinis pro provincia Saxoniae obstaculo et nocumento esse potuit, attamen ergregia semper provincia in fundationibus et viris suis fuit. Nationes, quibus provincia Saxoniae usque ad annum 1468 constabat, in registro Caietani sic describuntur cum respectivis conventibus, quibus annos fundationis adicimus: *Saxoniae* Magdeburgensis (1224), Hallensis (1271), Halberstadiensis (1232), Hildesheimensis (1233), Göttingensis (1296), Brunswicensis (1310); *Thuringiae* Erfurtanus (1229), Isenacensis (1236), Ienensis (1286), Mülhusanus (1291), Nordhusanus (1286), Marburgensis (1292), Treisanus (1287); *Misniae* Lipsiensis (1229), Freibergensis (1236), Pir-

nensis (1300), Egrensis in Bohemia (1296), Plauensis (1266), Luckauensis (1291), Leutenbergensis (1395); *Westfaliae* Bremensis (1225), Susatensis (1241), Tremoniensis (Dortmund, 1310), Osnabrugensis (1296), Mindensis (1296), Wesalianus (1292), Warburgensis (1282); *Slaviae* Lübecensis (1229), Hamburgensis (1240), Stralsundensis (1251), Wismariensis (1293), Rostocensis (1256), Röbelensis (1287), Meldorfensis (1380); *Marchiae Brandenburgensis*, Brandenburgensis (1278), Berolinensis (1297), Ruppinensis (1246), Seehusanus (1255), Strausbergensis (1254), Soldinensis (1275), Prenzlavensis (1275), Tangermundanus (1442); *Hollandiae* Rhenotraiectinus (Utrecht, 1232), Harlemensis (1296), Hagensis (1403), Rotterodamensis (1444), Zutphenensis (1288), Neomagensis (1296), Calcariensis (1455), Zwollensis (1468), Ziericzensis (Ziericksee in Zeelandia, 1279); *Frisiae* Groninganus (1310), Leovardensis (1245), Nordensis (1264), Winsumensis (1280); *Livoniae* Rigensis (1244), Dorpatanus (1300), Pernaviensis (1505).

Priores provinciales seriem suam cum viro illustri Ekkeharto de Hochheim incipiunt (1303/11). Ad eum clarissimi fratres, saepe laurea magistrali iam donati vel officio inquisitionis commendati, ad gubernium huius provinciae delecti sunt, ut Ioannes de Melemberg, Conradus de Halberstadt, Gualterus Kerlinger, Eilardus de Schönfeld antea procurator generalis, Bernardus de Dülmen, Conradus de Westhausen, Daniel de Egher.

Indefesse fratres Saxoniae studia colebant ita quidem ut praxis cursuum studiorum severior fuerit quam ordinis lex de studiis imponendis et persolvendis. Studia artium et philosophiae et theologiae iuxta determinationes provincialium capitulorum variis conventibus assignabantur. Extra provinciam studentes Parisios, Bononiam, Coloniam, Oxoniam, Pragam missi reperiuntur. Dum in initio studium generale in terminis huius provinciae statutum Erfordii erat, post 1340 aliud Magdeburgi et saltem 1477 tertium Berolini invenitur.

Cuicumque scriptores quaerenti nomina magna occurrunt Ekkeharti, Theodorici Fribergensis, Odonis de Nienhausen, Henrici de Herfordia, Iacobi Susatensis.

Mystici minoris nominis Helwicus de Germar, Giselherus de Slatheim, Hermannus de Loveia, Florentius Traiectinus, Clemens Lossow piis auctoribus annumerantur. De sermonibus vel re homiletica consignandis Ludolphus Wylkin de Winsum, Ioannes Kuned,

Paulus Ripper, Thomas a Clivis operam dabant. Ex iis qui generationem fratrum ad saeculum XVI ducendam erudiebant pertinent Daniel de Egher commentator Aquinatis et Erasmus Frisner professor Lipsiensis commentator Aristotelis. Concionatorum bonorum laudes et mystici et Lambertus de Schepen, Ioannes de Lüdinghausen ceterique acquisierunt.

Praeter episcopos plures residentiales Saxonia praesules auxiliares 50 intra annos 200 dedit. Devotionum cultum per venerabiles fratres, per fraternitatem Domini Iesu in Seehusensi conventu, per summam rosarianam propagationem, per verba et scripta, per observantiae regularis amplexum haec provincia expressit.

Nomine *Daciae*[3] terras Scandinaviae Daniam, Sueciam, Norveciam in medio aevo superiore designare solebant. Ideo et provincia nostra in illis regionibus tali titulo decorata apparet. In eas regiones septentrionalium Germanorum ordo per Simonem de Suecia et Nicolaum Lundensem erat collocandus, qui tamquam clerici Bononiae die 15 augusti 1219 habitum ordinis induerunt. Cum inchoante anno 1220 praepositus quidam Godefridus, qui mandatum archiepiscopi Upsalensis in curia Romana Viterbii explebat, Dominicum cognoverit, ab eo fratres pro sua regione petivit. Eodemque anno hi duo fratres Godefridum in Sueciam comitabantur. Archiepiscopus quidem Olaus Basatömmer fratribus residentiam Sigtunae prope Upsalam non permisit. Quare hospitium in Skov receperunt. Secundam expeditionem dominicanam in Scandinaviam Salomo Danus fecit, qui ordinem 1220 Veronae ingressus fuerat mox prior Frisaci et membrum capituli generalis 1221 effectus, commendatione Papae et S. Dominici munitus, ad septentrionem missus est. A concilio Slesvicensi 1221 praeside cardinali Gregorio de Crescentia celebrato fratres Praedicatores licentiam suae missionis in Dania obtinuerunt. Anno 1221 fundatio Lundensis tribuitur, quo etiam fratres ex Suecia accesserunt. Formata provincia Daciae Rano, antea professor Parisiensis et decanus Roskildensis, a S. Dominico in ordinem cooptatus, provincialis primus extitit. Ex eius successoribus Absolom († 1261) administratione provinciae et actione pacis civilis, et Augustinus († 1283) prudentia et doctrina praestabant. Residentia provincialium in Suecia et praesertim Roskildis in Dania fuisse videtur. In Norveciam ordo ex Anglia transplantatus probabiliter fuit, sicut cum Suecis et Findandis fratrum Anglorum relationes erant.

Fundationum copia rem dominicanam Scandinaviae anno 1228 in provinciam auxit.

In *Dania* conventus Lundensis, Malmöensis, Roskildensis, Nestvedanus, Othoniensis (Odense), Wiborgensis, Aarhusensis, Ribensis, Slesvicensis, Flensburgensis, Haderslebensis, Husumensis, in *Suecia* Sigtunensis, Stockholmensis, Skovensis, Upsalensis, Strenginensis (Strengnäs), Vesterasensis, Skeningensis, Visbiensis (Visby), in *Norvecia* Nidrosiensis (Nidaros), Bergensis, Osloensis, in *Estlandia* Revaliensis ex 1229, in *Kurlandia* Libauensis, notabiliores exsistebant. In *Finlandiam* post 1221 Thomas Anglus (✝ 1248), episcopus super missionem illam constitutus venit et 1252 conventus ordinis in Abo apparet satis celeber, aliis sequentibus. Finlandi Dominicani per Suecos adiuti sunt.

Scholae bonae in pluribus conventibus praesertim Skeningae florebant. Fratres Daci praeter officia religionis, studii, ministerii pro Ecclesia opera sua contulerunt, dum ad praesulatus numero 26 circiter, in legatos, in paenitentiarios curiae Romanae, in praedicatores cruciatarum expeditionum et indulgentiarum assumebantur. Pro patria sua autem egregia praestiterunt velut arbitri et mediatores pacis et confessores regum. Inter se fratres nostri Daciae illas disceptationes, quae alios ordines diviserunt, nescivisse videntur. Fratres exteros praesertim Anglos et Germanos (ut Henricum Kalteisen) ad collaborationem in partibus suis assumpserunt.

§ 43. Provinciae insularum britannicarum.

De plantatione ordinis in *Anglia* Nicolaus Trivet chronista noster ad annum 1221 haec habet: « De secundo capitulo generali fratrum Praedicatorum, quod sub beato Dominico celebratum est Bononiae, hoc anno missi sunt fratres Praedicatores in Angliam, qui numero tredecim habentes priorem fratrem Gilbertum de Fraxineto [de Fresney], in comitiva venerabilis patris domini Petri de Rupibus [des Roches], Wintoniensis episcopi, Cantuariam pervenerunt, ubi cum se domino Stephano Cantuariensi praesuli praesentassent, audito quod Praedicatores essent, statim fratri Gilberto imposuit, ut coram se sermonem faceret in ecclesia quadam, in qua ipsemet proposuerat eodem die praedicare. Cuius verbis admodum aedificatus pontifex, toto suo tempore, religionem fratrum Praedicatorum et officium prosecutus est gratia et favore. Progredientes autem fratres

de Canturia venerunt Londonias in festo S. Laurentii; et ulterius Oxoniam in festo Assumptionis Virginis gloriosae, in cuius honore oratorium construxerunt ». « Provincia Angliae sic feliciter, sub tutela SS.mi Patriarchae et Fundatoris ordinis incoepta, cito sese dilatavit et per totam insulam Hiberniae et regnum Scotiae usque ad ultimam Thule suas propagines extendit. Temporis autem decursu, multiplicatis in hisce partibus conventibus. Scotia anno 1481, Hibernia vero anno 1484, in peculiares ordinis provincias erectae sunt; exinde regimen prioris provincialis Angliae intra fines patriae suae et principatus Walliae omnino redactum permansit.

Sub titulo S. Pauli apostoli constituta provincia per ter centum et septemdecim annos enituit. In quatuor visitationes seu vicarias (congregationes aut nationes etiam vocatas) divisa fuit: Oxoniensem nempe, Cantabrigiensem, Londinensem et Eboracensem, ex quibus ut videtur, dein segregatae sunt duae aliae visitationes, conventibus de Salisburia et Exonia annexae. Anno 1277 quadraginta conventus in Anglia et Wallia floruere, quibus ante annum 1303 alia coenobia sunt aggregata: postea demum provincia quinquaginta et duos conventus fratrum, et unum monasterium sororum habuit ». Qui status floridissmus sub Henrico VIII sic destructus est, « ut decurrente anno 1539 ne quidem unum coenobium absque violationis iniuria relictum fuerit ».

Iam inter socios S. Dominici fratrem Laurentium Anglum notamus. Circa missionem fratrum in Anglia duo notanda occurrunt, scilicet, quod fratres pro illa regione delegati in comitatu episcopi profecti sunt, et quod ad civitatem universitariam primo iter intenderunt. Post fundationem Oxoniensem fratres iam ante annum 1224 Londinium ingredientes ex dono Huberti de Burgo comitis de Kantia capitalis iustitiarii Angliae huiusque familiae « fundum inter suburbium occiduum et septentrionale, quod vocatur *Holborn* », receperunt, ecclesia conventuali sub B. M. V. et S. Ioannis evangelistae patrocinio constituto. Aedes conventuales intra annos 25 a fundatione fratribus 80 excipiendis paratae erant. Haec spatii opportunitas non ultima ratio erat, quare duabus vicibus 1256 et 1263 ad hunc conventum edicta comitia generalia sunt. « Anno vero 1275 meliorem et spatiosiorem locum infra limites civitatis prope *Ludgate,* fratres obtinuerunt, fundatoribus Eduardo I, regina Eleonora de Castilia uxore eius, et fr. Roberto de Kilwardby archiepiscopo Cantuariensi ».

Novi domicilii aedificatio 1278 incoepta est, conventu Holbornensi 1287 vendito. Novus conventus comitia ordinis 1314, 1335, synodum ecclesiasticam 1382, in qua 24 propositiones Ioannis Wycliff damnatae sunt, «parliamenta» et concilia regia varie in muris suis recepit, dum ecclesia (1325 consecrata) mausoleum pro saeculi et Ecclesiae principibus exstitit, condens corpora regum, reginarum, cardinalium, episcoporum.

Aliae fundationes ut Norvicensis (1226), Eboracensis (1227), Salopiensis (Shrewsbury, 1230), Perthensis (1231), Exoniensis (1232), Nortantoniensis (1233, pro 50 fratribus), Cantuariensis 1236 cum 20 fratribus incepta ad 50 mox accrevit, Lincolniensis 1238 (pro 50 fratribus), Cantabrigiensis 1238, Glocestrensis, Beverlacensis, Novocastrensis super Tynam (ante 1240), Stamfordensis (1243), Leicestrensis, Sarisburiensis (1246), Dunstablensis (1259), Lancaster (1260) Giappovicensis (Ipswich, pro c. 60 fratribus, 1264), Cicestrensis (1283, pro 30 fratribus), Langlegiensis (King's Langley vel Chiltern Langley, 1308, pro 100 religiosis habendis dotata quae «ex omnibus Mendicantium domibus in toto regno locupletissima evasit », Tetfordensis (1335), Melcombensis (Melcombe Regis, 1418).

Harum aedium plerumque amplarum erectio benefactoribus insignibus magnificis debetur. Reges ex stirpe Plantagenet munificentissime Praedicatores auxerunt, etsi aerarium regium non semper excessibus abundabat. Cantuariensibus fratribus rex non solum 1247 et 1253 marcas 70 dedit ad satisfaciendum creditoribus conventus verum 1256 pro vitris depictis 160 scellinas, 1258 libras pro structuris in honorem patroni sui S. Eduardi, statuens 1259 libras 20 pro fabricandis culina et muro. 1243 raedificatio ecclesiae sumptibus regis perfecta fuit. Haec donorum copia ad alios quoque conventus quasi incessanter fluxit. Notetur inter subministrationes conventui Londinensi concessas ex anno 1243 Henrici III exhibitio habituum 80 et paria totidem calceamentorum in xenia nativitatis Domini. Summus autem regii favoris ad fundationem Langlegiensem transiit, ubi perpetuae preces pro domo Plantagenet coram Deo funderentur.

Insuper magni domini civiles, ut Hubertus de Burgo, familiae nobiles ut Montisfortis de Leicestria, episcopi ut Alexander Stavenby, Lihfieldensis, antea professor theologiae Tolosae, qui aliquos ex sequacibus S. Dominici istituerat, Petrus des Roches Vintoniensis, Robertus Greathead Lincolniensis, Gualterus Mauclerk Carleolensis fratres iuvarunt.

Si magnitudo provinciae Angliae inclusis partibus Hiberniae et Scotiae circa annum 1305 respicitur ea fere potentissima ditio ordinis apparet. Numerat conventus supra 100, fratres vero circiter 3000, vel deductis Hibernis et Scotis, circiter 2000. In saeculo XVI autem numerus conventuum diminuebatur quia et vitae regularis fervor decreverat et conditiones oeconomicae instabant.

Circa fratrum educationem et activitatem in provincia Angliae nunc agendum. Magni momenti est notitia de causa incipiendi conventus Langlegiensis. Etenim «fratres Oxonienses, statuentes quod alumni, antequam summos philosophiae et theologiae cursus inirent, in studio litterarum apprime versarentur, subsidia regis ad fundandum collegium sive gymnasium petiere ». Aderat ergo hic gymnasium litterarum humaniorum praeparantium ad studia ecclesiastica. Et quidem ab anno 1423 conventum Langlegiensem omnibus quatuor nationibus communem fuisse, et inter 1428/1538 ad visitationem Cantabrigiensem pertinuisse scitur. Institutioni ecclesiasticae imprimis scholae Oxoniensis et Cantabrigiensis inservierunt. Alia studia per provnciam in conventibus Lincolniensi Guldefordensi, Gippovicensi, Neocastrensi super Tynam, Londinensi extiterunt. Si magistri scriptore praedicatores praesulesque nostri Angliae satis innotescunt, eorum ministerium confessionis et sacri sermonis apud reges ex stirpe Plantagenet et plurium ex familia Lancaster memorandum est. Actio dominicana contra Wycliffitas promota, in bonum religionis et patriae felicissime cessit. Extra Angliam fratres aliquando labori missionum in oriente addicti cernuntur, etiam in Armenia.

Scotiae[2] provincia nonnisi saeculo XV exeunte propria constituta est, dum antea inde ab anno 1230 ditioni Angliae et quidem satis independenter suberat. Nimis creduli Boethius et Touron hanc ordinis penetrationem in septentrionem insularum britannicarum anno 1219 et Baronius anno 1221 attribuere vellent. At iuxta chronicum Mailrosense aliis notitiis historicis confirmantibus ingressus fratrum in Scotiam 1230 duce fratre Clemente, qui 1232 episcopus Dumblanensis factus est, evenit. Sub nomine fratrum Iacobinorum in Scotiam intrant, cum Clemens Parisiis habitum ordinis assumpserit. « Praedicatione insignis, linguis peritus et virtutibus clarus, dignus fuit, qui fratres nostros in Scotiam introduceret, favente Gulielmo Malvoisin Sancti Andreae episcopo. Cum ex documentis constat illos eo ipso anno (1230) tres conventus aedificatos habuisse, satis probabile videtur, sodales nostros iam antea accersitos aliquam in Scotia moram duxisse ». A-

micus Praedicatorum summus rex Alexander II exstitit, qui munificentia et litteris fratres iuvit. Conventus Ayrensis (Ayr) forsitam primus omnium fundatus est, a regibus Alexandro II, Roberto I, Roberto II dotatus. Eodem anno 1230 et conventus Edinburgensis a rege « in propria domo, quae mansio regia in cartulis nuncupatur ». Berwicensis, Aberdonensis erecti sunt, omnes regia gratia insigniti sequentibus inter alios conventibus Perthensi (1231), Invernessensi, Montis Rosarum (Montrose), Rossensi, Stirlingensi (1233), Glasguensi (1246), Wigtoniensi (1267), Andreapolitano (1276), Cuprensi (1348).

Tempore fundationis huius ultimi conventus super fratres et res ordinis nostri per Scotiam quidam vicarius generalis provinciae Angliae constitutus apparet. « Ab anno 1415 domus ordinis in Scotia sub peculiari vicario exsistebant magistro ordinis potestati immediate subiecto.

Anno 1460 cura venerabilis prof. Ioannis Mure reformationem accepere conventus Scotiae, qui demum in capitulo generali Romae anno 1481 habito in provinciam erecti sunt ». Ibi denuntiatur, « quod ad instantiam et preces serenissimi regis Scotiae de conventibus terrarum, quae suae maiestati subduntur maximis et rationabilibus causis in praesenti definitorio allegatis de unanimi voto omnium reverendorum provincialium et definitorum praesentis capituli provinciam fecimus, quam per se volumus a provincia Angliae distinctam appellari et separatam esse » provinciali Ioanne Mure nominato. Ius quoddam particulare ob nimiam distantiam huius provinciae a centro ordinis ditioni Scotiae per magistrum generalem Bartholomaeum Comazio die 18 octobris 1484 factum est, ut nempe provincia vel provincialis Scotiae ad capitula generalia, si citra montes in Italia fiunt, venire non teneantur, at de quinquennio in quinquennium aut capitulo generali aut magistro ordinis se praesentent seu aliquem fratrem mittant. Si quando neminem ad capitula generalia mittere possunt, acta capituli generalis quantocius fieri potest recipiant. « Item si quando aliter non possent solvere contributiones magistro ordinis, possint illas Brugas mittere priori vel alteri cui magister ordinis commiserit, et potest dictus provincialis commissarios instituere in tota provincia... Item dictae provinciae conceditur ut decedente provinciali vel absoluto priores provinciae alium provincialem eligere possint et tres antiquiores priores eundem confirmare ». Pro epocha nostra praesentia provinciae Scotiae in comitiis generalibus annorum 1484 et 1505 notatur.

Actionem praedicatoriam et fidei ampliandae atque exponendae fratres Scotiae sedulitate studiorum fecundarunt. Conventus Aberdonensis « ratione studiorum famosus fuit, ac ibidem alumni ordinis Cisterciensis sacras disciplinas addiscebant ». In civitate Sancti Andreae ab anno 1411 universitas et conventus Praedicatorum connectebantur. Glasguae «1450 iuxta conventum nostri ordinis percelebris universitas Glasguensis creata est per apostolicas litteras Nicolai V; in ipsa coenobii capitulari aula lectiones theologicae habebantur; ibidem universitatis congregationes adunabant. Intra conventus muros florebant etiam scholae tum civilis quum canonici iuris ». Anno 1476 Thomas Roberts, e conventu Angliae Cestrensi, professor artium liberalium in universitate Glasguensi renuntiatur.

Si Dominicani dum Scotiam ingrediebantur, a suprema civili potestate magnifice excepti sunt, nil mirum si et postea cum regia familia et sui populi fatis intime sociarentur. Conventus Edinburgensis non solum pluribus regibus et reginis sive confessores sive praedicatores dedit et personis regii sanguinis sepulturam concessit verum etiam in sua ecclesia plura nationalia concilia celebrari vidit et synodum sub cardinali Bageniot, legato a latere, institutam. « In archivo conventus [Perthensis] exstabant deposita sive a regibus sive ab episcopis documenta maioris momenti pro natione Scotorum, sicuti foedera reges Norveciae inter et reges Scotiae sancita. Ab Alexandro II vastissimis hortis haec domus donata est cum aedificiis adiunctis, ubi reges ipsi interdum se recepere. Ibidem Iacobus I anno 1437, dum in coena sistebat, in praedicto hospitio crudeliter necatus est... Scotia potestati Anglorum ad tempus subacta, in hac nostra ecclesia Eduardo I regi Angliae, magnates et praesules homagium reddidere ». Etiam hic sepulturae regiae locum habuerant. Sicut in Perthensi conventu parliamenta habebantur, ita et in conventu Berwicensi consessus nationalis 1292 institutus est in lite pro corona Scotiae inter Ioannem Baliol et Robertum the Bruce sub arbitrio Eduardi I regis Angliae agitata. A conventu Berwicensi Eduardus III rex Angliae fratres Scotos expulsit, qui post pugnam infelicem prope Halidon Hill acriter contra Anglos praedicaverant, eisque fratres Anglos suffecit.

Ad erectionem provinciae particularis Scotiae alia separatio ab Anglia *Hibernorum*[3] fratrum 1484 secuta est. Venerant prima ordinis membra in Hiberniae insulam accersita per Mauritium Geraldinum baronem Ophaliae (Offaley), Hiberniae proregem, at fixas aedes

ante 1224 ibidem non obtinuerunt. Conventuum notabiliorum series chronologice inspecta usque ad 1508 haec est: Dublinensis (1224) sub titulo SS. Salvatoris exstructus et post incendium anni 1304 sicut post belli Scotorum calamitatem duabus vicibus denuo erectus fuit. Ab anno 1428 studium philosophiae et theologiae in coenobio Dublinensi stabilitum est. Anno 1224 fundatus Pontanensis (Drogheda) conventus, ad reformatos 1484 transiit. Sequuntur Kilkenniensis (Canipolitanus, 1225), Limericensis (1227) incoeptus per serensisimum Donatum Carbreach O-Brien, cui regis Thomon(d)iae titulus erat. Corcagiensis (1229, Cork), Athenriensis (1241), Casseliensis (1243, Cashell) per David MacKelly O.P. archiepiscopum loci fundatum, Traleiensis a Ioanne Geraldino 1243, Roscommaniensis 1253, Trimmensis 1263 a Galfrido de Genevil domino Midiae postmodum prorege, qui 1308 habitum ordinis ipse suscepit, Lohtoriensis 1269 a Gualtero de Burgo comite Ultoniae et domino Conaciae, Ki(lma)llociensis 1291. Ad exsistentes conventus 23 accesserunt anno 1305 alii, e. g. Carlingfordiensis per Richardum de Burgo, Longofordiensis per Cornelium O'Ferrallo O.P. episcopum Ardachadensem promoti.

Hi conventus Hiberniae per provincialem provinciae Angliae in initio regebantur, qui saeculo XIII suum vicarium particularem super Hibernos fratres habuit. Amplius magister generalis Berengarius de Landora statutum 1314 patribus Hiberniae dedit, ut priores conventuales cum praedicatoribus generalibus et sociis dictorum priorum nominarent tres fratres ad regendum idoneos, ex quibus prior provincialis Angliae unum vicarium hibernicae nationis constituere teneretur. Quo statuto iura et privilegia particularia Hibernis largita sunt, ut re vera autonomia adfuerit, etsi titulus aut nomen deesset 1397 vicarius super Hibernos titulum vicarii generalis partium Hiberniae portat. Sed interea ad completam independentiam accedendi conatus notantur. Etenim in capitulo Bituricensi 1376 approbatur (supposita igitur inchoatione), « quod insula Siciliae et natio Hiberniae pro provinciis habeantur cum iuribus aliarum provinciarum », quod et 1378 confirmatur. At effectus separatonis ab Anglia illo tempore non concessus est. Nonnisi anno 1484 in capitulo generali Romano consititutio proprae provinciae Hiberniae, apparet, nominato p. mag. Mauritio Moral primo provinciali.

In comitiis autem generalibus 1491 definitore provinciae Hiberniae subscribente denuntiatur reductio « provinciae Hiberniae ad reunionem provinciae Angliae sicut ab olim fuerit iuxta bullam desuper

datam quam volumus observari de verbo ad verbum hac lege, quod provinciae Angliae non teneatur solvere contributiones dictae terrae vel vicariatus Hiberniae, sed ipse vicarius illius terrae tenebitur solvere contributiones dictae terrae et nullae contributiones reverendissimi puta sex ducatos annuatim pro reverendissimo magistro et duos pro procuratore ordinis et quod mutuo convocent in suffragiis, et quod magister Mauritius Moral sit verus vicarius ».

Propensio reformationis regularis ab anno 1484 apud Hibernos aliquibus recepta, annis labentibus ita crevit, ut ab anno 1503 conventus reformati quicumque Hiberniae sive intra sive extra palum Anglicanum siti in specialem congregationem observantiae auctoritate Iulii II adunati sint sub vicario generali immediate a magistro ordinis instituto.

Studia praesertim apud conventum Dublinensem solemniore modo floruerunt. Ac clariores fratres plerumque in episcopalibus sedibus fulgebant. Ad annum 1508 praesules ecclesiasticos numero 52 Hibernia dominicana produxit, ex quibus plures autem Angli natu exsistebant. Primi duo episcopi David MacKelly mortuus velut archiepiscopus Casselliensis 1253 et Alanus O'Sulliven episcopus Clonensis (1240/47) et postea Lismorensis (1217/52), e celtica stirpe oriebantur, primates Armaghani Reginaldus (12407/56), Gualterus de Jorz (1307/1311), Rolandus de Jorz (1311/22), archiepiscopi Dublinenses Ioannes Darlington (1279/92), Guillelmus Hotham (1296/98) magna facta magnis nominibus iunxerunt.

Litteris fratres Hiberni parce praestabant. Et quae a natione Hiberniae ad lucem emissa sunt, plerumque Anglos natu auctores habent, ut Ioannem Darlington, Guillelmum de Hotham, Gualterum de Jorz. Godefridus de Waterfordia, saeculi XIII filius, mira linguarum eruditione conspicuus talenta sua verbo et scriptis palavit, historias consignans et opus Aristotelis de regimine regum gallice vertens. Historiae peritis anonymus quidam circa annum 1274 et Stephanus de Exonia eodem tempore florens adnumerentur.

§ 44. Provinciae Gracciae, et Terrae Sanctae, Societas Peregrinantium. Ordo unitus Armeniae.

In territorio *Graeciae*[1] provincia fratrum missionariorum saltem ab anno 1228 fuit, qui praecipue curae animarum christianorum latinorum in illis regionibus degentium sed etiam extendendi ordinis

causa ad Graecos perrexerunt. De conventibus notitiae fere desunt. Ex septem anno 1277 exsistentibus domibus unus conventus in insula Creta fuit, alii Clarentini et Thebarum (Gallorum), Nigropontensis et Candiensis in Creta (qui erant Lombardorum), Motonensis, alius in Canea ex anno 1306. Iuxta principatum vel influxum Gallorum vel Italorum huiusmodi divisio conventuum explicanda est, Saepius residentiae ex uno loco ad alium mutabantur.

Historiam provinciae fere unice ex rebus fratrum Constantinopoli degentium illustrare licet. Ibi si non conventus domus saltem una Dominicanorum erat, prima iam ante annum 1233. Illo autem anno fratres Petrus de Sezana cum sociis suis ad imperatorem Graecorum missi ibi laborabant.

Petrus Constantinopoli etiam aliquem Mahometanum convertit. Postea Andreas de Longjumeau anno 1238 (1241) reliquiam Coronae spineae Constantinopoli in Franciam portavit. Anno 1239 Galli ad inhabitandum petuntur. Sub instauratione graeci imperii Mendicantes, annis 1261/67 quidem ab urbe Byzantina pulsi, mox ob commercia Ianuensium, Pisanorum et Venetorum restituta Constantinopolim redierunt. 1296 Ianuenses ecclesias tres Perae possidebant, ex quibus una S. Pauli probabiltier a Dominicanis possidebatur. Cum Guillelmus Bernardi unus ex validioribus missionariis orientis novum conventum Constantinopoli 1299 fundasse dicatur, et in elencho conventuum anni 1303 duae domus Constantinopolitanae non registrentur (utpote extra Graeciam latinae ditionis sitae), supponendum est, hos conventus principium societatis Peregrinantium formasse.

Provincia Graeciae fratribus illustribus non caruit. Etenim usque ad 1308 8 episcopos numeravit, e quibus archiepiscopus Guillelmus de Moerbeka annis 1280/81 Corinthi residebat. Insuper negotium unionis ecclesiasticae docte et zelose vel ipsius Papae iussu fratres per Graeciam perfecerunt. Ita anno 1234. Deinde 1256 in Graeciam Constantinus Urbevetanus legationem suscepit annis 1267/68 et 1277 aliis in eodem munere sequentibus. Ubi verbum sacrum inter Graecos non vicit, fratres Praedicatores ex mandato pontificio auxilium brachii saecularis ad defendendam dominationem latinam super Graecos praedicatione postularunt, ut plures litterae ad provincias Franciae, Hungariae, Poloniae, Aragoniae missae testantur.

Fructus studiorum (habuit provincia Graecia suum « studium ») per litterarum sacrarum promotores praesentantur, ex quibus citandi occurrunt Bonacursius (circa 1230/80 Graeciae adscriptus, qui The-

saurum veritatis fidei graece consignavit, quod opus ab Andrea Dato O.P., e libraria conventus Nigropontensis, insimul cum versione latina Ioanni XXII transmissum est.

Ob distantiam a centris plenioris vitae ordinis provinciae Graeciae administratio atque actio languere debebant. Ideo pontificia decreta anni 1334 in capitulis generalibus Argentinensi et Metensi annorum 1417 et 1421 magistro generali commissum est, ut provinciales super Graeciam ipse constitueret. Qui modus habendi provincialem pro Graeciae usque ad 1622 duravit. Ab anno 1474 ad finem nostrae epochae commercia litterarum cum fratribus Graeciae, plerumque Venetis, in registris magistrorum generalium continentur.

Desiderio temporis illius permagno tendendi ad loca, ubi salvator opus redemptionis adimplens vixerat, morem gerentes fratres Praedicatores iam in decennio primo a sua fundatione *Terram sanctam*[2] petierunt. Primus provinciae saltem 1228 formatae prior Henricus de Marsberg Saxo exstitit, qui tribus vicibus ad suam ditionem contendens mare transfretavit. Legendis plurimis initia huius provinciae eiusque conventuum obnubilantur. Terrae sanctae provinciae anno 1277 tres conventus Nicosiensis, Acconensis, Tripolitanus et 1300 (postquam Tripolitanus 1289 et Acconensis 1291 perierunt) nonnisi conventus in insula Cypri Nicosiensis et novae fundationes Famagustana et Limosiensi (Limisso) attribuuntur. In oppido residentiali regis Cypri Nicosiae conventus, « qui est et fuit primus Terrae sanctae» originem ab anno 1226 repetit, relationibus cum regia domo et sepulturis regiis famosus. Alter vero conventus Acconensis ex anno 1229 exstitisse videtur. Tunc enim fratres Praedicatores foederi concludendo inter Fridericum II et sultanum Aegypti El-Kamil interfuerunt. Apud ecclesiam Acconensem corpus B. Iordani de Saxonia anno 1237 tumulatum est, postquam ipse e visitatione Terrae sanctae abiens naufragio interiit. Iuxta patriam suam fratres Acconenses Angli, Germani, Itali, Hispani, plurimi vero Galli erant. Capta vitate per Saracenos anno 1291 fratres omnes ab expugnatoribus interfecti sunt. Tripolitanus conventus tertius erat saltem ab anno 1241 exsistens et 1289 in clade Tripolitana desinens.

Praeter hos conventus et aliae residentiae fratrum innotescunt. Quod enim nostrates Hierosolymam ingressi sunt ibique inter 1229/44 ministerium expleverunt, constare videtur non solum ex narratione Ricoldi de Montecrucis circa locum, quem fratres praecedentis temporis inhabitaverant, sed etiam ex nuntio provincialis Philippi ad Gre-

gorium IX anno 1237 de patriarcha Iacobitarum, quem Hierosolymis ad Ecclesiam reduxit. Frater Simon in civitate Hierosolymitana notissima fama circa anum 1244 gaudebat. Ex saeculo sequenti exemplum devotionis versus civitatem sanctam fratrum Aragonensium citetur, pro quibus rex Iacobus II 1322 a sultano administrationem et custodiam sancti sepulchri expetivit. Quo praetextu id ei denegatum est, nescitur. Antiochiae Dominicani 1264 notantur et 1268 plurimi, dum sultanus Bibars urbem expugnaret, martyrio obierunt. Accessiones novarum domorum inter 1266/96 varie postulatarum de facto vel non evenerunt vel post calamitates in Syria et Palaestina habitas nonnisi tamquam refugia in Cypro intelligendae sunt.

Conventus Cypri ex fratribus occidentalibus sustentabantur. Propter difficultatem vitae conditionis et rei pecuniariae provincia Terrae sanctae super contributionibus anno 1302 dispensata est.

Clariores fratres etiam hanc ultramarinam ditionem ordinis in primis saeculis illustrarunt. Magno Ecclesiae fructu in solamen ac conservationem christianorum Latinorum et interdum ad conversionem Mahumetanorum fratres missionem suam obibant, patriarchas Hierosolymitanos, archiepiscopos Antiochenos, Nazarenos, episcopos Bethlehemitanos et Cyprenses plures producentes.

Scholas cum lectoribus ad fratres instituendos provincia possedit. Eruditiores fratres Terrae sanctae probabilius ab Aquinate quaesierunt, ut opuscula de rationibus fidei contra Graecos, Armenos et Saracenos cantori Antiocheno dicaret aliudque de regimine principum ad regem Cypri dirigeret. Studiorum conventus in conventu Nicosiensi designatus est, in quo Nicolaus de Marsiliaco e processu canonizationis S. Thomae cognitus anno 1303 lectorem egit.

In saeculo XV potius Itali hanc provinciam fratribus repleverunt, sed neque alii, ut Germani, defuerunt.

Societas Peregrinantium propter Christum congregato fratrum Praedicatorum erat, circa annum 1300 in oriente fundata, quae missionis labori prope Pontum Euxinum, in partibus Persidis et Tatariae praecipue instabat. Specimen ipsa particularis congregationis pro exteris missionibus praebet. Eius origo non quidem ad bullam Innocentii IV anni 1253 redit, sicut interpretationes erroneae vellent, sed tamen ante famosam epistulam magistri generalis Berengarii de Landore datam die 20 octobris 1312 iacet. Tunc enim iam quidam fratres Peregrinantes sub uno vicario in plagis orientalibus labo-

rantes supponuntur. Similem congregationem Franciscani tempore Urbani VI inchoarunt.

Ex statuto magistri Berengarii innotescit munus vicarii generalis, qui a vocalibus conventuum electus super partes suae ditionis habito consilio discretorum fratrum vicarios super diversas regiones constituere potest. Societati facultas fit recipiendi aliarum provinciarum exceptis Graeciae et Terrae sanctae filios et etiam novitios nativos terrarum, ub ipsa propagatur. E novitiis autem pro studiis artium, philosophiae, theologiae in occidentem unum vel duos mittent, praecipue in provincias Provinciae, Lombardiae superioris, Tusciae. Ob distinctionem muneris missionarii Peregrinantes, si in conventibus extra suam societatem exsistentes moram trahunt, locos in choro et refectorio post priorem habeant. Primus vicarius Peregrinatium Franco Perusinus exstitit, qui e lectore in sua Romana provincia, apostolus orientis evasit a Bonifatio VIII legatus et nuntius effectus et auctoritate magna munitus est pro munere verbi fructuoso explendo. Residentiam Caphae fixit, quae civitas ad imperium Tatarorum pertinebat. Lingua Tatarorum plene utebatur. De successibus Franconis edoctus Ioannes XXII eum archiepiscopum Sultaniensem renuntiavit nominando sex suffraganeos ex eius sociis nempe Geraldum Calvensem, Guillelmum Adae, Bartholomaeum de Podio, Bernardinum de Placentia, Bernardum Moreti, Bartholomaeum Abaliati. Archiepisco Sultaniensi cura distribendorum auxiliariorum episcoporum relinquebatur. Guillelmus Adae Avenione consecratus ad consecradum Franconem destinatus est. Excitante eodem Summo Pontifice ordinem litteris ad capitulum generale Tolosanum 1328 directis magister generalis provincialibus commisit, quod « fratres de suis provinciis, quos ad hoc repererint voluntarios, non nimis iuvenes nec nimis antiquos, bene religiosos, discretos et sufficienter litteratos societati Peregrinantium propter Christum » assignarent. Dignum responsum ordinis plurimos fratres voluntarios exhibentis et summa satisfactio Papae cum favoribus ecclesiasticis notabantur.

Nec his satis erat, sed Bartholomaeus Bononiensis, dictus Parvus, in Armenia praedicatione et episcopatu celeberrimam actionem ecclesiasticam instauravit. In conventu Chernensi inter fratres suos post merita maxima collecta 1333 obiit.

Ex calamitate pestis actio et numerus Peregrinantium ita diminuebantur, ut capitulo generali 1363 Magdeburgi celebrato conventus et monasteria Perae, Caphae, Trebisundarum cum provincia Grae-

ciae coniungere bene visum sit. At missionarii intrepidi a Gregorio XI bullam sollicitarunt, vi cuius magistro generali Eliae Raymond mandatur, ut ex provinciis Aragoniae, Tolosana, Hispaniae, Franciae, Provinciae, Lombardiae et inferioris et superioris, Romana, Graeciae fratres ad augendos misisonarii orientis deligerentur. Addidit idem Papa constitutiones, quibus conventus et domos Chiensium, Caphensium, Trebisundensium, Perae eidem congregationi restituit. Magister ordinis autem vicarium generalem Peregrinantibus Eliam Petit praeposuit domosque plures ex provinciis Poloniae et Hungariae huic societati aggregavit. Instructionibus et facultatibus muniti missionarii e Gallia per urbem Ianuensem Constantinopolim 1374 profecti sunt. Sub Raymundo Capuano innotescunt societatis Peregrinantium contratae Russiae, Valachiae maioris et minoris, Armeniae, Georgianae, Tatariae, Gazariae, Romaniae. Moldaviae. Et anno 1508 apparet natio Abbasinorum in terra Peregrinantium.

Postquam anno 1453 capta a Turcis urbe Byzantina vicarius generalis occisus fratresque fugati sunt, quaestio de conventibus societatis Peregrinantium ad vicinas provincias tribuendis redivit. Etenim iuxta capitulum generale Montispessulanum 1456 conventus Russiae ad provinciam Poloniae, conventus Moldaviae et Valachiae ad Hungariam, conventus in Graecia et Caphenses ad provinciam Graeciae uniri debuerunt, cum per unum vicarium gubernari non amplius possent. Et iterum, licet haec ordinatio approbata et confirmata vim constitutionum obtinuerit, societas Peregrinantium per vicarium generalem Christophorum Viterbiensem instantias Summo Pontifici submisit. Atque Pius II die 12 iunii 1464 societatem Peregrinantium cum suis iuribus et privilegiis restauravit, cassatis placitis capitulorum generalium societati infensorum. Ita societas usque ad saeculum XVI duravit, fratribus Italis plerumque composita, sed et Germanis, Polonis, Hungaris, Anglis.

Alia res specialis in administrandis missionibus fratrum Praedicatorum praeter societatem Peregrinantium in *ordine fratrum Unitorum Armeniae*[4] habetur, qui ad modum ordinis Praedicatorum constituti, suae fundationis praeparationem ad virum clarissimae memoriae nostrum Bartholomaeum († 1333) referentes, intime cum imo sub obedientia ordinis vixerunt. Abbas Ioannes monasterii S. Basilii prope civitatem Cherna spiritu unionis ecclesiasticae repletus cum post annum 1333 occidentem petierit, regularem vitam ibi admirans, ratus est in sua patria regulam S. Augustini et constitutiones

ordinis Praedicatorum assumere. Quod et ipse cum monachis suis perfecit, professionem emittens in manus Ioannis de Florentia O.P., episcopi urbis Theflis, qui et superior provincialis huius ordinis Unitorum primus exstitit. «Etsi Dominicanis per omnia similes ad ordinem fratrum Praedicatorum inde ab initio non plene pertinebant ». « Puncta diversitatis inter ordinem Praedicatorum et ordinem Unitorum quoad observantiam regularem in bulla Bonifatii PP. IX d. 28 apr. 1399 memorantur: quod Unitores carnes ederent et in communi possessiones et redditus retinerent. Alia erat diversitas quoad colorem habitus. Non enim habebant scapulare album, sed vestiebantur omnes sicut conversi ordinis Praedicatorum». Missi legati fratres Thomas et Eleutherius ad curiam Romanam anno 1356 obtinuerunt a Sancta Sede et magistro ordinis dominicani, «ut magister fratrum dicti ordinis Praedicatorum... per se seu vicarium suum talem et tantam in visitando, corrigendo et reformando vestrum ordinem in capite et membris potestatem habeat qualem et quantam in ipso Praedicatorum ordine noscitur habere ». Distinctione ordinum remanente, communitas fratrum quaedam viguit, quae temporibus belli et persecutionum fratribus Unitis plura commoda apud Praedicatores causavit, cum tunc ad ipsum ordinem Praedicatorum facile transire et in eo licite profiteri potuerint. Ex registro magistri Raymundi Capuani exempla plurima sunt regiminis nostri super fratres Unitos.

Anno 1374 huiusmodi fratres Uniti numerum centenarium non attigerunt. Possidebant vertente saeculo XIV in sola urbe Capha conventus tres S. Nicolai extra urbem, S. Iacobi et SS. Petri et Pauli Caphae. Vel studium maius habbant ad modum studiorum ordinis Praedicatorum dispositum at conventus principalis ille Chernensis mansit. Litteris sacris tum theologiae tum liturgicis elaborandis sedulam operam dabant.

§ 45. Congregationes observantiae.

Reformatio observantiae vergente saeculo XIV in ordine promota ad speciales congregationes efformandas perduxit, quae quidem in initio intra corpus provinciarum remanserunt, postea autem saeculo XV exeunte et saeculo XVI intrante saepe plenam independentiam administrativam nanciscebantur.

Cum ordo Praedicatorum iuxta intentionem fundatoris nonnisi ad facilius reddendam administrationem in varias provincias divisus fuerit, provinciae non districtus visitationis vel particularis modi vivendi seu observantiae erant sed districtus adminsitrationis.

At si societas Peregrinantium praeter provincias distinctam ditionem formabat, in registris ordinis sub speciali divisione et rubrica memoratam, ex praeceptis et privilegiis a magistris ordinis vel Papis concessis corpus iurium sibi congregationes compararunt.

De singulis congregationibus disserere easque vel solo elencho recensere supervacaneum aut impossibile existimatur, cum indagationes praeviae plerumque desint et tota res ad generaliorem historiae expositionem parum conducat.

Notissimae quaedam congregationes mentionem specialem merentur. Ante omnes illa congregatio *lombardica*. Nomen ipsa recepit a partibus Lombardiae, ubi per Ioannem Dominici observantia primum in Italia introducta fuit. Conventus Venetiani tum S. Dominici, tum SS. Ioannis et Pauli ac monasterium Corporis Christi Ioanni Dominici vicario generali anno 1393 subdebantur, quare ab illo anno fundatio huius congregationis repetitur. « Cui vero paulatim nedum ex utraque provincia Lombardiae inferioris et superioris sed etiam ex Romana et Regni provinciis maiores ac principaliores domus, Minervitana scilicet Urbis anno 1427 et S. Dominici Maioris Neapolitana 1493, sic iubente magistro ordinis vel etiam Summo Pontifice adscitae sunt ».

Ad hanc congregationem anno 1451 conventus Florentinus S. Marci uniebatur, et post interruptionem (ab 1465) iterum 1474, accedentibus quoque ad lombardam societatem conventibus Faesulano et S. Geminiani.

Zelo multo indulgens Thomas de Leuco vicarius generalis Lombardorum 1459 a Pio II Mantuae commorante impetravit constitutionem iuridicam congregationis lombardicae conventuum reformatorum et reformandorum immediate magistro generali subiectae absque ulla intermedia auctoritate provincialis ac facultate etiam celebrandi capitula sua pollentis. Quamobrem sub Pio II dissensus inter caput ordinis et ducem Observantium Lombardiae notabantur.

A congregatione lombardica Hieronymus Savonarola conventum Marci subtraxit, ut observantias quasdam institueret. At nonnisi anno 1494 congregatio *S. Marci* constituta est delegata per magistrum ordinis Hieronymo Savonarola potestate provincialis. Interveniente

Summo Pontifice mox unio huius congregationis cum illa lombardica praecepta est et nova congregatio Tusciae formata. Quam accomodationem utique aegre Savonarola tulit. Eo defuncto particularitates Marcianorum sedulo eradicabantur.

Congregatio *hollandica* circa medietatem saeculi XIV ortum habuit. E conventu Bononiensi, ubi studuerant, fratres quidam Hollandi in patria reversi observantiam strictiorem in nova fundatione conventus Rotterodamensis anno 1444 facta colere sibi proponebant. Ad novum conventum Calcariensem in Rhenania erigendum dux et cives Clivienses e fratribus Rotterodamensibus quosdam adsciverunt, conventu Haagensi 1456 ad observantiam transeunte. Attente mutationem hanc trium conventuum provinciae Saxoniae vicinorum fratres Gandavenses ad provinciam Franciae pertinentes perspexerunt. Et visitante magistro generali Martiali Auribelli illas partes, ad eius hortatum et conventus Insulensis observantiae dictis quattuor fundationibus adhaesit, constituto super illos quinque conventus Ioanne Excuria (Uytenhove) vicario, qui vir spiritu religionis fervebat et excellebat. Dum anno 1460 observantiam in conventibus Harlemensi e Wesaliensi tentarent, factio Conventualium obstacula multa rei perficiendae adstruxit. Reformatione in conventu Harlemensi feliciter introducta, conventus Wesaliensis ab hac nova vivendi ratione impediebatur. Postquam magister ordinis die 27 decembris 1460 fratres conventuum reformatorum congregationis Hollandiae provinciae Saxoniae a potestate provincialis exemit, Pius II die 3 februarii 1462 hanc congregationem sua auctoritate agnovit et ordinavit.

Vicarius generalis super Observantes a magistro generali nominandus erat, provincialis facultate de Observantibus ordinandi sublata, relatione autem extrinseca cum provincia Saxoniae servata. Anno 1464 Conradus Astensis magister generalis Insulis commorans conventuum gallicorum rem cum congregatione hollandica composuit, frustra reclamante provinciali Franciae. Ita mense octobri 1464 congregatio hollandica conventibus Insulensi, Gandavensi, Harlemensi, Duaceno, Noviomagensi, Haagensi, Rotterodamensi, Calcariensi et Bruxellensi constabat accedentibus mox aliis ut Bremensi, Magdeburgensi, Rostocensi, Dorpatensi, a terris Britanniae minoris, Hollandiae per Germaniam septentrionalem, Saxoniam, Borussiam usque ad Daniam regionesque extremas balticas. Universim numerus conventuum congregationi hollandicae ad 66 et ille monasteriorum ad

9 crevit. Convocationes in hac ditione quotannis celebrabantur. Sub vicario generali vicarii nationales stabant.

Ad primum vicarium generalem Ioannem Uytenhove in regenda hac congregatione latissima secuti sunt Adrianus de Mera, Albertus Petri, Michael François, omnes religione scientia, pietate conspicui. Per Engelbertum Cultificis 1468 conventus Zwollensis fundatus est, in quo Alanus de la Roche instaurator rosarianae illae devotionis obiit, quae per patres congregationis hollandicae insimul cum patribus Saxoniae et Coloniensibus summo zelo propagabatur.

Afferenda denique est congregatio *Ragusina*, quae multos viros illustres produxit. Initia sub magistris de Mansuetis et Torriani sumens per generalem magistrum Bandelli 1501 et 1502 approbata fuit. Eius capitula alternis annis celebrabantur cum electione vicarii generalis, qui a praedecessore (non a magistro ordinis) confirmationem obtinuit. Mortuo vicario generali antecedente vel mortuo magistro generali prior Ragusinus auctoritatem confirmationis novi vicarii generalis exercuit.

§ 46. Statistica generalis.

Numericam magnitudinem ordinis Praedicatorum tempore medii aevi exponere difficillimum est, quia non solum historiae fontes nondum satis patent, sed etiam forsitan huiusmodi fontes de re statistica non iuxta desideria respondebunt.

S. Dominicus ipse per annos plurimos paucis cum sociis regionem Tolosanam praedicando circumcursavit. A dispersione fratrum 1217 ordo mirabiliore modo efflorescere coepit. Defuncto quidem sancto fundatore ordo Praedicatorum tantam multitudinem membrorum minime nutrivit, quantam fratres Minores iam attigerant. Dum compilatores Annalium Ordinis numerum conventuum anno 1221 exsistentium ad 60 coenobia indicare vellent[1], iuxta computum Quétif-Echard[2] nonnisi conventus 40, et iuxta Cristianopoli, Balme, Scheeben circiter 30 fundationes[3] pro anno 1221 vere probantur. Propagatoris ordinis munus et honor et titulus particulari modo B. Iordano de Saxonia competit, qui ardenti animo ideas S. Dominici coram coetibus iuvenum maxime in spem ordinis adaptorum praedicavit, multosque ad ordinis assumptionem attraxit, ordinemque in paupertate, ministerio verbi divini, cultu sacrae doctrinae vehementer atque validissime direxit, ita ut sub eo non solum fratrum Praedicatorum or-

do quantitate magnus, sed et pondere atque influxu conspicuus evaserit, locumque in societate ecclesiastica sui aevi maiorem nactus sit[4].

Iuxta aestimationem patris Mandonnet[5] ordinis numerus fratrum erat:

Circa	7000	anno 1256
»	10000	saeculo XIII exeunte
»	12000	anno 1337

Qui numeri certe sobrietate potius se commendant ac ille computus patris Martinez Vigil[6], qui pro 1245 ordini 30000 fratres tribuit.

Quoad numerum conventuum, domorum et monasteriorum ordinis accuratiores computi habentur, quam de numero fratrum. Imprimis in re tam ardua et difficili duae notitiae apud Bernadum Gui asservatae occurrunt[7]. Etsi notitiarum eius duplex elenchus incompletus sit[8], tamen magni habetur. Unus horum elenchorum est anni 1277 occasione capituli generalis Burdegalis conscriptus. Alter vero ab eodem auctore post divisionem provinciarum anno 1303 compilatus est. Si huic numero aliae fundationes usque ad annum 1310 factae et ab eodem Bernardo Gui notatae adduntur, ordo Praedicatorum circa annum 1310 conventus 579 qui fratribus inserviebant, et monasteria 144 pro sororibus possidebat[9].

Sub Benedicto XII descriptio totius ordinis imposita legitur. Quidam nunc de mandato hoc suspectum Benedictum XII habent, qui cum tali descriptione fratrum melius sua conamina ordinis dominicani reformandi exsequi potuisset[10]. Capitulares vero generales anno 1336 Brugis congregati rationem huius impositionis statisticae cum ordinatione circa aptiorem dispositionem domorum pro novitiatibus destinatarum connectunt. « Ut autem magistro ordinis ac generali capitulo innotescat, qualiter praesens ordinatio (de specialibus domibus novitiatuum) fuerit observata, mandamus prioribus provincialibus universis, quatenus singuli numerum conventuum et fratrum provinciarum tam professorum quam novitiorum per definitores suos mittant ad sequens capitulum generale»[11]. In capitulo sequenti anno 1337 apud Valentiam celebrato relatio provincialium super status suarum ditionum non iuxta editionem recentem apparet. At si Sebastiano de Olmeda chronistae fidem fecimus, ex tali descriptione 12000 fratres recensiti sunt[12].

Tertiam demum tabulam synopticam domorum ordinis Praedicatorum anno 1358 consignatam ex codice Barcinonensi transsumptam archivum ordinis servat.

Talis autem legenda apponitur huic tabulae: « **Praedicta** fuerunt computata et scripta in Avenione in hospitio Rmi in Xo Patris D.ni Cardinalis Aragon. [Nicolai Rosell] de mense decembris anno a nativitate Dni MCCCLVIII »[13]. In variis partibus praecipue circa rem sororum tabula Roselliana deficere aut non ubique eadem perfectione exarata fuisse videtur. Exhibet haec tabula provincias 18 et societatem Peregrinantium, conventus 631, monasteria vero 166. Codex quidam Spalatensis refert in saeculo XIV aliquando (ante vel post pestem?) summam locorum fratrum Minorum per universum orbem fuisse 1277, e contra summam locorum Praedicatorum in universa terra ad 401 ascendisse[14].

Ope indagationum specialium numerus non solum conventuum, verum etiam fratrum erutus, haud parvi momenti esset pro illustrandis quaestionibus de administratione et observantia. At campus hic plane incultus iacet. Circa tempus pestis annorum 1348 et 1450[15] notabiliter ordo decreverat. Immensae quidem aedes conventuales medii aevi eloquentissimum nobis sermonem dirigunt atque ex parte ideam numeri inhabitantium communicant, at hic numerus saepissime mutabatur.

Ad particulares statisticas spectat relatio numeri defunctorum annis 1256/57, qui 320 erant[16]. Studiorum conventus facile centenos fratres alebant. Conventus Londoniensis[17], Ulyssiponensis pro 100[18] fundati sunt. Coloniae 80-100 fratres ante 1350 residebant[19]. Dum in saeculo XV sensim conventus depopulabantur[20], domus observantiae strictioris vel florebant vel novae erigebantur. Conventus S. Marci, ante Savonarolam fratres 60 alebat, sub Savonarola anno 1495 fratres super 200[21], conventus Basileensis, qui in saeculo XIII fratrifratres 50 praesentes et 36 absentes filiosbus 40 constabat[22], anno 1482 nativos numerabat. Vindobonae eodem tempore fratres 70 notantur[23].

Generalis conspectus ex tribus tabulis, numerum domorum referentibus, sequenti modo disponatur.

Provincia	Fratrum				Sororum			
	conventus (1277)	conventus (1303)	conventus (1358)	domus (a. 1358)	monasteria anno 1277	monasteria anno 1303	monast. incorporat. anno 1358	monast. non incorp. anno 1358
Hispaniae	35	29	31		2	6	9	
Tolosana	—	25	36		—	3	4	
Franciae	52	57	63		4	7	7	
Lombardia (inf.)	46	33	37		3	13	13	
Romana	43	25	25		3	11	16	
Regni Siciliae	—	37	38		—	4	7	
Hungariae	30	33	33		2	3	3	
Teutoniae	53	49	50		40	65	65	
Angliae	40	86	93		—	—	1	
Poloniae	36	35	38		2	3	3	
Daciae	28	27	27		1	2	3	
Graeciae	7	6	7		—	—	—	
Terrae sanctae	3	3	3		—	—	—	
Aragoniae	—	19	20		—	2	3	
Bohemiae	—	22	24		—	6	6	
Provinciae	42	26	31		1	2	3	
Lombardiae (sup.)	—	27	27		—	5	4	9
Saxoniae	—	51	50		—	9	9	
Soc. Peregrinant.	—	—	2	8	—	—	1	
Summa	404	590	635	8	58	141	157	9

V. Habitudo ordinis ad clericos et ordines alios.

Imprimis ergo habitudo ordinis Praedicatorum ad clerum saecularem perstringatur. Per ordines Mendicantium (magis quam per religiones canonicales) compagines dioecesanae rumpebantur. Etenim praeter episcopos et parochos nunc alii sicut fratres Praedicatores ceterique Mendicantes immediate ab auctoritate apostolica concessis privilegiis fruentes stabant, qui curam animarum exercere poterant et debebant.

Deinde habitudo fratrum Praedicatorum ad alios ordines consideretur. Ex quo tum auxilium mutuum religiosum tum pro Ecclesiae ornatu spiritualis industria diversis sub vexillis ducum sacrorum tum dissensus et consensus varii explanandi occurrunt.

§ 47. Relatio ordinis cum clero saeculari.

S. Dominicus anno 1215 cum sociis suis ad officium praedicationi in dioecesi Tolosana destinatus, intimam unionem cum episcopo huiusque clero habebat[1]. Postquam praedicationem universalem intendere potuit, pontificiis commendationibus pro diversis ordinariis orbis catholici tum bulla generalis tenoris die 11 februarii 1218 data tum aliis particularibus auctus est[2]. In his bullis facultas praedicandi ubique fratribus Praedicatoribus concessa supponitur, attamen et in constitutionibus anni 1228 fratribus visitatio apud episcopos facienda consulitur, ut cum eis de fructu, quem curare intendunt[3], conferant.

Etsi ex parte ordinis concordia cum clero saeculari in cura animarum quaeritur, nihilominus ordo suum ius liberae actionis minime frustra roborare cupit, ut B. Iordanus monstrat[4]. Neque habitudines cleri saecularis in fratres pacificae semper manserunt.

Ex praedicatione sola, qua illo tempore opus tam vehementer erat, relatio ad clerum saecularem perturbari non valuisset. At accesserunt aliae rationes. Iam anno 1216 fratres Praedicatores ius receperunt, sepeliendi in suis coemeteriis etiam laicos extraneos[5]. In hoc iure ansa discordiae sita est, cum praedilectio sepulturae apud religiosos parochis vel sacerdotibus cleri saecularis invidiam quamdam excitare potuerit. Deinde crescente ordinis labore pro salute animarum per propositionem verbi Dei et administrationem sacramenti paenitentiae, ex quibus frequentatio ecclesiarum fratrum Praedicatorum vel in genere Mendicantium sequebatur, oppositio inter clerum paroecialem et ordines Mendicantium oriri coepit.

Si abstractio fit ab excessibus, quae in saeculo XIII tum ex parte Mendicantium tum ex parte cleri saecularis commissi sunt, radix aversionis clericorum multorum in Mendicantes repetenda est ex «usu cogitandi, tunc temporis late diffuso, scilicet ad curam animarum solummodo clerum parochialem ius habere et vocatum esse, quare cura animarum cuiusque generis ab aliis suscepta violatio iurium parochialium esset »[6].

Ex hoc quod ordo fratrum Praedicatorum cum proprio regimine et regula et statutis per Apostolicam Sedem agnitus atque approbatus est, *exemptionem* a iurisdictione episcoporum quoad relationes iuridicas et spirituales fratrum inter se obtinuit. Huiusmodi exemptione ordines antiqui iam gaudebant[7]. Ut Romana Ecclesia novis copiis regularium virorum apostolico spiritu praeditorum ad magnos fines salutis animarum rite uteretur, eis facultates particulares tribuit, quibus muniti de consensu episcoporum fructum spiritualem in praedicando et ministerio confessionali carperent. Zelantes praesules libenter has copias auxiliares Ecclesiae in suis dioecesibus introducebant. Nec deerant synodi dioecesanae, quae imponebant, ut fratres Praedicatores et Minores tamquam praedicatores adhiberentur. In quibusdam regionibus episcopi munus conservatoris apostolici habebant, quod in gratiam Mendicantium eorumque iurium tuendorum concessum erat. Iudicio summorum rectorum Ecclesiae saeculi XIII ministerium sacrum per Mendicantes exercitum non solum tamquam utile, verum quoque velut necessarium habitum est. Quod Papae et praesules agnoscebant[8], etiam patres concilii Lugdunensis II aperte testati sunt[9].

Si quoad ministerium sacrum (quod omnibus indigentiis spiritualibus inclusa sepultura, excluso tamen baptismate, nisi ecclesia fratrum erat paroecialis, prospicere potuit) inimicitia in fratres primum Parisiis 1217[10] et deinde in pluribus aliis locis (celebres sunt casus Bergensis in Norvecia[11] et Coloniensis[12]) exarsit, ex influxu doctrinae ac magisterii ipsius ordinis pariter Parisiis 1252 et iterum 1268 per magistros cleri saeculares impugnatio Mendicantium promota est, quam Albertus Magnus et Thomas de Aquino in scientificis tractatibus refellerunt[13], dum Romani Pontifices variis decretis rem composuerunt. Dum per respectum ad ministerium sacrum Innocentius IV die 17 septembris 1245 ora calumniatorum in fratres obstruebat[14], ordo Praedicatorum suos fratres non solum ad pacem cum praelatis servandam, verum etiam ad monendos fideles et decimis solvendis parochis adhortatus est[15]. Lis contra Mendicantes in universitate Parisiensi mota per Alexandrum IV aeque finita est, qui et die 28 martii 1261 mare magnum[16] pro ordine Praedicatorum dedit, cuius principia ad habitudinem cum episcopis et clero saeculari haec sunt: fratres ab ordine constituti in conventibus theologiam docere possunt. Episcopi negotiis fratrum ne se admisceant. Fratres libere possunt sacros ordines ab episcopis petere, sacra celebrare tempore in-

terdicti generalis, in terris excommunicatorum degere et victum rogare, liberam sepulturam in ecclesiis cuicumque concedere. Sicut nulli decimam persolvere fratres tenentur, ita a pluribus obsequiis praelatorum vel legatorum et a portione canonica solvenda liberantur.

Martinus IX 1282 bulla «Ad fructus uberes» Mendicantes ad praedicandum et confessiones audiendas absque approbatione ordinariorum vel parochorum praevia requisita munivit, obligatis tamen fidelibus saltem una vice per annum parocho confitendi[17]. Contra hoc privilegium sicut et contra sequentes concessiones vel roborationes variae impugnationes iurium Mendicantium per episcopos sequebantur. Praesertim in Gallia episcopus Ambianensis Guillelmus disputationes cum fratribus Praedicatoribus et Minoribus excitavit, de quibus ad archiepiscopum Remensem anno 1287 refert[18]. Duo legati papales, quorum unus cardinalis Benedictus Gaetani futurus Bonifatius VIII, qui anno 1290 pro re pacis inter Aragoniam et Franciam Parisios venerunt, etiam in quaestione Mendicantium decernere debebant. Quod in favorem Mendicantium fecerunt[19]. In pontificali autem dignitate Bonifatius VIII, sententia privata mutata, die 18 februarii 1300 vi bullae « Super cathedram » statuit[20]: Mendicantes in suis ecclesiis et in locis publicis libere posse praedicare, excepto tempore quo ipse praelatus loci praedicet, in ecclesiis autem paroecialibus eos licentia parochi indigere. A superioribus ordinis fratres habiles tamquam confessarios episcopis esse praesentandos, qui eosdem approbare debeant. A casibus utique reservatis eos solum cum delegatione episcoporum absolvere posse. Libertatem eligendi sepulturam imposterum quoque fidelibus integram manere. De quibuscumque obventionibus tam de funeralibus quam aliis ad quoscumque usus certos, «de quibus etiam quarta seu canonica portio dari nec exigi consueverit vel debet de iure » et quibuscumque aliter donatis in favorem fratrum quartam partem paroecialibus sacerdotibus et ecclesiarum rectoribus seu curatis integraliter largiendam esse.

Haec bulla deinceps res cleri saecularis et Mendicantium ordinavit. Holzapfel quidem aestimat, Bonifatium VIII iuribus episcoporum et parochorum satisfecisse, quin industriam Mendicantium impediret[21]. Etiam Mortier opus sapientiae Bonifatii VIII agnoscit[22]. At saltem interna vita Mendicantium dure ex statuto Bonifatiano percussa est, exinde ad novam evolutionem conceptus paupertatis directa. Benedictus XI bullam praedecessoris abolevit, quo actu bonum pacis non fovit. Ideo Clemens V bullam « Super cathedram » resti-

tuit, usque ad pontificatum Sixti IV valituram. Intercesserunt interstitia suspensionis, at bulla famosa Bonifatiana velut fundamentum pacis utriusque partis semper revixit[23].

« Quodsi non obstante hac re adhuc saepius contentiones ortae sunt, abhinc eo causatae erant, quod una vel altera pars legem non observabat»[24]. Anno 1321 Ioannes de Polliaco magister theologiae ob theses erroneas Mendicantibus inimicas damnatus est[25]. Richardus Fitz Ralph archiepiscopus Armaghanus circa annum 1350 in Mendicantes locutus est coram ipso consistorio Avenione[26]. Versus annum 1406 Basileensis episcopus Humbertus de Neuenburg[27], et moxque (1409) Ioannes Wichet magister in Anglia[28] et postea Philippus Norweys, natione Hibernus, magister pariter in Anglia, doctrinas singularissimas de Mendicantibus proferebant, quae instantibus quatuor ordinibus Mendicantium ab Eugenio IV in consistorio diei 24 augusti 1440 diiudicatae sunt[29]. At in universitate Parisiensi duo impetus (1442 et 1456) in Mendicantes eruperunt, qui tamen ab eodem Pontifice repressi sunt[30]. Sixtus IV demum nimio favore Mendicantes prosequi cupidus et vi bullae anni 1474 portionem canonicam clero saeculari tradendam suppressit et vi bullae, « aureae » ob nimias datas gratias dictae privilegia Mendicantibus concessit[31]. Quae elargitiones querelas fundatas apud clerum saecularem excitabant. Neque desunt historici, qui favores magis nocuisse quam profuisse Mendicantibus dicunt[32]. Res tandem in saeculo XVI tum in concilio Lateranensi V tum definitive in concilio Tridentino statuta est.

§ 48. Commercium ordinis cum aliis ordinibus.

Respectu ordinum monasticorum fratres Praedicatores ratione suae vitae apostolicae et oeconomicae diversae positionem valde distinctam et diversam assumpserunt[1].

Spiritus ardens et propensio propagationis propriae rei, quibus plures Dominicani maxime primae horae excellebant[2], monachis placere non debuit. Quam displicentiam e. g. Matthaeus Paris aperte in sua chronica notat[3]. Iuxta aversionem autem plurium monachorum in recentiores ordines Mendicantes, exempla piae unionis et fraternitatis adsunt. Iam Honorius III monachos Parisienses ob gratiam fratribus Praedicatoribus ostensam laudat[4]. Abbas Herbipolensis 1246 fratribus Praedicatoribus pretiosam bibliam donavit[5]. Benedictini Leodienses ad scholam Coloniensem dominicanam venerunt[6]. Et A-

quinas sinceram devotionem monachis exhibuit[7] Medio saeculo XIV labentibus disciplina et fervore ordinis Praedicatorum plures ex nostris ad monasteria ordinis monastici se contulerunt[8]. Clemens VII, monachus antea, insignis Thomista et amicus noster extitit[9]. Abbates benedictini plures ex Praedicatoribus sumpti sunt[10].

Cum Cisterciensibus maior habitudo nostratum. Etsi aliam rationem missionandi in partibus Tolosanis S. Dominicus habuit ac Cistercienses, non ob hoc relationes interceptae sunt, sicut et libenter nostri notant, Cistercienses bene eis voluisse ac de eis locutos esse[11]. Monachi Cistercienses in processu canonizationum S. Dominici et S. Thomae testabantur. Aquinas apud abbatiam Cisterciensium Fossae Novae obiit et per longum tempus sepultus mansit. Cistercienses legati vel episcopi societatem fratrum Praedicatorum quaesierunt, ut cardinalis Conradus de Urach, qui Ioannem Teutonicum 1224 secum duxit[12]. In pluribus regionibus Dominicani in vineam missionum penetrarunt, quae antea per Cistercienses exculta fuit. Demum Cistercienses plurimi thomisticae doctrinae adhaerebant[13].

Respectu ordinis Minorum fratres Praedicatores amorem et commercia, quae ex ratione eiusdem aetatis et similis industriae fluunt, habebant. S. Dominicus et S. Franciscus christiano amplexu iuncti sunt[14]. Ex necessitate mendicitatis interdum querelae et rixae inter ipsos hos duos ordines oriebantur[15], sed decretis capitulorum magistrorum generalium vel coetuum provincialium[16] nostris caritas et fraternitas cum Minoribus servanda imponebatur. Ita in constitutionibus anni 1228[17] statutum est: « Fratres Minores sicut et nostri caritative et hilariter recipiantur et secundum facultatem domus pie et honeste procurentur », et 1234 in comitiis Parisiensibus: « Ad dilectionem internam fratrum Minorum melius conservandam volumus, ut infra terminos cuiuscumque ministri provincialis eligatur unus de fratribus Minoribus a fratribus nostris et unus de nostris ab eis si eis placuerit. Et isti duo vice ministri provincialis eorum et prioris provincialis nostri excessus ubicumque factos corrigant et emendent »[18]. Unionem et causam et enuntiationem communem fratrum Praedicatorum et Minorum efficacissimam lis in Mendicantes per magistros cleri saecularis Parisienses promota perfecit. Qua occasione 1255 Ioannes Parmensis minister generalis fratrum Minorum et Humbertus de Romanis magister generalis fratrum Praedicatorum litteras pulcherrimas de pace et unione servanda inter ordines duos dederunt[19]. Ex anno 1262 documentum Barcinonense inter priorem, lecto-

rem et Raymundum de Pennafort ex parte Praedicatorum et guardianum ex parte Minorum « propter roborandam et conservandam caritatem et unitatem et propter exemplum et aedificationem christianorum » pactum servatur, quo fratrum utriusque ordinis numerus indicatur, qui pro festis S. Dominici et S. Francisci vel pro patrocinio suarum ecclesiarum vel pro funeribus fratrum et praesulum ad alterum conventum vel ad comitatum destinatur[20]. Mirum exemplum caritatis fratres Praedicatores Carcassonae dederunt, dum fratres Minores peste infectos curarunt[21]. In doctrina quidem praecipue ex tempore Scoti differentiae et scholae diversae in ordine utroque formatae sunt et in saeculo XV diputationes acriores de Immaculato Conceptu B. M. V.[22], de sanguine Christi mortui[23], de stigmatibus S. Catharinae Senensis, fratres Minores a fratribus Praedicatoribus separarunt. Postquam Sixtus IV stigmata S. Catharinae pictura exprimenda non concessit, Urbanus VIII id postea fratribus Praedictoribus permisit[24].

Ordo B. M. V. de Mercede cum S. Petro Nolasco, etiam fundatorem in Raymundo de Pennafort iam ordinem Praedicatorum professo et fautorem efficacem regem Iacobum I Aragoniae nanciscebatur. Ordo Mercedariorum die 10 augusti 1223 Barcinone institutus est. Merita S. Raymundi de Mercedariis consistunt in vestitione S. Petri Nolasci, in eius institutione tamquam magistri generalis, in adlaboratione pro constitutionibus et obtentione confirmationis ordinis. Quibusdam Mercedariis res gestas aliter exponere volentibus congregatio Rituum anno 1687 declaravit, S. Raymundum fundatorem ordinis de Mercede fuisse[25].

Ordo Servorum B. M. V., qui ex congregatione septem patrum Florentiae 1233 sive 1240 originem duxit, S. Petri patrocinium expertus est. Etenim Innocentius IV, « ut huius ordinis sub titulo B. Virginis exordia agnosceret Petro Veronensi Apostolicae Sedis per totam Italiam inquisitori vigilantissimo Florentiam adventanti negotium hoc inter alia demandavit ». Demum Benedictus XI die 11 februarii 1304 ordinem Servorum B. M. V. confirmavit[26].

Innocentius IV quoque fratribus Praedicatoribus quibusdam ut regulam Carmelitanam reviderent commisit. « Anno Domini MCCXLVII in kal. octobris Innocentius Papa pontificatus sui anno V confirmavit regulam fratrum ordinis de Carmelo modificatam ex commissione eiusdem per d. Hugonem presbyterum cardinalem tituli S. Sabinae et per fr. Guillelmum episcopum Anteradensem ex prima

regula ipsorum, quam dederat eis Albertus patriarcha Hierosolymitanus »[27]. Ipsa S. Theresia testatur, se cum monialibus regulam B. M. V. de monte Carmelo observare sine mitigatione quacumque tali modo quo cardinalis Hugo eam ordinavit et Innocentius IV confirmavit[28]. Sicut Carmelitae plures ita et Augustiniani discipulos fideles Aquinatis dederunt[29].

Ordo Crucigerorum non solum in liturgia, verum etiam quoad constitutiones cum ordine Praedicatorum communicavit[30].

Respectu ordinum militarium fratres Praedicatores obligabantur, quia ex eis titulum magistri pro suo moderatore supremo sumpserunt. Cum equitibus Teutonicis nostrates tum in terris Borussiae tum in Germania meridionali intime collaborabant. Teutonicus ordo etiam liturgiam nostram servatis servandis assumpsit[31].

In Terra sancta fratres Praedicatores cum Templariis bene se habere omni conatu nitebantur[32]. Cum tandem prementibus Philippo Pulchro et Clemente V bellum exitiale Templariis minabatur, inquisitor Franciae Guillelmus Parisiensis O.P. Templarios multos interrogavit. Postquam Clemens V etiam magistro generali Aymerico Placentino insimul cum archiepiscopis Compostellano et Toletano aliisque praesulibus per Castellam et Legionem inquirere in Templarios anno 1309 praecepit, ipse munus huiusmodi modo humano, non adhibito torturae instrumento, exsequens a Papa increpatus est. Ut exactiones pontificias in hac re odiosas ordinis Templariorum eluderet, a magisterio Aymericus sponte discessit[33].

Generatim anno 1276 de transitu membrorum aliorum ordinum ad Praedicatores decretum magistri et capituli generalis venit[34]. Circa distantiam fundationum aliorum ordinum ac nostri servandam zelose vigilabatur[35].

II. PARS. AB ANNO 1508 AD ANNUM 1804

I. Evolutio generalis.

a) REFORMATIO CONTINUATA. EXTENSIO ET DEFECTIO PARTIUM ORDINIS (1508–1578).

Novum tempus vere saeculo XVI etiam in ordinis Praedicatorum historia incipit. Momentosa serie atque industria magistrorum generalium, qui ex parte Observantium provenerant aut horum partes defenderant factum est, ut interius incrementum ordinis roboraretur. Studia augescere in pluribus terris mire pergebant. Haec duplex interna praeparatio fratrum et religiosa et scientifica ordinem Praedicatorum illo tempore pro novis amplissimisque officiis tum Americae missione christiana benedicendae tum terrarum Europae in fide catholica periclitantium et servatores vel saltem monitores esse tum restaurationi ecclesiasticae opem dandi, aptum et fecundum effecit. In quo praecise eius evolutio atque expansio generalis post saecula medii aevi consistit.

Si ex una parte praeclarissimis zelo et patientia in latissimis regionibus Indiarum residentiae et missiones et provinciae formatae erigebantur, et doctrinae sacrae cultus formam potentissimam apud provincias Hispanae nanciscebatur, ita ut ditio hispanica citra et ultra mare ad ordinis bonum gravissima exstiterit, ex alia parte ordo Praedicatorum per incursus Turcarum et insurrectionem protestantium floridas provincias, quae vitae et virtutum dominicanarum exempla sapientissime et fortissime semper expresserant, perdidit. Quae perditio usque ad dies nostros satis deplorari nequit. Dum provinciae mari mediterraneo orientali adiacentes et Hungaria per irruptiones Turcarum devastabantur , provinciae germanicae summa vi et dignitate erroribus novatorum religiosorum obsistentes velut infracti milites in campo aperto plurimum interierunt, nisi vel ipsae in regione sua dominium catholicum servare poterant. Septentrionales Daciae, Scotiae, Angliae provinciae quodammodo absque strepitu succumbebant. At magna martyrum et sanguinis effusi laude regiones hollandicae et Galliarum religionem catholicam et praedicatoriam asseruerunt.

Quae ordo Praedicatorum in saeculo XVI gloriose obtinuit et infeliciter perdidit, magnitudinem rerum illo aevo gestarum formant semper memorandam.

§ 49. A magistro Caitano ad Seraphinum Cavalli.

Magistri generales Bandelli et Clerée propensionem reformationis regularis, quae (Ioachimo Torriani Conventualium coetus membro defuncto) summe commendabatur ne ordo deficeret, velut duces insignes promovebant. Eorum autem regimen diuturnitate necessaria carebat. Ideo, ne fructus iam obtenti et adhuc exspectandi frustrarentur. similis praedecessoribus magister ordinis anno 1508 eligendus erat. Qui et fratribus Praedicatoribus contigit, cum die 10 iunii Romae Thomas de Vio Caietanus voce electorum moderamini generali ordinis praepositus sit, ingenio, scientia, religione prorsus eminens vir ac S. Dominici et S. Thomae filius et discipulus dignissimus[1]. Si tanta auctoritate in curia Romana et coram ordine ipse, dum eligeretur, gaudebat, ex eo profundissima in vitam ordinis actio repetenda sperabatur. Re vera Caietanus, qui 1468 natus aetate sexdecim annorum apud fratres Praedicatores Caietae, qui ad congregationem lombardicam pertinebant, habitum obtinuit, studiisque Neapoli, Bononiae, Patavii vacavit ab anno 1493 professor exsistens post solemnem disputationem in capitulo generali 1494 magister salutatus doctrinae iubar se ostendit. Post magisterium Patavii de cetero et in athenaeo Ticinensi continuatum e commoratione Mediolanensi proponente cardinali protectore Carafa per magistrum Bandelli 1501 procurator ordinis et protegente eodem cardinali 1507 vicarius ordinis Caietanus factus est.

Programma suum noviter electus generalis magister prompte, concinne, sapientissime hunc in modum pandidit: « Divina permissione ad universalem ordinis famulatum assumptus considerans quale ac quantum onus humeris adiectum sit, cum de tam multis districte sim iudici rationem redditurus; cum vero caritates vestras cogito mecum ita enim speramus hoc onus levaturas, meliore animo ac viribus ad perficienda omnia iam accingor, praesertim si paupertati ac litterarum studiis omnes simul insisterimus. Velitis itaque patres optimi ac fratres carissimi ita nostris institutis et sanctionibus inhaerere ut rebus bene ex sententia peractis omnes

denique caelum pariter ascendamus »[2]. Quae dicta et directiones utique bonum volentibus sufficiebant. At quoque evolutione indigebant, quam factis et amplioribus verbis suscipere Caietanus non omisit. Communem victum et studii laborem inculcando fatigari nescivit. « Circumspicite fratres et videte (anno 1515 scripsit)[3], quod conventus in communi viventes temporalibus abundant et crescunt, alii vero dilabuntur ita ua ob hanc causam multos defecisse dubium non sit. Recolite, quod sanctiores et doctiores viros protulit ordo, quando ubique in communi vita agebatur quam post. Et nostra aetate meliores et magis eruditos oculata fide perspicimus ubi in communi vivitur quam ubi quisque sui curam gerit. Iungite, quaeso, communitati sacrarum studia litterarum, ut exemplo et verbo pascere populos, ut tenemini constitutione ordinis, possitis. Aliarum siquidem religionum professores quidquid impendunt doctrinae gratis erogant, nobis autem vix imminet nisi studeamus ut evangelizemus. Haec duo sunt, quibus servatis, ordo noster facile reformabitur. Hortor igitur imprimis ac moneo vos praesidentes ac patres, ut resipiscatis et vel saeva paenitentia proprietatem ignorantiamque a vestris filiis profligatis communia propriis anteponatis et filios sapientes qui gloria sunt patris alatis. Mando deinde vobis iunioribus ut tollatis communitatis iugum super vos et discatis in terris ea, quorum scientia vobiscum perseveret in caelis».

Sicut studii exemplar Caietanus ita in electione procuratoris generalis Nicolai de Schönberg, observantiae addicti, fautorem regularis vitae se praebuit. Dum interno ordinis incremento commendatione vitae communis, clausurae, usuum paenitentialium necnon studii cultu providit, externam agnitionem atque ampliationem dominicanam non solum per defensionem iurium suorum contra impugnantes sed etiam per emissionem fratrum in terram utramque Indiarum auxit. In gravioribus quibusdam causis et processibus ut Ioannis Jetzer et patrum Bernensium[4], hispanicae sororis Mariae visionariae[5], divisionis fratrum S. Marci Florentiae[6], Caietanus 1508 et 1510 decisiones sobrias et quietas dedit debitum officii sui minime excedens. A Summo Pontifice 1517 cardinalis creatus anno insequente e generalatu cessit. Consilia autem sua, spiritum ac protectionem fratribus exinde non denegabat. Quod momentum Caietani magisterium habuit et ex successoris Garsiae de Loaysa verbis et ex brevitate sequentium generalatuum eruere facile quisque potest.

A lumine praedecessoris, qui ut diligentissimus pater subditorum saluti et utilitati ordinis totis viribus incumbens ordinem sapientia, virtute, prudentia instauravit[7], Garsias declinare in nullo prorsus intendebat. Ideo et amplexum paupertatis et studiorum semper praecipiebat. Ab anno 1520 partem in re politica Hispaniarum, quibus fratres Praedicatres plures miscebantur et ab invicem scinderentur, Garsias assumens, a Ioanne Hurtado assertore legitimi principis Caroli edoctus quatuor magistros theologiae legitimi regiminis inimicos in exemplum gradibus privari et carceri mancipari iussit. A principe ad confessiones excipiendas petitus et ad episcopatum Palentinum promotus, magister de Loaysa 1524 gubernium ordinis dimittens, officiis pro Hispaniis et re catholica harum regionum se addixit.

Generalatus, quem Franciscus Silvestri Ferrariensis[8], doctissimus certe, in rebus expediendis ac litteris versatus, in consiliis securus magna ordinis spe nunc incoepit, praematura eius in visitatione exsistentis morte triennio finivit. Postquam in prima epistula fratribus communem victum revocavit, ad industrias a suo tempore petitas alludens addidit: « Est et praeter haec Praedicatorum ordini studiis noctu et interdius incumbendum, quippe quod nostrum sit christianam fidem Romanamque Sedem ad sanguinem tueri contraque haereticos gladium spiritus quod est verbum Dei assumere. Nostrorum namque patrum exemplo quid ad Praedicatorum ordinem spectet edocti sumus »[9].

Paulus Butigella[10], sicut praedecessor e congregatione lombardica, institutione pontificia vicarius anno 1529 datus, ordinem tamquam magister per annum et dimidium regens provinciam primam Americae formatam et congregationum plurium in provincias ordinarias transformationem salutavit. De r.mi p. Du Feynier[11] sex annorum regimine cura observantiae promovendae in generali et in specie apud Hispanos constat. Visitatis Hispania, Portugallia et parte Galliae obiit assumente Augustino Recuperati[12] per 19 menses ordinis gubernium. Dum Paulus III ordini praeficiendum Thomam Badia commendabat, electores libertate sua utentes Alberto de Casaus (de las Casas)[13] vocem dederunt qui et nationem hispanicam opere ac doctrinae spe multiplici famosam et provinciam Baeticam missionariam digne repraesentavit. Murmur per ordinem non levis ex Pauli III romanitate fiebat, « cum (dicente Sebastiano de Olmeda[14]) iam diebus nostris toties successive fuerit magistri

electio Romam delata praeter omnem morem et legem et in multorum gravamen et utinam in bonum futurorum praesagium nisi quis dicat, quia non capit (papa) quidem creari magistrum ordinis Praedicatorum extra urbem Romam aut extra Romanam curiam, sicuti nec perire prophetam extra Hierusalem ».

Quatuor sequentes magistri generales intime cum reformatione Tridentina et Piana collaborando ordini prospexerunt. Et quidem primus Franciscus Romeo[15] rigidus disciplinae custos capitulo generali Salmantino 1551 momentoso praefuit. Stephanus Ususmaris (Usodimare)[16] curiae Romanae acceptus, iuris sui ordinis vindex impiger bullarium quoddam anno 1555 edendum curavit. Ei successit Vincentius Iustiniani[17], e principum familia Chiensi prognatus ac Genuae educatus, quem ipse Ususmaris 1546 Romam adscitum 1553 maioribus officiis in curia ordinis cumulavit. Anno aetatis 38 Iustiniani magisterium ordinis assumpsit, quod primum interitu plurimarum ditionum ordinis, deinde ultima periodo Tridentina tandemque intima habitudine Pii V cum ordine Praedicatorum[18] memorandum exstitit. Desolationem partium ordinis depingens et plangens Iustiniani actum esse de praedicatoria familia in Gallia meridionali nisi ei succurratur anno 1561 dicit. Et prosequitur: « Dignitas religionis nostrae in potentissimo regno Hungariae vix unum et alterum coenobiolum nobis remansit. Provinciarum Bohemiae, Scotiae, Hiberniae, Graeciae, Terrae sanctae utinam non solo nomine gloriaremur. Amplitudo nostri ordinis in populosissima superiore Germania et Saxonia fere ad nihilum est redacta. Ubi enim doctissimi et religiosissimi illarum regionum patres, qui non nobis dumtaxat sed toti Europae ornamento erant? Ubi tantus studiorum numerus?.. Ubi legum et sanctionum nostrarum observantia, quibus tamquam vehiculis filiorum nostrorum animi ad dulces virtutum amplexus quam saepissime deducebantur?»[19].

Ad purpuram evectus Iustiniani magisterium generale per duodennium expletum Seraphino Cavalli[20], viro sancto, transmisit. Sub eo conventus hollandici perierunt, processus Bartholomaei Carranza, qui quidem ab anno 1557 archiepiscopus Toletanus mox velut de haeresi suspectus ab inquisitione hispanica et deinde petente Pio V Romae ad castrum S. Angeli detentus erat, finem obtinuit[21], quem venerandus praesul vix superavit. R.mus p. Cavalli post visitatas provincias italicas et Europae occidentalis usque ad Belgium partim desolatum in conventu Hispalensi fatis functus est in delatione corporis summe veneratus.

§ 50. Statuta capitularia, pontificia, Tridentina de observantia.

Tesseram observantiae regularis magister Caietanus cum capitularibus generalibus durante suo regimine maxime paupertati religiosae applicavit, dum vitae privatae et formae proprietatis tamquam disciplinam et spiritum regularem enervantibus bellum indicebatur[1]. Quod ex capituli generalis anni 1508 declaratione de animo religiosorum ponendi omnia ad pedes praelatorum[2] et de absolutione beneficiatorum fratrum[3] satis constat. Beneficiati quoque ad officia inhabiles censentur[4]. Insuper vagandi libertas cohibita est ordinato « ne quis extra ordinem commorari audeat pro quacumque ratione vel negotio exceptis confessoribus principum et his qui de licentia ordinis sequuntur curias principum »[5]. Praecipua cura de studentibus ordo vigilabat, ne in universitatibus extra conventus proprios degerent[6].

Haec idea ac vis reformatoria, quae ordinem animabat, pro provinciarum et congregationum vita plures effectus mutationis produxit. Potior pars congregationis hollandicae post huius discerptionem a rege Franciae factam in provinciam reformatam Germaniae inferioris anno 1515 erecta est[7], sicut et postea congregatio hispanica statum provinciae reformatae assumpsit et congregatio observantiae Aragoniae in respectivam provinciam reformatam transiit congregatione Franciae in provinciam Occitanam 1569 mutata[8]. Mandante capitulo generali 1539 fratres Hispani quidam ad observantiam in Lusitaniae ditione restituendam assignati sunt[9]. In provincia Teutoniae reformationi addicta. Conventuales minoritatem constituentes in congregatione particulari adunabantur, quae instante Caietano apud Leonem X 1518 (utique ad tempus quidem) suppressa est[10] . Anno eodem congregatio vitae regularis Hiberniae denuo agnita est et Scotiae provinciae reformatio approbata[11]. Apud Anglos simile opus nonnisi 1529 incoepit[12].

In Italia observantiae instauratio apud S. Mariam Novellam Florentiae pluries discutiebatur[13] Clemens VII a cardinalibus Caietano et de Schönberg consiliis auctus eodem tempore et congregationem S. Marci et provinciam Romanam supprimens ex utraque ditione unam provinciam Romanam reformatam anno 1530 constituit. Ex congregatione lombardica provincias duas reformatas S. Dominici et S. Petri Martyris erigere idem Clemens Papa in initio

volens ponderatis argumentis patrum Lombardorum unam provinciam reformatam utriusque Lombardiae die 23 septembris 1531 stabilivit[14].

Pro Conventualibus Italiae diversis adunandis speciales vicariae statuebantur, nempe Romana, S. Dominici pro territorio Lombardiae inferioris, S. Petri Martyris pro superiore Lombardia. Qui quidem vicariae assumendam reformationem promittere debebant. Ut promissioni, quantum fieri potuit, obtemperaretur anno 1558 ordinatum est, «quod in vicariis.. nullus de cetero recipiatur ad habitum aut ad professionem absque expressa toties quoties in scriptis habita licentia magistri ordinis. Specialiter vero in vicaria Romana ad instantiam reverendi eius vicarii mandamus eidem vicario in virtute sanctae obedientiae, ut intra quindecim dies ab hodie eiecisse debeat omnes novitios iam receptos qui annum duodecimum nondum attigerunt »[15].

Promulgatis decretis Tridentinae synodi patres capitulares anno 1564 canones Tridentinos et agnoscere et servare imposuerunt et praecipuos citant, e. g. de scholis sacrae scripturae cum conventibus studiorum vel aliorum iungendis, de praesentatione fratrum episcopis pro examine tum confessionum tum ordinationis, de aetate ordinandorum, de communi vita, de aetate novitiorum et profitendorum, de eleemosynis missarum, de electionis modo, de relatione cum monasteriis. His omnibus probatis et confirmatis addebatur moderamen concessionum a Pio V factarum[16]. Sub pontificatu Pii V, qui zelantioribus fratribus semper adstitit, specialia statuta « de reformatione claustralium seu conventualium » in actis capitulorum generalium reperiuntur[17]. Ipse Papa reformationem etiam nolentibus imponere desideravit [18]. Ipse quoque primam legem pontificiam universaliter obligantem de clausura conventuum virorum dedit, feminis ingressum in huiusmodi domos penitus prohibentem sublatis obstantibus usibus quibuscumque[19]. Bellum Conventualibus maxime Hispaniae indixit. Eius decreta ab ordine generaliter assumpta sunt. De cetero apud fratres Praedicatores nullus in conventibus seu locis Conventualium habitu donandus erat absque magistri ordinis licentia in scriptis obtenta sub paena invaliditatis vestitionis et professionis[20].

Sic S. Pius V, qui praeclarus promotor reformationis Tridentinae in Ecclesia fuisse celebratur[21], ordinem cui debitorem se devote profitebatur magnis emolumentis observantiae instruxit.

§ 51. Legislationis augmentum et cura.

Inventa ars typographica pro accuratiore et faciliore notitia constitutionum ac legislationis ordinis haud pauca commoda afferrebat ad quae magister generalis Vincentius Bandelli primus attendit[1]. Ex itinere longinquarum visitationum sedulo multorum generalium acta et ordinationes, quae in conventuum scriniis delitescebant, Mediolanum deferens atque ex his constitutionum sententias dubias illustrans textui constitutionum declarationes suas apposuit insimul cum editione sua constitutionum Mediolanensi anni 1505 a capitulo generali Mediolani 1505 acceptatas[2]. Tunc et ordinatum est, « quod omnes priores habeant regulam et constitutiones semel in anno ac ordinationes praesentes ter in anno legi faciant coram fratribus simul in mensa congregatis »[3]. Declarationes Bandellianae in sequentibus editionibus constitutionum ordinis communiter vel modice mutatae per saecula plura servabantur. Dum sub magisterio Caietani in capitulis 1513, 1515, 1518, revisio legum ordinis peragebatur, curante Alberto Castellano 1515 primum[4] et mox 1516 editiones constitutionum typis Lugduni prodierunt.

Revisio anno 1513 petita has ob causas fuit: «Ad supplendum plures defectus, tollenda multa dubia, mutandaque nonnulla in melius visum est proponere universo ordini quaedam constitutionibus nostris addenda, diminuenda, vel mutanda, ut fratres sic ad invicem conferre possint, ut ex singulorum conventuum votis in capitulis provinciarum et congregationum.. tales constitutiones quales observatio ipsa cum effectu commendaret et eas delere quae communiter non servantur et omnia clara et consona iura nostra absque ambiguitatibus quantum fieri potest concludere possint »[5]. Quasdam constitutiones volunt capitulares generales anni 1513 « mature discuti et discerni in singulis capitulis provinciarum et congregationum, praecelebratis in singulis conventibus consiliis, et annotare an expediat mutare maius vel minus vel relinquere eas ut stant. Hortamur autem omnes et rogamus in Domino Iesu Christo, ut in statera iudicii ponant quid expediat magis paci et profectui interiori religionis, studii et praedicationis et hoc praeponent incommodis corporis et exteriorum rerum et apparentiae. Sunt au-

tem constitutiones quatuordecim infrascriptae:

De ieiunio sanctae crucis
De carnibus non comedendis
De non equitando
De expensis non portandis
De possessionibus non habendis
De perpetuo silentio
De capitulo quotidiano
De silentio mensae
De tempore rasurae
De electione definitorum capituli generalis in anno ultimo
De capitulo provinciali singulis annis
De electione magistri imminente biennali
De unitate campanae
De uniformitate habitus et tonsura conversorum sine corona tantum.

Non enim intendimus aliquid mutare nisi de consensu patrum et fratrum, qui quae sursum sunt sapiunt et non quae super terram et cum pace totius ordinis»[6]. Revisio per capitulum 1515 perducta anno 1518 absoluta est pluribus determinationibus prologi nec non statutis de recipiendis, de praedicatoribus, de itinerantibus, de bonis fratrum studentium, de lectoribus et magistris, aliisque convenienter edictis[7].

Post saeculum medium res revisionis tamen iterum urgebat, quam - brevi diei 18 iunii 1566 S. Pii V munitus[8] - r.mus p. Vincentius Iustiniani explendam suscepit.

Romae 1566 publicata haec editio nova post Bandellianam ex additis capitulorum post annum 1505 celebratorum et ex decretis Tridentinis aucta apparet[9].

Privilegia ordinis tum in collectionibus auctore Alberto Castellano anni 1506 constante 118 bullis et anni 1508 pro congregatione lombardica additis pro toto ordine bullis 163[10] tum in « bullario » r.mi p. Ususmaris 1555 edito publicabantur. Ultimo citatum opus minime privilegia quaecunque necenset. Quare petente magistro ordinis Paulus IV 1556 declaravit, ex eo quod bulla una vel alia illi operi desint, contestationem valoris vel iuris bullae unius vel alterius minime sequi[11].

§ 52. Stemma ordinis.

Sub ambitu huius capitis adhuc de stemmate dominicano tractetur, quippe quod in ambitu chronologico huius capitis aperte historiographo occurrit, Liceatque hic quaestionem stemmatis usque ad moderna aeva breviter illustrare. Stemmatis origo apud equites et milites, qui scuto et galea specialiter ornatis cogniti erant, invenitur. Territoriales domini suos militares sequaces stemmate distinxerunt. Longis annis elapsis post statum nobilium militariumque principes ecclesiastici qui dominio temporali et gaudebant et ei prospicere vel armis debebant medio saeculo XIII stemmata assumebant. Ordines pariter militares, quorum usus armorum atque insignium specialium ex eorum officio et statu defendendi christianitatem et pugnandi in hostes nominis christiani explicatur, stemmata adhibere solebant. Si denique saeculo XIV apud cives et apud instituta ac corporationes oppidorum et civitatum particularia signa distinctiva et ornatus deligebantur, regulares sive monasteriorum sive ordinum exeunte medio aevo stemmata sibi formare etiam coeperunt. Dum conventus monastici, qui saepissime principalem auctoritatem et pugnandi in hostes nominis christiani explicatur, stembant, ordines mendicantes ex conceptu sui instituti ab huiusmodi ornamentis abhorrere debuisse praesumeres. At pro decore religiosae familiae vel ipsi insignia habere cupiebant. De eorum origine aut ex statuto capitulari aut ex concessione imperiali vel pontificia aut ex usu alicuius sive singulorum sensim ab ordine recepto constare potest[1]. Ultimum quidem apud fratres Praedicatores accidisse videtur.

Ex saeculo XVI duae formae stemmatis in ordine Praedicatorum litigant, quarum origines maiore investigatione dilucidandae sunt, quam hic fieri potest. Tamen animadversiones aliquae utilitati semper inservient.

Currente saeculo XV armata cappata oriebantur, quae ab imagine cappae Mendicantium nomen trahunt. Primum fratres Praedicatores et postea Carmelitae insignia huiusmodi per modum scuti et attributis convenientibus disposita sive perfecta delegisse dicuntur[2]. Exemplo sint stemmata dominicanum in processionali anni 1494[3] et carmelitanum anni 1499[4]. Et Leander Alberti in fronte libri de viris illustribus anno 1517 editi specimen stemmatis dominicani exhibet, quod in simplici scuto et campum nigrum et cam-

pum album ad formam cappae et habitus divisorum ostendit. Missale dominicanum anni 1522 eamdem imaginem praebet et quidem auctam stella, palma, lilio, littera P (= Praedicatoris). Deinde anno 1533 super testimonio cardinalium plurium de indulgentiis quibusdam a Summo Pontifice pro augenda devotione S. Dominici concessis ad imaginem Dominici stemma ordinis cappatum cum ramis duobus et figura canis adstantis delineatur. Demum in libris registraturae generalis magstrorum ordinis annorum 1580, 1589, 1591 forma stemmatis cappati adiuncta stella in campo albo per socium patris generalis apposita fuit[5]. Quae forma stemmatis dominicani saeculo XVII abundatiore modo instruebatur, nempe cane qui in campo albo sedens insignibus libri, faculae, orbis circumdatur. Ampliata forma stemmatis cappati cum ramis palmae et lilii et cane vigili ex tunc a patribus gravioribus et maxime ab principibus Ecclesiae ex ordine Praedicatorum assumptis ut episcopis, cardinalibus et Benedicto XIII Papa stemmati suo sive muneris sive familiae haraldico modo adiungebatur[6]. Nec sat complexitatis! Nam saltem a saeculo XIX stemma cappatum super crucem liliatam ponebatur, de qua rosarium dependebat, dum super scutum et corona quaedam et inscripta tessera « veritas » eminebat[7]. Romana forma stemmatis dominicani, non quidem complexa sed simplex, super actis capituli generalis 1891 impressa adhuc cernitur, dum postea alia forma praeferebatur quam et Analecta ordinis ab initio 1893 elegerunt.

Haec alia forma utique ab haraldicae rei peritis laudatissima quae in scuto crucem liliatam exhibet, ex Hispania ortum duxisse videtur. Atque Hispanorum est studia huius argumenti publicare, utrum horum armorum origo ex armis Guzmanae familiae an ex ordine militari forsitan S. Iacobi, an ex insignibus tribunalis inquisitionis tracta sit[8]. Constat Berruguete (s. XV) S. Dominicum baculo nixum pinxisse, cuius extremitas suprema liliata cruce clauditur[9]. Pariterque certum est, aliqua membra inquisitionis, etsi non ordinis Praedicatorum essent, crucem liliatam in vel sub stemmata adhibuisse[10]. Tandem in lapidibus mortuariis circa annum 1540 pro cardinalibus Caietano († 1534) et von Schönberg († 1537) ad frontem ecclesiae Minervitanae de Urbe locatis (utinam sciretur quandonam et per quemnam!) forma hispanica stemmatis apparet hac cum notanda explicatione: Ordinis Praed.orum insignia hec sunt[11]. Per partes ordinis in Hispania et Indiis haec crux

liliata interdum cane symbolico vel ramis aut stella vel aliis adaucta[12] velut stemma dominicanum habebatur.

R.mus p. Larroca in stemma suum utramque formam stemmatis romanam superius et hispanicam inferius assumpsit. In recentissimo tempore scutum hispanicae formae verbis « Laudare benedicere praedicare » additis et stella superposita velut ordinis Praedicatorum stemma libentius consideratur.

b) RESTRICTIO LIBERTATIS ORDINIS (1578-1645),

Ordinis status intrante hac periodo amplitudinem orbis replevit, quemadmodum magister generalis Paulus Constabile in epistula actis capituli anni 1580 praevia curiose delineat: « Convenerunt enim veluti dato signo ad nostra Romana comitia non Itali solum aut Hispani et Galli, quorum tamen prima et praecipua pars est, sed et Lusitani, Dalmatae et Graeci, Germani, Poloni, ab ortu solis longi et incerti litoris Indi, ab eius occasu Flandri extremique hominum Morini »[1].

Instabant quidem partibus Germaniae inferioris et Galliarum novae per haereticos invasiones ac detrimenta et Germanis durante bello triginta annorum tribulationes et oppressiones, quae pacificum incrementum graviter impedierunt, et Polonis perturbationes ac neces per schismaticos illatae et missionariis extremis orientis Indiarumque martyria sed universaliter fratres Praedicatores agmen forte, lucidum scientia, verbo, exemplo se praebuerunt, ducibus saepe aetate non ita provecta dotatis (Fabri anno aetatis circa 42, magisterium obtinuit, Beccaria 39, Secchi 52, Ridolfi 51) adhaerentes. Celandum quidem minime est temporis evolutionem alias formas vitae regularis saeculo XVI produxisse, quae cum ordinibus e medio aevo ortis differentias regiminis vel modi sese habendi observantiarum plures habebant. Ordini Praedicatorum cum his fundationibus recentioribus et viribus sacri zeli et industriarum experimento metiri se contigit[2]. Dum generose ex possessione traditionis laborem suum ipse strenuus exserebat, novorum progressus vel observare vel admirari desinere nequivit.

Auctoritate Sixti V erecta anno 1586 sacra congregatio pro Regularibus[3] singulis institutis religiosis consideranda fuit. Haec autem congregatio ordinario modo res ordinum et congregationum moderans, specialibus viris et passionibus allicientibus facile cir-

cumveniri potuit, prout ex depositione duorum magistrorum generalium Sixti Fabri et Nicolai Ridolfi intra annos 55 ad machinationes quorumdam factas apparet.

§ 53. Industriae reformationis protractae.

Si denuo de observantiae quaestione ac cultu speciali nunc tractandum est, ratio ex circumstantiis particularibus repetitur, quae et promotionem observantiae arduam rem fuisse et systema congregationum observantiae deputatarum iterum introductas ostendunt. Etsi continuo pluriesque ordo vigilavit, ne sub specie reformationis regularis divisio fratrum oriretur[1], agitationes quaedam in hac re eliminari non potuerunt. Magistri generales omnes huius periodi, sub arctiore disciplina nati atque enutriti, propensionem ordinis indubie ad custodiendos augendosque severos mores religiosos compellebant, adiutores suos ex fratribus observantioribus sumendo e. g. Marcum de Marcenisio, Petrum Girardel. Atque capitula generalia modo et praescriptiones inculcationes ad maiorem observantiae commendationem incessanter assumebant, modo ordinationes extraordinarias per protectorem auctoritate apostolica datas referebant[2], modo bullas pontificias Clementis VIII, qui de cetero personae et memoriae S. Pii V debitor[3] ordinem Praedicatorum magni semper habuit, actis inserebant.

Clemens VIII, si in bulla anni 1594 regularibus utriusque sexus largitionum munerum interdixit, nempe expensas maiores, quibus vel ipsi regulares favorem extraneorum aut ipsius protectoris acquirere obligabantur, concesso quidem titulo gratitudinis vel conciliationis benevolentiae vel pietatis[4], in bulla anni 1599 de reformandis religiosis meritissimum locum omnibus singulisque ordinibus competere si regulam constitutionesque ad unguem observarent digne asseruit[5]. Atque spiritu strenuae observantiae roborati patres capitulares anno 1605 prioribus provincialibus ordinarunt et strictissime mandaverunt, ut « unusquisque in sua provincia unum vel plures conventus iuxta qualitatem et numerum fratrum deputet, in quibus regula et constitutiones ordinis nostri cum omni rigore ab omnibus illic degentibus ad unguem observentur nec cum aliquo ibi commorante in carnibus vel aliis regulari vitae repugnantibus quoquomodo aut quovis praetextu vel colore, nisi propter actualem infirmitatem dumtaxat dispensari possit. In quibus conventibus et

locis nemo invitus cogatur manere nec aliquis volens a suo retrahatur fervore, nisi quem iam arrepti propositi et ceptae observantiae paenituerit »[6].

Huic Ecclesiae atque ordinis voluntati restaurationem religiosam iugem prosequendi et conatus et decisiones plures respondebant. Sic per capitulum generale 1605 fratribus universis qui doctrinis Indorum et Aethiopum inserviunt gravissime praeceptum est, ne quis eorum per se vel per alium mercaturam facere audeat, nec ad hunc finem aliquid emere vel vendere praeter proprio victui vel vestitui necessaria[7]. Deinde 1629 illa lex de deposito generali in Urbe ad necessitates ordinis et provinciarum communes sublevandas data huc spectat, cum huius depositi fructum vitae regulari in desolatis regionibus restaurandae ex parte applicare intenderetur[8]. Patres enim illi qui maxime ex Italiae et Hispaniae provinciis ad alias ditiones in studio et regulari observantia iuvandas destinabantur[9] — iique in Gallia, Germania, Bohemia, Hungaria, Russia hac durante periodo reperiuntur — ex ordinis generalibus stipendiis plerumque mitti debebant.

Cum decreta generalia effectu sufficienti carebant, particulares industriae regimen congregationum observantiae resumebant. Dum ex una parte e. g. vicaria S. Dominici in provinciam Venetiarum 1580 et vicaria S. Petri in provinciam eiusdem tituli 1601 et congregatio gallicana in provinciam Parisiensem 1611 transformabantur, alia ex parte novi coetus a compagine provinciarum separati sunt. Primum in Italia, ubi venerandis patribus quibusdam promoventibus probante magistro Sixto Fabri 1583 congregatio sub nomine S. Mariae Sanitatis Neapoli orta est, quae ad celebritatem maiorem subito crescens per provincias Regni aliasque bonum suum diffudit[10].

In partibus Gallorum promotor observantiae insignis Sebastianus Michaelis (1543-1618) exstitit[11]. Qui utique filius congregationis Franciae sive mox provinciae Occitanae, post munus professoris impletum inter suos observantiae dilapsui occurrere cupiens modum suum excogitatum per magistrum generalem Beccaria 1589 probare fecit, eumque 1593 exsecutioni mandavit. Interea p. Michaelis provincialem egit. Quos successus reformatoria factio Occitana obtinuit et promisit qualique protectione ex parte ordinis capitulariter congregati fruebatur ordinatio anni 1601 monstrat, secundum quam in provincia hac « nullus ad aliquem gradum aut praelaturam nec

ad simplicem lecturam admittatur nisi sub reformatione et vitae regularis observantia velit vivere idque mandamus sub paena absolutionis ab officio »[12]. Cum vero provincia tota ad observantiam non traheretur et contentiones imminerent, varios post casus a patre Michaelis eiusque opere superatos, Henricus IV ad favorem Observantium inclinatus, a Summo Pontifice separationem eorum a provincia Occitana 1608 obtinuit. Parisiis et in aula regia p. Michaelis eiusque sequaces optime semper recipiebantur. Anno 1629 congregatio sub patrocinio et nomine S. Ludovici regis collocata est. Magister Ridolfi ad specimen vitae regularis Romae exhibendum aedes sacras S. Sixti ad viam Appiam ab eo restauratas fratribus pluribus huius congregationis e Gallia vocatis deputavit, qui Urbi aedificationi erant. At ex processu in magistrum Ridolfi instaurato protectione carentes et aëre minus salubri moti fratres locum S. Sixti dereliquerunt[13].

Per Antonium Lequieu († 1676), filium congregationis S. Ludovici, novis desideriis reformandi ardentem, congregatio observantiae et pro missionibus peragendis instituta est, cuius zelus et rei nostrae in pluribus mutatio sapienter a capitulis generalibus mitigabatur vel cohibebatur[14].

§ 54. Regimen ordinis.

Proficua venerandi magistri Seraphini Cavalli ordinis moderatio per strenuum, natalibus ac doctrina et fideli zelo illustrem fratrem Paulum Constabile[1] continuabatur. Ad cuius quidem electionem non absque interventu inopinato protectoris cardinalis Bonello et modo apud fratres Praedicatores insolito perventum est. Nam Bonello suae provinciae fratrem Sixtum Fabri, cui profunde adversaretur, a magisterii spe et potestate excludere volens, a Gregorio XIII elenchum eligendorum electoribus generalibus praesentari fecit. Inter quos 4 optimos patres ad magisterium generale a Papa propositos, Fabri utique deerat et primum locum Constabile tenebat, qui et regimen ordinis aasumpsit. Qui quidem ordinationes ad unguem exsecutioni mandatas videre maluit quam novas condere. Visitationes sedulo perfecit, decreto Bononiae dato anni 1582 Ioannem Chrysostomum de Aracena vicarium generalem formandae congregationis missionariae extremi orientis nominavit. Post eius finem sanctum ordo ab eligendo Sixto Fabri detineri nequivit[2].

qui annos 42 natus, ingenio et ordinis notitia excellens ad statum fratrum Praedicatorum valide promovendum idoneus videbatur. Fidenter fratres ad fontes claritatis pristinae redire evocans « moveat vos (inquit) et metus et amor Dei ac vestrae salutis. Renovare iuventutem nostram et ad spem diuturnioris vitae redire possumus, et negligemus? »[3].

Ad incrementum studiorum, pro quibus 1585 rationem delineavit, et pro observantia capituli generalissimi celebrationem molitus est, quod habitis provinciarum placitis pro anno 1588 Neapoli habendum indixit. Dum autem generalis magister in visitatione moraretur eventaque eius deceptione per lusitanam priorissam monasterii Annuntiationis Ulyssiponensis pro festo Pentecoste anni 1589 capitulum generale nomine Sixti V, e franciscana familia ad sedem S. Petri evecti, Romam convocatum est. Quinam capitulum generalissimum anni 1588 impediverit, nescitur. In Italiam Fabri redux a Pontifice depositus est. Florentiae primum et deinde Romae apud S. Sabinam vivens, anno 1594 in pace quievit. 1589 autem « legitime vacante generalatu »[4] 1589 Hippolytus Maria Beccaria magister 51. ordinis salutatus est[5], natalibus pariter ac eximiis spiritus dotibus et fortitudine voluntatis ac devotione insignis. Ordo Praedicatorum regimini lombardico traditus fuisse cernitur. Non solum iam sex magistri generales immediate sibi e provincia Lombardiae succedebant, sed et cardinalis Bonello Lombardus efficacissime in ordine imperitabat. Dissentiens cum cardinali protectore magister Beccaria iura magistri generalis contra fratres iudicia extra ordinem petentes a Papa confirmata obtinuit, et probum in visitationibus usque ad Poloniam productis se ostendit. In capitulo generali anni 1600 partes quasdam fovisse dicitur, secundum quas in posterum electiones in ordine tollerentur, ita ut provincialium institutio ad magistrum generalem in comitiis generalibus et conventuum priorum nominatio ad provincialem in coetu provinciali spectaret. At modum electionum antiquum consilio quoque cardinalis Bernieri patres plurimi servarunt, ita ut innovatio evitaretur.

Neapoli adhuc Beccaria fatis ereptus est, assumente gubernacula ordinis 1601 r.mo p. Hieronymo Xavierre e provincia Aragoniae, doctrina, eloquentia, pietate praestante[6]. Procuratorem generalem Marcum Maffei sibi sociavit. Observantiam augere et spiritum ordinis etiam ex eius historia illustrare cordi ei erat. Post capitulum generale Vallisoletanum 1605 in Hispania remanens congrega-

tionum de auxiliis, ex anno 1597 sub Clemente VIII coeptarum, finem a Paulo V impositum anno 1606 percepit. Ad regias confessiones petitus purpuraque Romana 1607 donatus anno seguente obiit. dum ordo per Ludovicum Ystella vicarium generalem re vera ultimo illo tempore administrabatur.

Vitae religiosae exemplo ante, per et post magisterium generale r.mus p. Augustinus Galamini Lombardus erat, qui sexennio rem Praedicatorum attente moderans, capitulo generali Parisiensi memorando anni 1611 praesedit[7]. « Fuit sui ordinis decus, episcoporum speculum, lumen senatus et purpurae » († 1639)[8].

Si iam 1601 pro electione magistri generalis politicae Europae factiones influebant, id magis pro electione 1608 contigit, una vice potius Hispanis, alia vero vice Gallis triumphantibus.

Longioris temporis munus Seraphinus Secchi Papiensis gessit[9], qui amator regularis observantiae, austerus quodammodo et in gratiis parcus erat. Sedulo labori visitandi ordinis per se vel per delegatos emissos insistens, regularem vitam pie et prudenter ordinavit et commendavit, sicut et fratres ad propagandam fidem iuxta directiones novae congregationis Romanae huic rei praepositae animavit[10]. Privilegia ordinis tuebatur editionemque constitutionum post capitulum Ulyssiponense 1618 noviter revisam et declarationibus capitulorum generalium per annos 50 ultimo elapsos celebratorum auctam curavit[11].

Tandem translatione corporis S. Thomae Tolosae peracta, prope Avenionem 1628 exspiravit.

Eius successor Nicolaus Ridolfi, qui e Florentina patricia gente ortus, Leonis XI Papae e sorore pronepos, Romae ab amico S. Philippo Neri habitu ordinis inductus mox religiosis virtutibus, scientiae et rerum peritia enitebat, anno 1629 ordinem regendum suscepit[12]. Progressui observantiae et corde et elargitionibus, ut illis pro novitiatu generali Parisiensi datis, favebat, ordinem tum visitationibus tum epistulis encyclicis animans et elevans. In asserenda regularitate inimicum particularem sibi quemdam p. Lupi fecit, cuius occasione invidorum fallaciumque calumniis exagitatus est magister generalis atque ab Urbano VIII, mense aprili 1642 iam in statum accusationis redactus, apud aedes S. Sixti de Urbe primum et dein apud S. Petrum in Vinculis detentus, mense iunio a generalatu suspensus.

Per rationes personales ex parte cardinalis Maculano, pp. Lupi, Cattoni, Michaelis Mazzarino ac per respectum familiae propriae ex parte Papae haec humiliatio magistri Ridolfi explicanda est. Prosequendo rem, Mazzarino provincialis Romanus ab ordinis protectore cardinali Barberini callide extorsit, quod ipsi facultas praesidendi capitulo generali proximo Ianuensi fieret. Eo praeside in prima sessione capitulari magister Ridolfi a generalatu depositus est. In altera sessione Mazzarino ad moderamen ordinis electione sequacium suorum pervenit. Provinciae illae, quae magistro Ridolfi suspenso quidem sed non exauctorato deditae Mazzarino subici respuebant, Cornelianum prope Ianuas secesserunt. Ibi per Dominicum de Marinis Thomas de Roccamora provincialis Aragoniae ad magisterium generale evectus est. Hanc fratrum scissionem videns Urbanus VIII et Ridolfi depositionem agnovit et utriusque novi magistri electionem irritavit. Quo non obstante Mazzarino Romae apud Minervam velut magister ordinis gerere se audebat, donec omnino interdictus est. Ad magisterium S. Palatii, archipraesulatus, imo cardinalatus promotus 1648 Mazzarino annos 43 natus obiit. Roccamora 1643 ad sedem archiepiscopalem Maioricensem evecto demptaque ab Urbano elegibilitate in magistrum generalem tribus e Ridolfi fautoribus, per electores Romae 1544 congregatos Thomas Turco Cremonensis magister generalis rite salutatus est[13].

Qui doctissimus in thomistica disciplina vir in visitationibus provinciarum latinarum bonum ordinis auxit sicut et specialiter litteras sacras et chronicas edendas commendavit. Post lustrum huius regiminis ob mortem finitum ex auctoritate Innocentii X, qui Ridolfi causam iterum cardinalium coetui et iudicandam tribuit et integritatem atque innocentiam denuntiavit, Ridolfi particulari titulo praesidis generalis moderator ordinis fratribus Praedicatorum donatus est. Absque dubio vota electorum Ridolfi anno 1650 in se congregasset, nisi die decima ante electionis terminum e vita cessisset[14].

c) TEMPUS ABSOLUTI REGIMINIS (1650-1747).

Magna haec periodus physiognomiam clare expressam ostendit tum in moribus quibusdam novis, qui in ordine inveniebantur tum in actione doctrinali. Si iam ex definitione Tridentina rei or-

dinum et cleri saecularis, limitatio vitae publicae regularibus imponebatur, gubernia civilia exinde saepius ita in regimen religionum se ingerebant, ut et regularibus ex hac parte diminutio libertatis actionis immineret.

Inter varias partes ordinis ditio Hispanorum maxime emicuit, quae et sanctos canonizatos et fratres uberrimos et doctores magnos et generales plures ordini tribuit, deinde etiam Itali numero et actione satis conspicuis vivebant, dum Galli doctores insignis notae praesentarunt. Insuper provinciae desolatae saeculo XVI in terris Hiberniae, Angliae et Germaniae, Bohemiae, Hungariae varie quidem sed feliciter restaurari coeperunt, Polonis magis magisque efflorentibus.

Si quidam alte nimis sapientes populi favorem amiserint, numquam fratres virtutum formam habentes defuerunt, qui rudibus et parvis pabulum praedicationis evangelicae praebebant.

Actio demum scientifica pro theologicis negotiis solvendis, doctrinis traditionalibus et genuinis explanandis et defendendis ordinem in re rituum Sinensium, Iansenismi, Gallicanismi, Probabilismi vere cum Ecclesia sensisse continuo manifestat.

Editiones litterariae et scientificae ab ordine promotae incipiendo ab editione operum B. Alberti Magni, ad libros de scriptoribus ordinis vel ad bullarium ordinis magnifice pro aevi huius ratione prodierunt.

§ 55. Characteres novi in ordine vigentes.

Mores aevi illius, quod ex parte sub nomine absolutismi principum venit atque ex parte altera Mercantilismum oriri vidit, sicut in coetum ecclesiasticum universalem, ita et in rem ordinis Praedicatorum influere sciverunt. Qui quidem mores ac novi characteres his praecipue denotantur, nempe ex parte superiorum apparatu magnificentiae ac splendoris externi, aucta centralisatione administrativa, absoluto modo regiminis, ex parte vero subiectorum recursu ad extraneos maxime ad potestatem laicalem et nationalismo exaggerato[1].

Fastosa species externae magnitudinis ac celsitudinis, quibus coetus hominum pompa ampla tunc gloriari studebant, in electione superiorum e nobilibus vel nobilissimis generibus descendentium ostendebatur. Optime certe hoc factum fuit, si electi dignitatem suam

cum inclitae stirpis laude coniunxerunt. Post Nicolaum Ridolfi qui claris natalibus excelluit, mox magistri generales de Marinis, de Rocaberti, de Monroy sanguinis celebritate conspicui ordinem regendum susceperunt. Specialiter Ioannes Thomas de Rocaberti, qui iam ex provincia sua Aragoniae cum optimatibus et principibus litterarum commercia colebat, magisterii sui adeptionem dominantibus terrae nuntiavit[2]. De cetero huiusmodi nuntii sicut et auguria nativitatis atque anni novi ad principes notabiliores data usque ad generalatum r.mi p. Jandel inclusive ostendi possunt. Dum ante annum 1650 magistri ordinis non tam fixo et stabili modo sicut postea Romae residebant, sed potius in visitando ordine vel in accessu ad capitula generalia occupabantur, residente ordinario Romano procuratore generali vel vicario generali exsistente[3], ex nunc residentia Minervitana magistri generalis curiali modo perficiebatur. Insuper secundum mores Romanos pro mensibus aestivis villa quaedam extra Urbem amoeno situ commendata a magistro generali sociisque recipienda erat. Nostri quidem villam Sancti Pastoris prope Praeneste, ab anno 1644 in possessione fratrum S. Sixti veteris, probabiliter sub r.mo p. de Monroy deligebant. Prosper Lambertini villam hanc adire in deliciis habebat, dum r.mus p. de Boxadors eam pulchriorem atque commodiorem reddidit. Series imaginum moderatorum ordinis Praedicatorum quaedam et nonnisi a saeculo XVII authentica ibi muris appensa fuit, quae hodie (cum villa S. Pastoris 1845 collegio Germanico addicta sit[4]) in collegio Angelico servatur.

Quo diuturnior commoratio Romana magistrorum generalium effecta est, quo rariores visitationes per eos fiebant, eo magis ad comitatus ac receptiones emphasi abundantes excrescebant si quando suscipiebantur, ut sub p. Cloche in peragratione per Italiam superiorem[5]. Honores quoque, qui auctoritati porrigebantur, saepissime ex dedicationibus librorum ampullose declamantibus vel resultare deberent vel resultant.

Imminuta celebratione capitulorum generalium, quorum intervalla regularia ex conditionum sive civilium sive bellorum causis ordinarie differebantur, donec ordini post alicuius magistri generalis obitum de novo capite providendum erat, potestas regiminis per magistros generales plerumque solos exercebatur. Et loco consiliorum capitularium consilia generalitia magistri ordinis cum sociis suis potius in usum ac momentum venerunt. Hortationes directio-

nesque non tam a comitiis generalibus quam epistulis encyclicis ab ordinis supremo moderatore e sua Romana curia datis ad notitiam fratrum pertingebant. Sic centralisatio quaedam orta cernitur. quae ad imaginem papalis aulae numero semper maiore congregationum plenae formata, decreta in ordinem universum imperando propalabat.

Neque ab hac centralisatione multum absolutismus quidam distat qui non solum in saecularibus monarchiis dominabatur, sed etiam administrationes ecclesiasticas penetraverat[6].

Ut huic centralisationi atque absolutismo interdum incommodo tum provinciae vel domus vel fratres singuli adversarentur, recursum ad localem auctoritatem civilem velut medium aptum saepe sumebant. Qui recursus loquela aperta certe non solum a capitulo generali 1650 verum etiam in specialibus encyclicis r.morum pp. de Marinis 1658 et Pipia 1722 reprobabatur[7]. Exemplum huiusmodi petitionum extra viam ordinariam factarum in formatione provinciae S. Ludovici, e congregatione eiusdem nominis ortae, 1668 perspicitur, quam quidem per cardinalem legatum statutam magister ordinis a Papa confirmari atque ita recte componere curavit[8].

Tandem Nationalismus dignitatem ac verum successum plurium partium ordinis obfuscavit. Pari modo quo merita iusta de singularum regionum re civili et publica aeque agnoscantur, eo et excessus dependentiae a propria natione vel intolerantia in alias potestates vel populos reprobandi sunt. Si Itali ius constitutionale praesertim de vicariis generalibus post mortem magistrorum ordinis habendis in suum favorem, pontificia utique auctoritate roborati, detorquebant. Galli iam ex saeculo XVI satis voluntati regiae indulgentes praecipue in congregatione gallicana ortum et evolutionem suae rei intime cum desideriis gubernii connectebant[9]. Dependentia conventus S. Maximini eo usque crevit, quod non solum parlamentum Provinciae de domo illa quaecumque statuere potuerit, verum etiam quod fratres quidam decreto r.mi p. de Monroy infensi conventum suum in abbatiam commendatariam 1671 transformari intenderint[10]. Antonius Lequieu[11] et Ioannes Carré[12] dominorum temporalium se clientes nimis ostendisse, constat. Lusitanis et Hispanis id tribuendum est, quod in extensissimis suis territoriis ultramarinis nonnisi suae nationis fratres operi missionario vacare permittebant[13]. Neque exteris missionariis naves conscendere licebat nisi sub nominibus transformatis (Morali-Morales), vel assumptis (Angelus Orsucci — Ferrer, Ludo-

vicus Traryn - Flores). Nationalismus quidam apparet, si imperator Iosephus I de magistri generalis socio Henrico Faber germanico non ita contentus huius loco Raymundum Fitzing Austriacum proposuit ac commendavit [14], vel si Poloni cum Lithuanis et Ruthenis aut Bohemi cum Polonis haud raro dissentiebant[15].

§ 56. Quaestiones legislativae et administrativae.

Summi Pontifices memoranda quaedam statuta pro bono religionis etiam hac periodo durante dederunt. Bulla sua diei 15 octobris 1652 Innocentius X uno calami ductu matura habita deliberatione s. congregationis Regularibus praepositae cuiuscumque ordinis vel congregationis parvas domos in quibus ob numerum exiguum religiosorum regularis disciplina iuxta peculiaria instituti placita servari nequibat tum in Italia et insulis adiacentibus tum extra has partes perpetuo exstinxit, suppressit atque abolevit, imposito quod infra sex menses domos huiusmodi realiter dimitterentur. Haec reductio parvarum domorum sicut convenientissima fuit, ita et salutaris pro dignitate ordinis et provinciarum exsistere potuisset, nisi effectus plenus pontificii statuti in Italia et extra Italiam magna ex parte nimiis explicationibus sequentibus et restrictionibus impeditus fuisset[1]. Deinde Innocentius XI 1677 specialiter pro ordine Praedicatorum quatuor decreta probavit, quae per protectorem cardinalem transmissa sunt « ab ipso magistro statim electo iuramento promittenda coram capitulo electorum priusquam in ecclesiam ad recipiendam obedientiam descendat ». 1679 haec decreta iterata fuerunt[2].

Primum de capitulis generalibus quolibet triennio celebrandis; secundum de visitatione Europae provinciarum personaliter a magistro generali facienda « cum ea maiore modestia et parsimonia quam religiosa humilitas exigit tam circa numerum sociorum aliorumque comitum et familiarium, ut non excedatur numerus sex vel octo... ideoque omnes expensae non possint excedere scuta quatuor quolibet die; tertium de nominatione magistrorum theologiae iuxta constitutionem Bonifatii IX; quartum de subscriptione actorum et decretorum capitularium per cardinalem protectorem et tres qualificatos patres a capitulo generali deputandos. Observantia tamen horum punctorum in se corruit tum ex temporum adversitate quae celebrationem capitulorum vel faciendas visitationes non permisit sive ex rerum et iuris conditionibus quae promotionem magistrorum et subscriptionem actorum secundum normas usitatas fieri postulabant[3], dum subscriptio indicta varie adest[4].

Benedictus XIII die 26 maii 1727 bullam « Pretiosus » fratribus Praedicatoribus transmisit in qua per paragraphos 85 eorum privilegia et iura roborat, innovat, extendit, declarat novisque concessionibus ampliat[5]. Hanc et alias eiusdem Papae litteras apostolicas in ordinis dominicani favorem Clemens XII 1732 ad terminos iuris redegit, ita ut pro fratribus Praedicatoribus nonnisi ea valerent quae absque Benedicti XIII concessione iam ex iure communi, concilio Tridentino, decretis ac constitutionibus apostolicis aliis possidebant[6]. At Clemens XII 1733 vicariis congregationum ius elegendi magistrum generalem in capitulis generalibus concessit, quod ius Benedictus XIV 1742 eis ademit[7]. Praeter haec statuta Paparum et congregationis de Regularibus studium promovendorum morum religiosorum semper vigebat, etsi in particularibus circumstantiis Papae praesertim ex personali habitudine ad magistros generales hos ab ordine visitando retinuerint.

Quoad observantiam industriae quaedam specialiter in Gallia, ubi cultus operum particularium florebat, notentur. In aliqua « Mémoire pour la réforme de l'Ordre de France » saeculo XVIII intrante composita, ratio dilabentis regularitatis ad numerum excessivum domorum parvarum merito reducitur[8]. Sub r.mo p. de Marini ad reformandam provinciam Franciae patres tres e Tolosana ditione delecti sunt. Tandem 1669 Ioannes Lepul ordinationes, quas pro conventu S. Iacobi Parisiensi instaurando dedit, typis mandavit[9].

Has administrativas et reformatorias dispositiones vel comitabatur, praecedebat aut sequebatur opus legislativum ordinis in capitulis generalibus et studiis particularibus. Clarissima publicatio (1655-56) Vincentii Fontana, quae constitutiones, declarationes et ordinationes capitulares ab anno 1220 ad annum 1650 refert, aliorumque patrum ut Camilli Jasinski Summarium ordinationum (1654), Petri Symars Constitutiones de mandato r.mi p. de Monroy elaboratae, Thomae Esbri Emendationes in constitutiones[11] praeoccupationem ordinis de iure et legislationis codificatione manifestant. Pariter provisiones r.mi p. de Monroy[12] et generalium capitulorum annis 1677, 1686, 1721, 1748, 1756 habitorum de editione constitutionum adornatiore et absolutiore[13] testimonium praebent intellegentiamque de editione sub r.mo p. Cloche facta faciliorem reddunt. In capitulo generali anni 1694 denuntiatum est, constitutionum novam editionem magistro ordinis commissam Romae typis prodiisse, « quas quidem

constitutiones approbamus et acceptamus, iniungentes patribus provincialibus ut satagant quod conventus omnes etiam parvi, unum aut duo exemplaria habeant »[14]. Excusa est haec editio Romae anno 1690 apud Tinassium[15], constatque pro more antecedentium editionum regula S. Augustini, constitutionibus fratrum et indice super eas, constitutionibus sororum, regula tertii ordini, summario indulgentiarum pro regularibus, libro de instructione officialium ordinis, tractatu de iudiciis, formulario actuum prioralium, chronica compendiosa a fundatore usque ad r.mum p. de Monroy producta. Laus huius editionis in eo summa sita aparet, quod ultima editio usque ad recentiora tempora fuerit.

§ 57. A magistro de Marini ad magistrum Ripoll.

Sicut Itali plerique qui ad generale magisterium assumebantur ex officiis curiae Romanae vel ordinis delecti sunt, ita et r.mus p. Ioannes Baptista de Marinis, cui vota electorum anno 1650 favebant[1], e secretario Indicis moderator fratrum Praedicatorum factus est. Eum a r.mo p. Ridolfi moribundo pro regimine ordinis tenendo commendatum fuisse asserunt. Ex matre nepos Vincentii Iustiniani magistri et cardinalis exsistens inter 8 fratres celebres quoque dominicanos duos, Thomam socium r.mi p. Secchi et Dominicum socium r.mi p. Ridolfi posteaque archiepiscopum Avenionensem et inter 9 sorores moniales 6 dominicanas numerabat. Ipse in paroeciae districtu Minervitano de Urbe natus, licet apud collegium Romanum societatis Iesu quam semper venerabatur institutus est, ordinem Praedicatorum summis votis assumpsit. Studiis in Hispania peractis professor Minervitanus renuntiatus est, moribus religiosis, scientia et dignitate originis pariter excellens. Quibus ex rationibus et Urbanus VIII secretarium Indicis eum constituit. In magisterio supremo ordinis observantissimum, a terrenis abstractum, rectum atque animo fortem interdum bonitati indulgentem se ostendit. Sapienter doctissimum Petrum Passerini procuratorem generalem assumens proficua administratione gubernacula moderabatur. Capitulo generali praeter illud electivum uni praefuit, de cetero litteris et emissis commissariis vel visitatoribus ordinem regens. Nisi obruentia negotia vel Paparum inhibitiones eum impedivissent, ditiones suas ipse visitasset. Si pro regimine decretum Innocentii X de conventiunculis libenter accepit,

pro ordinandis rebus gallicis sicut et pro ampliatione curiae ordinis multum curavit. Quaestionibus doctrinalibus de Molinismo, Iansenismo, Probabilismo deque ritibus Sinensibus vigilantiam ac defensionem tribuere non omisit. Infirmitatibus fractus anno 1669 a r.mo p. Oliva praeposito generali societatis Iesu visitatus pie obdormivit, ab oratore Iesuita elogio celebratus.

Duo generalatus sequentes insimul annos sexdecim explentes per fratres e ditione hispanica perficiebantur. Uterque magister ortu nobilis ex officio suo ad dignitatem archiepiscopalem auctus cessit. Prior quidem Ioannes de Rocaberti, e Catalauniae proceribus per septennium ordini praefuit, ordini exsultante animo glorias canonizationis Ludovici Bertrandi et Rosae Limanae, exaltationem liturgicam B. Alberti Magni aliorumque notificans. Contra Gallicanismum qui velut infirmitas quaedam omnes religiones in Gallia infecerat, procedere coactus Natalem Alexandre ad respectum Sedi Apostolicae debitum revocare nitebatur. Litteris historicis, pietatis, apologeticis, iuridicis toto vitae decursu illustris sed maxime tempore sui pontificatus Valentini piam solemnemque memoriam in ordine reliquit[2]. Antonius de Monroy Romae 1677 electus magister ordinis, habens originem e Hispanorum nobili stirpe, dum parentes Mexici commorabantur natus est. Sub habitu dominicano et missionarium Indianis et fratrum atque Mexicanae universitatis in doctrina sacra magistrum se praebuit. Cum ipse annorum 42 Romae eligebatur tum Summus Pontifex tum ordo tum ipse electus aliquantulum mirabantur. Faustum certe eius regimen ordini cessit. Imaginem eius ita r.mus p. Cloche fratribus revocat: « Recolite quae illius fuerit in ponderandis negotiis maturitas, in gerendis cautio et integritas, in conficiendis diligentia, in providendo ne quid religio detrimenti caperet singularis prudentia, in promovenda observatione disciplinae regularis vigilantia. Vestris obversentur oculis avita illius pietas cum solida eruditione coniuncta, sincerus animi candor, sermonis ingenuitas, grata in moribus, in habitu, in cultu, in incessu modestia, ab omni fastu pompaque ambitiosa abhorrens »[3]. Si vitae communis servatio ei cordi erat, non obstante diversitate minorum observantiarum licita, quae in partibus quibusdam vigebant, pro unitate ordinis zelabat. 1685 ad archiepiscopatum Compostellanum promotus e magisterio anno sequente abivit religiosos suos mores immutatus secum ducens († 1715)[4].

Contigit 1686 magisterium ordinis r.mo p. Antonino Cloche[5], tunc aetatis annorum 58, quod per annos 34 tenens nonnisi annos 92 natus morte deposuit. Ex diuturnitate sui regiminis nomen eius actis et factis tot tantisque miscetur et accrevit, ut in historia fratrum Praedicatorum notius remanserit. Auctoritas eius autem minime in sola longitudine dierum fundabatur. Etenim ardinem, quem 1644 amplexus est vita, religionis soliditate, doctrina, industria sua in pluribus Galliae circumscriptionibus mox ornabat. Studii causa, cui ardenter incumbebat, dormitionem suam abbreviavit. Parisiis et Romae pariter pro officiis explendis expetitus 1675 ad Urbem velut socius magistri generalis accessit ab anno 1686 titulo provincialis Daciae decoratus. Etsi Papae iam cognitus magister noviter electus Innocentio XI non ita acceptus erat, cum Sanctae Sedi acerbae res tunc cum Ludovico XIV agendae fuerint. At pensatis et viri merito et legati gallici explicatione Summus Pontifex r.mum p. Cloche ab ordine magistrum generalem designatum comiter excepit. Commendata perfecta bonorum communitate, quae ordini apostolico essentialis esse debet, et visitationes suscipiendas Cloche in prima sua encyclica annuntiavit, sicut et intentionem suam de evellendis inconvenientibus plantandisque semper magis cultu divino, praedicatione sacra et missionibus, studio sacrarum linguarum ac doctrinae. Re vera in omni hac ditione uberrimum eius magisterium fuit. De libris liturgicis et legislativis, de dispositione studiorum, de litteris augendis, de recte administranda bibliotheca Casanatensi, de problematibus ecclesiastico spiritu tractandis, de sanctis glorificandis, de verbo divino apud fideles et infideles ubique proponendo constanter curavit. Tam assuetus generalatui ipse coram ordine apparuit, ut eius successoris electio ex hoc capite difficilis esse videretur.

R.mus p. Pipia[6], e Sardinia oriundus provinciae Aragoniae filius, hereditatem sui praedecessoris strenue assumens, tamquam vir studiorum voluntate firmus et ferreus, tempus redimens, claras et breves ordinationes pro commercio fratrum cum ordinis curia et pro studiis dedit. A Benedicto XIII, a quo bullam « Demissas preces » de Thomismi puritate et obligatione die 6 novembris 1724 receperat, mense decembri eiusdem anni cardinalis renuntiatus magisterium anno insequente p. Thomae Ripoll Bononiae electo tradidit, Romae 1730 obiturus.

Initium generalatus r.mi p. Ripoll[7], qui 1702 socius magistri Cloche et 1722-25 provincialis Aragoniae exstitit, gratiarum significationibus Summi Pontificis Benedicti XIII illustrabatur. Anno 1730 post huius beatum decessum Clemens XII omnes concessiones maxime in bulla «Pretiosus» ordini Praedicatorum factas praeter leges Tridentinas vel favores Paparum ordinario largiri solitos abstulit, at Thomismum integre agnovit. Benedictus XIV amice etiam cum magistro et ordine fratrum Praedicatorum conversabatur, certe de bullario dominicano curis socii Ripoll praeparati et deinde curis patris Bremond sub generali Ripoll edito tamquam de re momenti canonici particulari modo laetus. Si r.mus p. Ripoll strenue factionem gallicanam inter Dominicanos persequebatur et exstinxit, etiam sequaces jansenisticos saltem publice emorientes et quaestionem rituum Sinensium resolutam salutare potuit. Considerata eius vitae austeritate et inter maximas tractationes pietate eximia, qua quotidie et psalterium et officium B. Mariae Virginis recitabat, confluxus insignis ad tanti venerandi senis anno aetatis 95 exspirantis exuvias mirus non fuit. Anno 1747 fatis terrenis functus est.

d) RESISTENTIA CONTRA ILLUMINATISMUM (1747-1804).

Sub pontificatu Benedicti XIV clarissime ille spiritus character Illuminatismi in mundo manifestabatur, qui non solum doctores quosdam singulos replevit sed ex doctrina singulorum plures rectores populorum. Quod Illuminatismus et Iosephinismus sequax et Ecclesiae et coetibus huic fidelissime deditis, nempe ipsis ordinibus, summe infensus exstiterit, ex immixtione guberniorum in res ecclesiasticas et ordinum satis superque probatum fuit. Spiritui quoque Illuminatismi aliqui religiosi mentem suam quodammodo aperuerunt sibimetipsis damnum non parvum infligentes. Strenue r.mus p. de Boxadors fratribus suis doctrinam S. Thomae velut inexpugnabile sanae auctoritatis praesidium commendabat, quin tamen dilacerationem quamdam et diminutionem ordinis cohibere potuerit.

Si intra annos circiter triginta, i. e. ab anno 1750 ad 1780, ordo fratrum Praedicatorum partem tertiam fere suorum fatrum perdidit, id signum est deficientis spiritus religiosi illius mundi et obstaculorum per impedimenta publica iis paratorum, qui ad vitam regularem adspirabant. Difficultates religiosorum semper qua-

si ubique creverunt, donec per rebellionem gallicam eiusque funestos effectus in nationibus plurimis saecularizatio proclamaretur, quae finem et suppressionem ordinum ac dominicanae vitae secum duxit. Et regiones, in quibus regularis vita non destruebatur, tamen vincula satis dura religiosis iniciebant.

§ 58. Moderatores supremi.

Vacante magisterio generali fratrum Praedicatorum r.mus p. Vincentius Ferretti, iam procurator generalis, vicarius ordinis ac praeses electivi capituli anni 1748 Benedicti XIV gratia designatus est. At libertate sua electores utebantur, denuntiantes « incredibili omnium exsultatione et consensione electum fuisse in r.mum ordinis magistrum p. fr. Antoninum Bremond, Massiliensem, regii San-Maximinensis coenobii alumnum clarissimum, collegii Casanatensis theologum et provincialem Daciae, qui denati ac praelaudati r.mi. p. fr. Thomae Ripoll ad plures annos pro Galliarum provinciis socius, prudentia doctrina, pietate in consiliis, in scriptis suis et religiosis moribus nedum universo ordini et Urbi et orbi probatissimus id praestitit ac promeruit, ut effusa omnium gratulatione eius assumptio exciperetur. Eam sibi ab electo per epistulam humiliter nuntiatam ss. d. n. Benedictus pp. XIV pro sua in ipsum veteri atque eximia voluntate prosequutus est literis amantissimis »[1]. Ordinis vero exspectatio de viro tam dulci et pio ex eius tenera valetudine quae ei vitam missionariam Americae vetuit decipiebatur. Iam anno 1752 morti proximus vitam mortalem anno 1755 finivit, postquam tum doctrinae et scriptorum emolumento tum bono missionum apud catholicos in Borussia et apud infideles exterarum regionum prospexit[2].

Successorem nactus est Ioannem Thomam de Boxadors, licet Benedictus XIV iterum r.mum p. Ferretti vicarium ordinis ac praesidem capituli instituerit. Ipse Papa electioni praefuit[3]. R.mus p. de Boxadors, e familia Catalauniae, sanguine cum genere de Rocaberti iuncta ortus, aulica vita consiliarii apud Carolum VI Viennae spreta, habitum dominicanum anno 1734 petivit, sub quo ingenium suum disciplinae et doctrinae peroptime velut provincialis Aragoniae, socius r.mi p. Bremond et tandem tamquam magnus ordinis magister ostendit[4].

Si in prima littera ad ordinem data, post monita cultus divini et observantiae ad sequelam S. Thomae doctrinae ex sua parte incitat, non solum de superatis systematibus iudices fratres esse voluit[5], sed adversus novum spiritum encyclopaedistarum atque Illuminatismi pugiles Ecclesiae fideles[6]. Nonnisi per hunc respectum huius viri perspicacis ad Aquinatem iugis attentio explicari valet. Cum capituli generalis anno 1759 in Hispania celebrandi facultatem a Clemente XIII non reciperet, in patriam inter annos 1760-64 visitaturus perrexit, severa sua semper ratione vitae custodita. Contra insurgentem immixtionem nationum vel guberniorum in res ordinis totius sive contra amputationem partium ordinis ab eius universalitate strenue se opponens capitulum Gallorum nationale non agnovit. Durum certe officium ei incubuit, cum imperatorem Austriae Iosephum II etiam Ecclesiae et religionum laicizatorem per aedes Minervitanas et per Casanatensem anno 1769 ducere deberet. Inter summas difficultates undique exorientes in progrediente ordinis diminutione, in suscipiendis pluribus locis sacri ministerii post dissolutam societatem Iesu, mente fidei et rectitudinis elevatus, magister de Boxadors fratres ita rexit, « ut nullius incongruae voluntati deserviverit », quemadmodum Pius VI de eo noviter ad cardinalatum assumpto edixit[7]. Cum biennio sub purpura ordini praefuisset, anno 1777 non absque interventu suo sibi Balthassarem de Quiñones in generalatu sequi vidit, qui votis 56 contra 32 vota Italorum, Gallorum, aliquorumque Germanorum electus est[8].

R.mi p. de Quiñones qualitates nobiles, spiritus et eloquentiae, propter quas inter praedicatores aulicos Caroli III regis Hispaniarum et inter socios r.mi p. de Boxadors adnumerabatur, impedimentis multiplicibus sui temporis suffocabantur. Exorta rebellione gallica cum plures fratres Galli in alias terras emigraverint, quae tamen ipsae velut ab exercitibus gallicis mox pervertendae hospitibus refugia secura praebere non poterant, magister generalis rei duritie considerata impotentem ad dandum iuvamen se confitebatur. A facie Summi Pontificis ad Quercum dimissus, prope Florentiam 1798 obiit[9]. Vicarius generalis, quem in Hispania abiturus conditionate nominavit Pium Iosephum Gaddi iam procuratorem, officium sibi inconditionate a Pio VI dari impetravit, quod intrantibus Gallis militibus Romam e nativa sua civitate Foroliviensi exercuit. Nemo nisi Hispani in ordine de hac re reclamavit, discussionibus, deinde Hispanorum anno 1798 ortis et nonnisi anno 1804 ex divisione regiminis supremi super fratres Praedicatores finitis[10].

§ 59. Ordo tempore Illuminatismi et rebellionis gallicae.

Corruptio morum et fidei despectus, qui apud proceres praesertim aulae Ludovici XIV et Ludovici XV invalebat, religionem rem irridendam esse finxerunt, dum philosophi « puram » suam rationem praedicando humanam mentem a quocumque nexu cum ordine supernaturali solvebant. Hanc emancipatam libertatem humani spiritus gubernatores nationum ad consilia suorum satellitum mox in negotiis status et Ecclesiae ita valere fecerunt, ut huius iura ab illius potestate penitus absorberentur. In Gallia anno 1765 habita iam unione cleri insequenti anno « commissio regularium » ex episcopis aliquibus et magistratibus composita est, quae propria auctoritate incedens non in bonum sed in ruinam religiosorum laboravit. Cum commissio haec anno 1768 novas ordinum constitutiones concinnaverit, domus regulares, quae membra 9 non possidebant, suppressae declaratae sunt. Fratres Praedicatores plures in initio quidem huic tentamini novarum constitutionum nationalium se opponebant, at urgente archiepiscopo Tolosano de Brienne, e commissione regularium, ut separatio Gallorum fratrum a iurisdictione magistri generalis obtineretur, apud novitiatum generalem Parisiensem anno 1771 capitulum nationale congregatum est, in quo p. Caudron archiepiscopum Arelatensem velut alterum ordinis fundatorem salutavit. R.mus p. de Boxadors a legato Galliarum invitatus ad signandas constitutiones nationales fratrum firmiter recusavit, evolutionem rerum impedire nequiens[1].

Interea vocationes religiosae ex decretis Ludovici XVI rariores in dies fiebant. Nam aetas pro votis emittendis requisita ex parte status ad annos 21 aucta est. Anno 1767 provinciae Franciae, Parisiensis, S. Ludovici singulae novitios tres habebant, provincia Tolosana unum. Tandem anno 1789 « status generales » convocati sunt, qui in unionem constituentem res publicas se transformaverunt, et anno 1790 ordines religiosos suppresserunt. Religiosi qui ordini fideles remanere cupiebant, domum eis assignatam ingredi debebant concessa eis pensione e confiscatis bonis ecclesiasticis sumpta. Speciales gubernii commissarii per monasteria et conventus voluntatem religiosorum exquirebant, nomine Iacobinorum ex nunc agitatoribus rebellionis ingentis proprio quod erat antea fratribus Praedicatoribus S. Iacobi Parisiensis aliisque dicatum. Congregationes fratrum paucae vitam conventualem adhuc continuare

poterant donec et novitiatus generalis tamquam ultimus conventus 1793 die 5 octobris vi claudebatur, exstincta ad tempus religione praedicatoria in Gallia, fratribus plurimis in refugiis sive patriae sive apud exteros se recipientibus, aliis deportatis, paucis iuramento constitutionem civilem firmantibus ut illo p. Andrea Constant quem et episcopum constitutionalem consecraverunt. Fidelitatem suae causae patres varii in carceribus vel capitis amputatione profitebantur[2].

In dominiis austriacis Iosephus II, Febronianismi assecla, plurimos conventus ordinum contemplativorum necnon et mendicantium sensim suppressit, ab anno 1780 etiam Dominicanis commercium («nexum») cum magistro generali interdixit, receptionem postulantium prohibuit[3]. Anno 1783 transmutatio conventus Viennensis in seminarium centrale imminebat, at inspiciens imperator ipsas aedes religiosas, intercedente praedicatore caesareo, conventum imperturbatum reliquit[4]. Provincia prospera Bohemiae tertiam partem suarum domorum amisit, ita ut exinde 4 conventus in Bohemia, 3 in Moravia exsisterent, aliis in Bohemia, Moravia et Silesia clausis[5].

Belgici conventus in Habsburgico territorio iacentes permulti, ut Antverpiensis, interierunt[6], aliis, ut Bruxellensi, manentibus[7]. Leopoldus imperator anno 1791 fratris sui decreta plura revocavit, spiritu hostilitatis gubernii in res regularium profunde non mutato. Insuper exercitus fines Galliarum excedentes omnes conventus per Belgium exsistentes provinciarum Germaniae inferioris, S. Rosae, Angliae dispergebant. Patres aut ad amicos vel familias redibant aut exsules facti in Germania et Austria receptacula impetrabant[8]. Exstinctis communitatibus vita dominicana autem non perierat sed spes et fortitudo restaurationem futuram promittebant.

Dominatio austriaca per Venetiarum et Lombardiae terras inconsulta Sancta Sede conventus episcopis subdidit, fratribus augeri vetuit, plures domos clausit. Respublica Venetorum talia decreta et exempla imitari non cunctata est[9], dum sub Leopoldo per Tusciam dominante inter annos 1782-86 conventus dominicani 8 provinciae Romanae et 4 congregationis S. Marci ordini subtracti sunt[10]. In regno Siciliae utriusque Ferdinandus anno 1788 regularibus suae ditionis inclusis Melitensibus communicationem cum ordinis magistro interdixit[11].

In Germaniae parte superiore vocationes per alteram medietatem saeculi XVIII paulatim diminuebantur, dum anno 1802 saecularizationis decreta electoris Bavariae et mox regia statuta vitam communitatum sustulerunt[12]. Conventus provinciae Teutoniae effectum Febronianismi et Iosephinismi et rebellionis gallicae subierunt sive in localem congregationem transformarentur, ut anno 1790 fratres Francofurtani[13] sive dira irruptione militum Gallorum expoliarentur ut fratres Colonienses qui saeculares suas aedes intra horarum duarum spatium relinquere coacti sunt thesauris librariis et archivi dispersis[14], sive membrorum inopia debilitarentur. Provinciae linguae polonicae et ex immixtione guberniorum et ex bellis Napoleonicis plerumque dilabebantur[15], dum fratres Angli et Hiberni sive e Belgio sive ex Urbe per Gallos milites eiecti non solum suis in patriis sed etiam in America septentrionali novas fundationes cum fiducia divini auxilii susceperunt[16].

Per Hispaniam et Lusitaniam ordo quietem servavit, aliquando per irruptionem exercituum extraneorum turbatam[17]

II. Constitutio ordinis.

Historia constitutionis dominicanae a saeculo XVI ad saeculum XVIII potius in praxi administrationis quam in iure variationem respectu status constitutionis ordinis ipsius percipit. Etenim ex maiore centralisatione curiae Romanae etiam curiae moderatorum supremorum religiosorum ordinum aliquomodo hunc centralisationis influxum subierunt, quem et character absoluti regiminis saeculorum XVII et XVIII auxit.

§ 60. Magister generalis.

Magistri generalis ordinis officium atque auctoritas specialem aspectum accipere coepit, cum capitulis generalibus saepe deficientibus moderamen fratrum ac conventuum et provinciarum magister ordinis solus exsequeretur[1]. Loco consiliorum quae a capitulis generalibus dari potuissent, consilia sociorum, qui ex uno vel duobus ad numerum quaternarium sensim aucti sunt, plerumque magistrum generalem iuvarunt. Attamen et nunc si capitula celebrabantur mandata reverendissimo patri iuxta morem antiquum constitutionalem e. g. de mittendis vel faciendis visi-

tationibus data sunt[2]. De cetero capitulum generale anni 1600 auctoritatem supremam magistri ordinis tum in spiritualibus quam in temporalibus agnovit ac roboravit. Ei soli atque definitorio capituli generalis nomen reverendissimi competit[3].

Magis magisque ipse auctoritate apostolica munitus provincias ordinis novas condit[4]. Potest ex facultate Iulii II anni 1513 a provincialium cura eximere fratrum conventus et sororum monasteria in favorem regularis observantiae. Monasteria a cura ordinis dimittere absque consensu capituli generalis nequit[5]. In Urbe ipse propter negotia principaliora ordinis gerendis in curia Romana, quae ex saeculo XVI magis magisque perfecta est cum variarum sacrarum congregationum apparatu, nunc regulariter residere debet[6]. Relationes provincialium de statu suarum ditionum recipere atque inspicere tenetur[7]. Ad firmandam auctoritatem, quam magister ordinis sive ordinarie sive ex concessione apostolica delegata exercet, capitulum generale anno 1656 declaravit: « non est subditorum disquirere, utra harum duarum auctoritatum magister ordinis hoc illudque statuat vel prohibeat in suis litteris, sed sufficit omnium securitati modeste supponere, quod dum magister ordinis tale quid ordinat, vetat aut declarat, alterutram istarum auctoritatem habeat et adhibeat sicque eidem et simpliciter credendum et humiliter devoteque parendum est »[8].

Circa electionem magistri ordinis notanda repraesentatio interdum electorum occurrit, qui paticulari indulto aut iure ad hanc facultatem pervenerunt, ut Galli fratres congregationistae 1608[9], tres fratres pro Portugalliae, Hiberniae, Peruana provinciis 1694[10], vel (iuxta ordinationem anni 1629) procuratores generales provinciarum indicarum[11]. Peracta electione, si Romae habita est, novus magister Papae praesentari solebat[12]. Ita enim anno 1571 capitulares denuntiant, magistrum Cavalli « sanctissimo domino nostro Pio V solemni processione oblatum ab eodem hilari vultu exceptum et acceptatum fuisse »[13]. Haec processio locum utique non habuit, cum Benedictus XIV 1756 et Pius VI 1771 electioni praefuerit. R.mum enim p. de Boxadors « continuo atque electus fuit, idem ss. d. n. ad pedum beatorum oscula clementissime admisit et eximiis benevolentiae significationibus summa patrum gratulatione complexus est »[14].

Circa finem magisterii aut ex depositionibus vi suprema ecclesiastica facta[15] (ut pro Fabri et Ridolfi) aut ex ascensu ad digni-

tates ecclesiasticas (ut in casibus Caietani, de Loaysa, Iustiniani, Xavierre, Galamini, de Rocaberti, de Monroy, Pipia, de Boxadors) solutiones extraordinariae reperiuntur. Plerumque per breve spatium magistri in cardinales vel archiepiscopos delecti, si Romae degebant, regimen ordinis continuabant, ut magistris Galamini, Rocaberti, Boxadors accidit[16]. De loco et iure ex-magistri generalis anno 1644 ampliora ordinata sunt[17].

Titulus supremi moderatoris inconsuetus nempe « praesidis » ordinis Nicolao Ridolfi a Papa collatus est, cum hic honori restitutus ordinem usque ad electionem novi magistri moderaretur[18]. Imo cardinalis Barberini paucis annis antea « gubernatoris » ordinis nomen gerebat, quo quidem eius potestas in res ordinis plane extraordinaria exprimeretur[19].

Vicarii generales sive ab ipsis magistris ordinis iuxta leges sive ab Apostolica Sede[20] et haud raro quidem in epocha nostra arbitrario modo instituti sunt. Aliquando etiam Vincentium Maculano praeter ordinis magistrum vicarium generalem non absque dualismi specie videmus[21].

Saltem ab anno 1669 magister generalis per regem Hispaniae cum titulo « Grande de España » insignitus est[22].

§ 61. Procurator ordinis Socii et alii officiales.

Procuratoris munus praeclarum per fratres illustres, qui ad magisterium ordinis interdum designabantur, ad utilitatem ordinis cum curia Romana gerebatur. Nomina de Vio, Schönberg, Du Feynier, Manriquez, Sousa, Maffei de Marcianesio, Castellini, Passerini (1651-77), Molo (1707-37), Ferretti (1737-57) documento sunt[1].

Contributiones, quas procurator ordinis ex tempore medii aevi percepit, in epocha nostra prorsus insufficientes evaserunt. Quare et anno 1551 pro eo auctae sunt[2] et anno 1592 statutum est, ut provinciae ipsae pro suis negotiis respectivis procuratorem generalem indemnem redderent[3].

Quod tamen ab omnibus provinciis factum non est. Ideo anno 1706 capitulum generale contributiones procuratori ordinis ab italicis provinciis exinde quoque solvendas praescripsit et praecepit[4].

Dum ex una parte pluries inculcatur nonnisi procuratorem ordinis ipsas res ordinis cum curia tractare posse et debere[5], ex alia

parte anno 1691 eius officium ab illo vicarii generalis alienum esse debere sancitur et e converso, ita ut munia haec distinctis patribus conferantur.

Aliquando institutio procuratoris generalis a magistro ordinis facta in actis capituli generalis denuntiatur, ut anno 1583 nominatio Ioannis de las Cuevas[6].

Sociorum magistrorum sicut et vicariorum generalium ordinis munus ac series in hac epocha magis ex commercio litterarum atque administrationis quam in medio aevo apparent. Auctae quodammodo dignitati honor augendus erat. Ita Iulius II die 14 decembris 1509 magistro ordinis concessit: « Binos fratres tibi de more socios, quorum unus provincialis Terrae sanctae alter scriba esse solet et laboribus pro tanta religione susceptis impediti studiis studiorumque exercitiis commode interesse non possunt, si alias scientia sunt idonei et eos gradus ac honores non habeant, ad baccalaureatus et magisterii theologiae gradus et honores valeas promovere »[8].

Iulius III die 15 septembris 1553 socio provinciali Terrae sanctae vel Angliae aut alterius provinciae desolatae iura ampliavit, concedens ei durante socii munere vocem, locum, privilegia, quibus ceteri provinciales in ordine fruuntur[9].

Gregorius XIII dein tum Seraphino Cavalli (1572) tum Sixto Fabri (1583) diutius in ordine servatam consuetudinem « unum ex ipsis sociis tuis nulla praecedente electione titulo prioris provincialis Terrae sanctae vel alicuius alterius malitia temporum desolatae provinciae ipsius ordinis » habendi firmavit[10]. Innocentius X autem die 13 octobris 1648 magistro Turco potestatem fecit duos ex sociis suis provinciales constituendi cum titulis Terrae sanctae vel alterius deperditae provinciae aut Angliae vel alterius desolatae provinciae[11]. Tandem Benedictus XIV die 6 maii 1752 statuit, magistrum ordinis quatuor socios ad provincialatus titulares promovere posse[12]. Tituli provincialium titularium sive Terrae sanctae sive Angliae sive Daciae sive Scotiae esse consueverunt.

Iuxta extensionem ordinis, qui potius nunc per litteras a curia magistri generalis transmissas quam per generalia comitia regebatur, negotia epistularum per socios complebantur, qui varias ordinis regiones tempore labente sibi diviserunt[13]. Ex tempore r.mi p. Antonini Cloche quatuor socii regulariter inveniuntur pro Hispaniis, pro italica lingua, pro provinciis borealibus, pro Gallis.

Socii magistri ordinis cum eo consilia particularia inierunt, quorum deliberationes in libris consiliorum ab anno 1622 incipiunt[14].

Pauca nomina praeclariorum sociorum[15] sufficiant, ut laborum eorum momentum pro ordine indicetur. Nicolaus de Schönberg primus in hac epocha occurrit. Deinde itali Leander Alberti, Franciscus Romeo de Castiglione, Angelus Bettini, Vincentius Iustiniani, Seraphinus Cavalli, Sixtus Fabri, Thomas et Dominicus de Marinis, Lucas Castellini, Vincentius Maculano, Vincentius Fontana. Pipia, Thomas Augustinus Ricchini, Thomas Natta, Salvator Maria Roselli inclaruerunt. Hispani Antonius de Caceres (1587), Ludovicus Ystella, Ludovicus de Aliaga, Peruanus Antonius Gonzales de Acuña (1661), Aequatorianus Ignatius De Quessada atque iterum Hispani Ripoll, per annos viginti, Boxadors, Quiñones, Ioachim de Theran laudabiliter socios magistrorum generalium se praestiterunt. Pro provinciis Galliae praesertim Petrus Girardel (1628), Antoninus Cloche, Antoninus Massoulié, Antoninus Bremond laborarunt, dum ad utilitatem provinciarum borealium ab insulis britannicis per Germanias usque ad Russiam se extendentium modo fratres Teutoniae ut Leonardus Hansen, modo Austriaci ut Raymundus Fitzing, modo Bohemi ut Emericus Langenwalter (per annos viginti), modo Slavi ut Bartholomaeus Kowacz, modo Hiberni ut Lucas Concanen sociorum officia impenderunt.

« Societas » magistri ordinis precibus fratrum aliquando capitulariter commendabatur[16], dum postea magistri generales ordinarie pro se sociisque orare fecerunt.

Novis necessitatibus in administrando ordine, qui residentiam generalitiam Romae magis magisque ampliare debebat, novorum officiorum atque institutionum creatio respondebat, puta depositi ordinis, archivi ordinis, postulationis beatificationum ac canonizationum.

Post introductum depositum conventuale ac provinciale et depositum ordinis generale ordinatum est. Ita enim praeside r.mo p. Ridolfi patres capitulares anno 1629 decreverunt ut in « Urbe instituatur commune totius ordinis depositum a magistro ordinis ad expensas faciendas pro celebrandis capitulis generalibus, pro redimendis fratribus captivis, pro mittendis fratribus ad provincias desolatas, pro causis beatificationis et canonizationis sanctorum ordinis promovendis, pro libris ordinis et fratrum eiusdem imprimendis et pro negotiis totius ordinis in hac curia et in aliis cu-

riis imperatoris, regum et principum peragendis»[17]. In unaquaque autem provincia collector quidam ad colligendas pecunias huiusmodi deputetur[18].

Summo studio magister de Marinis prope Minervam Romae archivum construxit[19], quod in maximum religionis commodum atque ampla intentione ipse consentientibus definitoribus anno 1656 decreverat, «in quod omnia monumenta, bullae, diplomata, brevia, documenta, scripturae authenticae et quidquid eiusmodi ad religionem nostram spectat, ordinate comportabuntur atque exinde sincera et integra nostri ordinis historia a tot iam lustris desiderata labore ac industria certorum patrum ex diversis provinciis ad hoc eligendorum studiosissime extrahetur... ad huiusmodi impendia ex singulis provinciis et congregationibus unam medietatem contributionis quotannis eidem magistro ordinis pendi solitae » addendam capitulares ordinarunt[20].

Tempore iam Urbani VIII capitulum generale 1629 magistro ordinis commisit, ut instituat eligatque patrem aliquem gravem, prudentem zeloque gloriae sanctorum nostri ordinis ardentem, qui canonizationes et beatificationes fratrum et sororum, qui in communi existimatione sanctitatis vixerunt et obierunt, promoveat »[21].

Pro his causis postulator postea libros et rationes expensarum specialium servare debuit[22], pro quibus ante postulatoris officii apud nos creationem capitulariter necessitate occurrente e.g. anno 1605 determinatum est[23]. Contributiones quoque exinde non solum procuratori generali verum etiam magistro ordinis a provinciis tradendae erant, « ut habeant unde se sustentent ». Taxatio anni 1515 per capitulares patres[24] anni 1551 aucta est et iterum « ut ipse reverendissimus pater generalis cum sua familia se sustentare queat » 1589 augmentum contributionum pro eo acceptum est, sicut et 1592 contributionum pro magistro et procuratore nova taxatio locum habuit[25].

Particularibus causis postulantibus speciales contributiones impositae sunt, e. g. ad sustentationem Thomae Malvenda qui ad historiam ordinis consignandam manum admovit[26] vel pro editione operum B. Alberti Magni[27].

Hospitium quoque pro fratribus ad Urbem venientibus recipiendis[28], postquam 1539 et 1542 priori Minervitano erigendum frustra commissum est, 1553 magistro generali et quidem sumptibus provinciarum hospitio indigentium aptandum imponebatur[29]. 1558 eidem generali magistro cura prosequendi erectionem fabricae pro ho-

spitibus provinciarum exterarum in Urbe iniuncta apparet[30]. Absolutionem autem huius domus hospitum Thomas Manrique procurator generalis valde promovit, pecunia compulsa etiam ope indulgentiae pro iis qui ad aedem hanc construendam concurrerent, a Paulo IV obtentae[31].

§ 62. Capitulum generale.

Capitulorum generalium ius et celebratio usque ad medietatem saeculi XVII satis regulariter vigebat habitis inter annos 1508-1656 inclusive comitiis ordinis 41. Postea autem nonnisi capitula generalia 10 numerantur.

In initio huius periodi efficaciter capitulares sicut in medio aevo de omnibus rebus ordinis statuunt, ordinant, approbant, confirmant, officiales instituunt et deponunt, processus perficiunt, fratres vel sorores aut conventus transferunt, lecturas et magisteria acceptant, personas meriti causa suffragiis fratrum commendant.

Ex quo vero capitula generalia nonnisi occasione electionum magistrorum ordinis congregarentur, processus per modum inchoationis, approbationis, confirmationis desiit. Ab anno 1608 speciales provinciarum sectiones incipiunt[1], quae usque ad annum 1777 in capitulis generalibus omnia continent, quae pro provinciis respectivis in particulari statuuntur. Ab anno 1694 hoc schema redactionis capitularium deliberationum servatur: post capitularium nomina et magistri ordinis litteram veniunt denuntiationes, deinde confirmationes, declarationes, admonitiones, ordinationes et pro observantia regulari, et pro studiis et pro regimine proque regimine monialium si opus est, commissiones, concessiones, statuta pro singulis ditionibus ordinis, suffragia mortuorum, elogia interdum fratrum et sororum.

Indictio capitulorum generalium aliquando mutata est ut 1569 ex Antverpia Romam, 1608 ex civitate Parisiensi pariter Romam[2], aliquando vero dilatata ut 1521, 1556, 1586[3], aliquando tandem frustrata ut 1671 et 1751[4]. Insuper bonam voluntatem ordinis habendi huiusmodi consessus generales sive pestis sive calamitates publicae impediverunt. Et ab anno 1650 commercium litterarum a magistro generali transmissarum potius ordinem direxit quam vox atque animus definitorum[5].

Frequentia fratrum capitularium ex loco et tempore, pro quibus coetus generales indicti fuerunt, valde dependebat. Per patres Vallisoleti anno 1523 numero novenario congregatos mandabatur, quod «quia ex impedimento bellorum et pestis non omnes definitores convenerunt» per provinciales seu praesidentes determinatarum provinciarum acta huius capituli mittantur ad alias vicinas ditiones ordinis[6]. Terrarum devastatarum vel remotarum provinciarum fratres interdum per longum tempus e consessibus ordinis se abstinuerunt. Ita e. g. anno 1592 Gallus unus definitor ad capitulum generale accedit[7]. Provincia Bonaerensis 1725 erecta nunquam comitiis generalibus adstitit. Haud una vice voces de maiore intervallo inter capitula ordinis celebranda auditae sunt. Cum enim quamplures provinciales et fratres diversarum provinciarum Urbano VIII exposuerint, capitula generalia fratribus gravia incommoda et dispendia cum non modico regularis disciplinae detrimento generare, Papa 1625 tempus capitulorum de sexennio in sexennium mutavit[8]. Attamen effectus hanc constitutionem secutus non est. Eodem saeculo adhuc, nempe anno 1694, «in actuali definitorio huius capituli generalis perpensis mature expensis, quae pro celebratione capituli generalis fieri solent, commissum est magistro ordinis, ut humillime a Sanctissimo postulet, quatenus ordinationem factam a s. m. Innocentio XI, quod de triennio in triennium celebrationem capituli generali demandat, extendere velit ad sexennium»[9].

In habendis capitulis generalibus etiam apparatu solemni distinctis non indifferentes fratres exstiterunt, si e. g. 1523 synodus Valleoletana Caroli V «imperatoriae maiestatis praesentia locum frequentantis manumque regiam adiutricem porrigentis maxime decorata est»[10], si Valleoleti 1605 potentissimus Hispaniarum rex catholicus capitulum amplissimis favoribus cumulavit processionemque fratrum ab ecclesia nostra S. Pauli ad cathedralem tam in accessu quam in reditu ipsemet pluribus principibus et horum regnorum proceribus comitatus condecoravit. Fontemque baptismalem, in quo S. Dominicus salutares aquas recepit, ab oppido Calaroga Vallisoletum pro baptismo principis filii in templo nostro asportari mandavit. Publicas disputationes una cum regina uxore praesentia conhonestavit atque amplissimam eleemosynam maxima cum hilaritate pro fratribus alendis tribuit[11]. Grati definitores fuerunt, cum anno 1611 comitia Parisiis habita Maria de Medici regina

« regens » Galliarum multipliciter ornaverit[12], vel si 1629 Tolosates translationem reliquiarum S. Thomae occasione sessionum generalium ordinis Praedicatorum instituerint[13], vel si in Urbe Summi Pontifices Dominicanos capitulares aut praesentia honoraverunt aut ad audientiam receperunt. Capitulares 1569 Romae congregati ordini significarunt, « qualiter sanctissimus in Christo pater et dominus noster Pius papa quintus pro sua erga suum et nostrum ordinem eximia benignitate feria quarta infra octavam pentecostes, quae fuit prima huius mensis iunii, dignatus est personaliter ad hunc nostrum conventum et capitulum accedere suaque sanctissima praesentia illustrare et humanissime universos fratres nedum ad oscula pedum, verum etiam ad pientissimas aures admittere, per totamque diem nobiscum commorari, universis benedictione et gratiis, quantum licuit, donatis ». Tunc et cardinalis Bonello capitularibus reliquias Lateranenses ostendit[14]. Deinceps capitulares generales Romae praecipue cum electo magistro generali ad Papam accesserunt[15]. Cum Benedictus XIV et Pius VI electioni magistri 1756 vel 1777 interfuissent, magister et capitulares postea Papae invisendi causa ad palatium Quirinalis vel Vaticanum se contulerunt[16].

Circa disputationes publicas theologicas, quae deinceps in nostris capitulis generalibus aut provincialibus habendae sunt, assertiones proponantur de pertinentibus ad sacram scripturam sive ad theologiam moralem aut speculativam, prout Bononiae 1564 ordinatur[17].

Festivitas ergo et sancta et publica his capitulis generalibus minime defuit sicut neque amoenae curiositates defuerunt. Inter erogata manualia, quae 1721 pro capitulo electivo registrantur etiam summula invenitur « per li tamburi e trombe del Campidoglio chiamati da F. Luigi Moni nel giorno dell'elezione »[18].

De capitulis generalissimis duabus vicibus sermo occurrit. Nuper electus magister ordinis Sixtus Fabri post visitationes provinciarum aliquarum peractam 19 novembris 1583 ab aliquibus et 12 ianuarii 1584 ab aliis provinciis consensum de celebrando anno 1586 capitulo generalissimo Neapoli exquisivit et mense septembri 1584 hoc capitulum pro anno 1586 Neapolim convocavit. At difficultates postea ortae capitulum simplex nonnisi 1589 haberi permiserunt[19].

Deinde Urbanus VIII in re magistri Ridolfi agitatus nutu et imperio suo capitulum generalissimum 1644 in almam Urbem coëgit, quod licet « sub titulo generalissimi convocatum celebratumque fuerit, reipsa tamen quoad auctoritatem condendi aut innovandi leges ordinis fuisse generale tantum ex decreto eiusdem sanctissimi domini nostri »[20] perhibetur.

§ 63. Provinciae earumque administratio.

Circa provincias respectu habito ad medium aevum ex temporalitate priorum provincialium nunc magna mutatio notatur. Etenim Iulius II die 27 iulii 1504 percepto quod perpetuitas seu diuturnitas in officiis ordini multa detrimenta ac contentiones afferre consuevit, perpetuo statuit atque ordinavit, «quod in praedicto ordine priores provinciales ultra quadriennium, conventuales vero.. ultra biennium in huiusmodi non possint perseverare officiis, sed his elapsis temporibus ipso facto absque alia absolutione sint a praefatis officiis absoluti »[1]. Quadriennium autem istud extendi intelligitur ad capitulum generale, in quo magister ordinis electus erit vel in quo provinciales definire deberent. Cum haec apostolica statuta apud plerasque provincias maxime septentrionales ex ratione observantiae et continui regiminis eidem proficuae acceptari non potuerint, Iulius II anno 1505 litteras anni praecedentis quoad provincias Tolosanam, Franciae, Narbonensem, Teutoniae, Angliae, Saxoniae, Daciae et alias extra Italiam quas protector ordinis nominaverit usque ad capitulum generale anno 1507 celebrandum suspendit, concessa illi capitulo potestate auctoritate etiam apostolica de hac re perpetuo statuendi quod ordini conveniret[2]. Capitulares anno 1507 Papiae congregati determinationes pontificias temporalitatem officiorum circumscribentes declinaverunt, «non infringentes tamen privilegia et provisiones apostolicas provinciis aliquibus et congregationibus ante bullam praefatam (1504) concessas et consuetudines ac statuta inter se ordinata et observata »[3].

Novis provinciis postea plerumque auctoritate apostolica erectis extra Italiam provincialatus quatuor annorum et prioratus conventualis trium annorum norma data est[4].

Tandem Romae capitulariter anno 1629 ordinatum est, « ut cum Iulius II disposuerit, ne provinciales ultra quadriennium in officio provincialatus perseverent ad uniformitatem durationis su-

periorum in nostro ordine servandam et regimen provinciarum et conventuum eiusdem utiliter et quiete administrandum provinciales durent in suis officiis quadriennio et priores conventuales triennio, exceptis provinciis, in quibus est speciale indultum apostolicum, quoad vicarios vero congregationum dicta constitutio Iulii II observetur, ut videlicet triennium non excedant »[5]. Provincialium residentiae particulares magis in hac epocha innotescunt, quam in aevo medio[6].

Emergentibus novis rationibus variae provinciae quae fratres diversi characteris vel sanguinis in finibus suis continebant, mutationem provincialium secundum « nationes » diversas admittebant. Ita pro provincia Aragoniae anno 1605 ordinatur « ut provinciales alternative eligantur, dummodo digni et habiles reperiantur et non alias, ex tribus praecipuis nationibus, incipientes a Catalonia »[7]. Atque Urbanus VIII anno 1642 una vice provincialatum Mexicanum natis in Hispania, alia vice filiis Indiarum tribuendum esse statuit[8].

Provincialium munus in Indiis statim ab electione incepit. Magistro ordinis electio provincialis subito denuntianda fuit, etsi confirmatio ab eo non exspectabatur[9]. Provinciae Indiarum de cetero quodam iure particulari gaudebant[10], quod ex earum distantia a centro ordinis explicatur.

Inter varias directiones, quae pro bono provinciarum ipsis prioribus provincialibus a capitulis generalibus dabantur, illam anno 1615 citare libet, secundum quam « nullus omnino provincialium inconsulto magistro ordinis contributiones pro sui officii usu et necessitatibus in provincia augere audeat. Expensas vero extraordinarias pro communi bono provinciae de consilio capituli provincialis aut patrum provinciae idest magistrorum provinciae et eorum qui fuerunt provinciales constituere poterit »[11].

Socium provinciales habere usus antiquus fuit, ex admonitione comitiorum generalium Barcinonensium anno 1574 roboratus[12]. Patres provinciae ex declaratione capituli generalis Valentini anno 1596 considerantur non solum illi, qui provinciales ipsius provinciae fuerunt sed etiam magistri in theologia rite instituti, qui a provincia acceptati gratiis et privilegiis magistrorum fruuntur. His patribus provinciae ex ordinatione 1629 competit, petitiones provinciarum tam pro gradibus quam pro aliis rebus quibuscumque formare[13].

Praeter capitula provincialia alia comitia, quibus intermediorum capitulorum nomen, in provinciis celebrari solebant. Anno 1580 provinciis Provinciae et Occitanae et 1596 pluribus aliis, ut ab his intermediis consiliis abstinere possint, gravibus ex causis conceditur[14].

Provinciis, quae grave aliquod negotium in Urbe tractandum habebant, patrem graviorem Romam transmittere licebat, dummodo magister ordinis et procurator generalis moneantur atque audiantur[15]. Praesertim provinciae Indiarum procuratores in Europa habebant, quibus et facultates particulares in repraesentandis suis ditionibus coram ipsis generalibus capitulis interdum fiebant[16].

Depositum provinciae circa initium saeculi XVII in usum venit[17].

Regimen ordinis per provincias aliquando simplificabatur, cum plures congregationes observantiae in formales provincias transformarentur. At haec pulchra simplicitas atque uniformitas ordinis, provinciis compositi, semper vel ubique non servata aut perfecta est, sed iuxta provincias etiam congregationes et vicariatus et conventus immediate magistro ordinis subiecti esse non desierunt.

Insuper provincialibus ipsis necessitate vel indigentia aliqua urgente a moderatoribus generalibus commissarii vel vicarii specialibus facultatibus muniti praeponebantur[18]. Saepius quoque visitatores generales munus commissariorum exercebant. Horum vicariorum generalium vel commissariorum quidam recolantur ut Petrus Soto in Anglia et Teutonia[19], Vincentius Herculanus in Germania inferiore[20], Thomas Burlamacchi, Antoninus Febeo aliique pro Galliis[21], Sigismundus Ferrari et de Asti et Grosupto pro Bohemis[22], Guinandus Wynans pro Hungaris[23], Damianus de Fonseca et Hyacinthus Suski pro Polonis[24], p. Cittadino pro Armenis[25], Ioannes Baptista Lancio pro Regno, Apulia, Calabria, Trinacria[26].

§ 64. Conventus eorumque priores, filii, officia.

Ad erigendos conventus regularium ac nostros et nova loca, ex decreto concilii Tridentini licentia episcopi expresse requiritur[1]. Clemens VIII insuper episcopis iniunxit, ne talem facultatem elargirentur sine consensu regularium illorum, qui in locis iam degunt[2]. Demum Innocentius X in apostolica constitutione anno 1652 edita circa suppressionem parvorum conventuum in Italia et insulis adia-

centibus novas constructiones conventuum absque Sedis Pontificiae permissu prohibuit[3].

Numerus fratrum, qui ad conventum formandum in iure antiquo desiderabantur, pro provinciis Indicis auctoritate apostolica ad senarium[4] limitatus est Alias autem conventus, qui numquam fratres 6 aluerunt pro non conventibus habendi sunt, subtracto eis titulo prioratus[5]. Conventus parvi seu loca quae praxim totius nostrae religionis fovere nequeunt sed potius disciplinam regularem enervant, ex commissione capituli generalis Barcinonensis 1574 relinquendi sunt[6]. Fratres et bona eorum conventuum, qui propter incursus infidelium devastati vel deserti sunt, ad viciniores conventus transferuntur[7]. Anno 1611 ordinatum est « ut iuxta decreta Apostolicae Sedis alias promulgata praescribatur in unoquoque conventu a provinciali de consilio graviorum patrum, iuxta facultatem redituum et copiam eleemosynarum ordinarie oblatarum numerus determinatus fratrum, qui debeant manere et ali in illo conventu, nec possit provincialis plures ibidem assignare ne gravetur debitis nec priores se difficiles exhibeant ad taxatum numerum sustentandum, ne bona quae possint prodesse pluribus a paucioribus exhauriantur. In provinciis vero desolatis, quae non habent numerum fratrum requisitum, fiat omni meliore modo.. meminerintque tam provinciales quam priores conventuum se pro animabus fratrum bonisque ordinis perperam administratis strictissimam Deo reddituros rationem »[8].

Prioris officium, quod ab anno 1629 iuxta diversarum provinciarum consuetudinem biennale vel trium annorum esse supponitur, a die et hora acceptationis incipit[9]. Prioris potestas etiam super tertiarios in conventu degentes extenditur[10].

Circa filios conventuum anno 1518 in capitulo generali Romano haec constitutio facta est: « fratres extra conventus quorum sunt filii assignati ad tempus id est ad exercitium seu officium certo et determinato tempore durans, completo illo certo tempore ex quo sunt absoluti a tali assignatione, intelligantur assignati in conventibus quorum sunt filii, nisi eos superior alibi assignaverit. Assignati autem simpliciter, numquam intelligantur assignati in conventibus quorum sunt filii nisi reassignentur »[11]. Qui in aliqua ex provinciis Indiarum per decennium continuum permanserit, ita ad huiusmodi provinciam incorporatus ac translatus intelligatur ex

ordinatione anni 1629, ut definitor et elector magistri ordinis ac procurator generalis eiusdem provinciae eligi potest, non secus ac si esset filius nativus provinciae[12].

Inter officiales conventuum speciali modo depositarium, qui Vallisoleti anno 1605 instituendus ordinatur, et magistrum novitiorum, si novitiatus in conventu adest, nominare debemus[13]. Ut munus magistri novitiorum non de facili recusetur, saepius e. g. 1611 privilegia loci aliaque magistris, qui speciales conditiones implent, conceduntur[14].

Circa recipiendos graviores ordinationes vel inculcantur vel dantur. Debita instructio legendi et latinitatis ubique omnino in aspirantibus ad habitum requiritur[15]. Dum pro Indiis nativos ex illis regionibus admittere difficultatem nullam ab anno 1571 ordo habuit, si eorum institutio necessaria adesset pro opportunitate etiam in Hispania perficienda[16], pro congregatione Portugalliae receptio mesticae sobolis prohibita est[17]. In provincia SS. Rosarii Sinenses et Iaponenses admittebantur. Dum pro provinciis Italiae decreta specialia circa novitiorum receptionem et instructionem observanda erant[18], in generali de novitiatus regimine maxime statuta comitiorum ordinis Venetiis datorum pensentur[19]. Habitus ante quartumdecimum annum expletum candidatis dandus non est. Provinciae vel congregationes in praecipuis conventibus novitiatus erigant, in quibus novitii religiose educari possunt sub propria clausura. « Intendant solummodo, ut divinum recitare et ordinare sciant officium, psalterium et d. Pauli epistulas memoriter discant; quae nobis per nostras leges et constitutiones mandantur intelligant et spirituales libros specialiter vero vitas sanctorum ordinis nostri saepe perlegant ». Ex congregationibus observantiae, et maxime latinis quidem, in provincias plures mos transiit occasione vestitionis candidatis novum nomen religionis imponendi. Exemplo sunt Caietanus, qui antea Iacobus et in ordine Thomas vocatus est[20], vel Pius V, qui in baptismate Antonius, in religione Michael nominabatur[21]. In quibusdam provinciis et congregationibus nomina composita pietatis insuper vigebant[22].

Vestium forma atque uniformitas pluries[23] desiderata et si opus erat, praesertim contra « institutum excalceatorum S. Dominici nuper in Galliis sub mirabili, ac pene ridicula truncati habitus forma exortum » (1644)[24] protecta est. Etiam barbas deferre fratribus ordinarie non licebat[25].

Probationis anno peracto, qui ex decreto Tridentino a quintodecimo completo incipere debet et non antea, professio nonnisi post expletum annum decimum sextum emitti potest[26]. Postea per triennium aut quadriennium sub cura magistri fratres maneant « salva illarum provinciarum laudabili consuetudine, in quibus ad sacerdotium usque sub magistri cura perseverant »[27]. Per synodum Tridentinam privilegia ordinis Praedicatorum quoad aetatem ordinandorum sublata ac fratres ad annos communiter requisitos obstricti sunt[28]. Ordinati habeant testimoniales litteras[29].

Fratribus iubilaribus unicum privilegium exemptionis a choro permittitur[30].

Conventus observantiae in provinciis adesse debere praecipitur et repetitur[31], Scholae in conventibus sicut in tempore antiquo fiebant. Et si studia philosophica et theologica magis in conventibus particulariter studio consecratis adunarentur, tamen lectiones vel aliquae expositiones casus commendabantur[32]. « Volumus etiam ac mandamus, quod in quolibet conventu sint istae officinae, scilicet hospitium, infirmaria, carcer et calefactorium cum utensilibus requisitis » (1536)[33].

Si conventus provinciali contributiones solvere debebant, aliqui conventus provinciarum ad colligendas vel deponendas contributiones ad magistrum ordinis sive procuratorem generalem destinatas serviebant[34]. Exempti conventus, qui provinciis nil contribuerunt, a dandis taxis pro capitulo generali non dispensati sunt, cum haec capitula universo ordini prodessent[35].

§ 65. Cardinalis protector. Visitatores.

De protectoribus cardinalibus ordini constitutis-circa ius et facta loquendo-imprimis notandum est, eorum influxum atque actionem secundum tempora diversa valde mutatum esse. Contra nimiam immixtionem protectorum in res ordinis, aliquando nimia servitus fratrum nil facere aut dicere audebat. Interdum etiam Pontifices Romani potestatem protectorum cardinalium circumscribebant. Fratres Praedicatores pro protectoribus suis oraverunt et protectoribus bonis dediti erant. Hoc e.g. indubie ex ordinatione capituli generalis 1513 constat: «Pro anima reverendissimi domini Oliverii [Carafa] cardinalis Neapolitani et protectoris ordinis nostri, cui ordo in immensum est obligatus propter beneficia accepta, quilibet sacerdos u-

nam missam»[1]. In depositionem ordinis magistrorum et cardinalis protector Bonello pro casu Sixti Fabri et cardinalis protector Antonius Barberini pro casu Nicolai Ridolfi influxerunt[2], dum cardinales Carafa, Bonello, Borghese etiam electionibus sive generalium sive provincialium inspirationem, moderationes et directiones suas dederunt[3]. Cardinalis Antonius Barberini insuper tempore suspensionis magistri Ridolfi « gubernator» ordinis constitutus est[4]. Ad latus protectorum viceprotector[5] vel comprotector[6] ab altera medietate saeculi XVI apparet. Atque inconsuetae satis facultates datae sunt tum sub Urbano VIII cardinali comprotectori Fausto Poli, siquidem ipsi vox activa pro capitulo generali 1644 concederetur[7], tum sub Innocentio XI, qui actis capitularibus necessario subscribi a protectore voluit[8].

De cetero protectores cardinales capitulis generalibus vel electionibus magistri ordinis praefuerunt[9]. Deficiente protectore 1601 cardinalis Baronius capitulo praesedit[10]. Insolita autem erat illa praesentatio decretorum pontificiorum, quae eminentissimus protector Altieri anno 1677 capitularibus generalibus ostendit[11]. Attamen ordinis bonum intenderunt.

Sancta Sedes post varia pericula per protectiones cardinalium super ordines religiosos facta vi constitutionis Innocentii XII diei 16 februarii 1594 uniformitatem protectionum in singulos ordines statuit, leges antiquas sobrias sancivit, iure vel potestate extraordinariis protectorum salubriter resecatis[12]. Ex parte ordinis r.mus p. de Boxadors anno 1765 cardinali Rezzonico realem atque effectivam auctoritatem protectoris commendat et exponit[13].

Visitationis lex et exercitium salutare ab ordine semper servabatur, anno 1536 e. g. visitatoribus provinciarum ad probum laborem excitatis[14].

Magistri generales visitationum grave onus ad bonum ordinis non intermiserunt. Garsias de Loaysa provincias Regni et Trinacriae visitavit, sicut et Silvester, Butigella, Constabile, Fabri, Galamini, Secchi, de Rocaberti, Cloche versus meridionalem Italiam profecti sunt[15]. Apud regiones Lombardiae visitationes famosiores remanserunt r.morum pp. Cavalli, Secchi, Ridolfi, Cloche[16]. In paeninsula iberica Loaysa, Du Feynier, Fabri, Secchi, de Boxadors suarum ordinationum documenta reliquerunt[17]. Gallicas terras Ferrariensis, Du Feynier, Seraphinus Cavalli, Secchi, Ridolfi, Turco visitationibus auxerunt sicut et Cavalli et Turco belgicam partem provinciae Ger-

maniae inferioris inspexerunt[18]. Magister Beccaria per Bohemiam, Austriam, ad Poloniam visitator profectus est[19]. Haud una vice Summi Pontifices magistros generales, qui officium visitandi exsequi intendebant, in Urbe retinuerunt[20].

Visitationes celebriores nomine magistrorum ordinis perficiebantur apud Siculos saepius[21], apud Graecos per p. Taliapietro[22]. apud Armenos per p. Cittadino[23], apud Polonos per p. Fonseca[24], apud Bohemos, Austriacos, Hungaros per pp. de Asti et Sohier[25], apud utramque Germaniam per p. Wynans[26], apud Gallos, ad quos iam capitulum generale anni 1600[27] visitatores mittendos efflagitavit, r.mus p. Secchi ab anno 1615 visitatores vel commissarios diversos destinavit[28], apud Americanos per Dominicum de la Parra 1581, Christophorum Rodriguez 1602, Christophorum de la Manca y Velasco 1641[29]. Visitatio provinciarum Mexici et S. Crucis anno 1786 per mag. Ioannem Ubach instituta nomine regis Hispaniarum locum habuit[30].

III. Vita et actio ordinis.

In re liturgica et precum vim formativam fratres Praedicatores saeculo XVI maiorem exseruerunt, quam aetate sequente. Deinde egregii doctores et directores spiritualium viarum verbo, scripto, actione inter nostros numquam defuerunt, quibus res et litterae piae et sanctitatis promovebantur, sicut et fratres venerabiles coronam inclitam ex ordine Praedicatorum coram triumphante Ecclesia producere non intermittebant.

Si studiorum cultus inspiciatur, doctissimus Caietanus magister ordinis et doctrinae curam assumpsit. « Circumdate deinde Sion (ait fratribus anno 1513) ad celsam speculam divinae veritatis et legis ascendere contendentes... ut complectamini eam. Non involvatis silentio doctrinam, qui complexi illam estis, sed verbo lectionis et praedicationis narrate in turribus exemplaria vitae et doctrinae... deiciantur omnes qui nec ipsi scire nec alios scire volunt, qui nomen doctorum aut praedicatorum usurpant doctrina autem carent, qui seipsos amantes saluti animarum litterarioque profectui fratrum recusant incumbere. Gaudeant alii, fratres carissimi, suis praerogativis, nos nisi sacra doctrina commendet de nostro ordine actum est »[1]. Clemens VII fratrum Praedicatorum merita et agnoscens et augere cupiens, electores capitulares anno 1525 allocutus est de eligendo viro

doctrina paestante « in quo scientiae ac litterarum genere vester ordo in primis quasi peculiaris a Deo summo ornamento insignitus fuit... cuius administatione et vigilia iste ordo doctissimus, quo in primis sancta Dei illustratur Ecclesia uberes et Deo acceptos suorum operum bonorum pariat fructus ac in tantis haeresum et dissensionum fidem Christi oppugnantibus procellis sub optimo rectore solitam suam in vera religione defendenda virtutem exerceat »[2]. Quae tum comitia generalia tum magistrorum generalium ac Pii V industriae studiorum pro ordine Praedicatorum statuerunt, in vanum dicta non sunt[3]. Ne lumen praeclarum et singulare doctrinarum in manibus suorum exstingueretur, et rationes studiorum generales datae et studiorum collegia incessanter aperta vel promota sunt, ita ut sacra doctrina his tribus saeculis a Dominicanis pro more coleretur.

Actio denique praedicationis tum in Europa, ubi et catholici monendi et roborandi erant et haeretici refellendi, tum in novis amplissimisque missionibus exteris per ordinem conspicue exercebatur.

a) VITA ET ACTIO RELIGIOSA.

§ 66. Liturgia. Preces privata.

De liturgicis quaestionibus, de additione et subtractione festorum, de nova dispositione partium officii similibusque rebus capitula generalia iure decidebant. Huiusmodi mutationes tamen non semper decori ipsius officii erant. Ideo capitulum Salmantinum 1551 denuntiavit, magistrum ordinis Franciscum Romeo «in pluribus provinciis rogatum instantissime fuisse, quod curaret ut breviarium nostri ordinis in multis deturpatum et corruptum in praesenti capitulo purgaretur et reformaretur et multa circa divinum officium in melius commutarentur ».

Oraculo Iulii III die 17 decembris 1550 protectori fratrum Praedicatorum cardinali Ioanni de Salviati episcopo Portuensi facto concessum est quod quidquid in generali capitulo 1551 « magister generalis ipsius ordinis cum prioribus provincialibus ad divinum pertinens officium ordinaverint, mutaverint, correxerint, addiderint vel minuerint, totum id habeat vim et robur constitutionum ac si per tria capitula generalia continua fuerit approbatum et approbatum fuisset»[1].Hac auctoritate suffulti patres Salmanticae adunati et principia liturgica varia dederunt et revisionem librorum liturgicorum

ordinarunt. Imprimis conservandae et exaltandae solemnitati dierum dominicalium, qui in tota Ecclesia in memoriam dominicae resurrectionis ab omnibus universaliter celebrantur providebant, deinde etiam de diversitate octavarum, quarum quatuor sunt solemnissimae, nempe Nativitatis, Resurrectionis, Pentecostes, Corporis Christi, «in quibus omnibus diebus octavarum Credo in missa cantandum est. In ceteris vero octavis nequaquam ». Sequebantur acceptationes festorum et « iuxta consuetudinem Romanae Ecclesiae » novi officii de non virginibus neque martyribus. Mutabatur praxis orandi pro mortuis, quae tunc pro choro et ministris altaris vigebat. Loco vigiliarum trium lectionum pro mortuis « prout hactenus observatum est et in recompensatione pro debito iustitiae et caritatis » ordinatum fuit, ut (exceptis octavis Paschae et Pentecostes) « totum officium pro ipsis defunctis cum novem lectionibus qualibet hebdomada semel ab omnibus et singulis fratibus tam in choro quam extra exsistentibus persolvatur et in mane sequenti pro ipsis una missa cantetur de requiem.. cum aliqua processione... ad quae omnes et singuli teneantur etiam magistri et actuales lectores ». Officium maius et Marianum sicut et litaniae novis praescriptis vel additionibus complentur.

Dein genuinitati ac dignitati textuum prospicientes patres illi et interpolationes Ianuae 1513[2] propositas expungendas totiusque lectionarii sanctorum correctionem decreverunt, ut « et historiae aut aprocryphae aut minus verisimiles... omnes pro honore nostri ordinis removeantur et lectiones potius de authenticis sanctorum sermonibus ponantur. Et idem dicimus de multis missis novis appositis in missalibus, ad quae perficienda reverendissimo patri nostro generali nostram auctoritatem commisimus, ut per suos socios aut alios idoneos tam missalia quam breviaria et ordinarium sive rubricas ab huiusmodi repurgari et reformari faciat », in virtute obedientiae fratribus praecepto « ne ante praefatam correctionem alia breviaria vel missalia imprimi faciant aut permittant, sed postquam taliter reformata impressa fuerint, sua priora et praesertim Hispali impressa ad eamdem formam corrigant et emendent »[3].

Perficienda desideria haec liturgica iuxta principia data tradebantur curae Angeli Bettini, socii magistri ordinis provincialis Angliae. Qui breviarium et missale mox in editione correcta atque emendata prodire fecit[4], ita ut in capitulo generali 1553 approbata fuerint. Praecipiebatur superioribus domorum, ut « provideant unum de praefatis breviariis reformatis pro usu chori et saltem unum missale

similiter reformatum, ad cuius formam curent et alia in omnibus reducere. Moneant etiam omnes sibi subditos, ut et ipsi breviaria provideant pro usu proprio. Sicut ordo tunc ius edendi breviaria et missalia apostolica auctoritate contra privatas publicationes etiam fratrum sibi reservavit, ita et usum breviarii novi Romani fratribus interdixit[5]. Haec breviarii et missalis dominicani revisio auctoritate r.mi p. Romeo peracta, cum et ipsa omnibus requisitis non responderet, fundamentum quidem sequentium reformationum exstitit.

Iussu magistri generalis Seraphini Cavalli Ioannes de Palentia tum ordinarium sacrarum caerimoniarum et divini officii ad ritum nostrum (1576, 1582) tum martyrologium nostrum cum eiusdem ordinis constitutionibus et regula B. Augustini correctum (1579, 1582) edidit. « Quod martyrologium est Usuardi, quo cum aliis ecclesiis usus est ordo ab initio, quousque Romanum Baronii adoptatum fuit. Ad calcem additus est magistrorum ordinis et virorum ac mulierum sanctitate, dignitate et doctrina fulgentium brevis catalogus, sed non usquequaque accuratus »[6].

Sub Pio V die 9 iulii 1568 breviarium Romanum reformatum et die 14 iulii 1570 missale Romanum revisum editum est, omnibus ecclesiis occidentis, quae ab annis 200 liturgiam propriam non habebant, reformatione liturgica Piana imposita[7]. Ordo Praedicatorum hoc decreto pontificio non affectus, sartam tectamque suam liturgicam consuetudinem produxit. Sub Clemente VIII, qui Pianam reformationem auxit[8], Dominicani industrias profundiores suis editionibus liturgicis dicarunt. Magistri Beccaria socius Paulus Castrucci missasalis editionem curavit, quae 1595 et magistri generalis et Clementis VIII approbatione munita anno 1600 lucem vidit. Continet haec editio modificationes, quas Castrucci ex se vel ex ritu Romano addidit, e. g. positionem diaconi evangelium decantantis, qui nec stare nec genuflectere, sed ac si genuflectere vellet debebat se habere, et extensionem manuum sacerdotis super pallam ante consecrationem[9]. Editio breviarii pariter 1595 approbati Venetiis 1597 prodiit, dum diurnum et martyrologium studio patris Castrucci versus 1595 recognita edenda[10] dilatabantur. Etenim satis arbitrarius modus Castruccianus pluribus displicuit. Quare 1601 capitulum generale magistro ordinis commisit eique supplicavit, « ut ea qua poterit brevitate tractet quae pertinent ad correctionem martyrologii vel mutationem eius et correctionem breviarii et missalis, et praecipue quantum ad evangelia commutanda denique illa quae ad haec viderit expedire, per-

agat aut peragi mandet »[11]. Mandatum Thomas Malvenda recepit, qui cardinali Baronio martyrologium Romanum conficienti iam ex Hispania notitias emendationesque miserat et nunc ipso cardinali petente et liturgiam dominicanam sapienter protegente[12] Roman accersitus est. Breviario et missali velut *sacri* ordinis Praedicatorum 1603 publicatis, martyrologium anno 1604 editum est. Quae publicationes officinae Alfonsi Ciacconi de Urbe debentur, qui brevi Clementis VIII diei 2 aprilis et littera magistri generalis 18 februarii 1603 facultate exclusiva excudendi libros liturgicos per spatium 20 annorum fruebatur[13]. In specie pro textu martyrologii anni 1604 forma martyrologii Romani a Gregorio XIII 1584 probati eligebatur relicto textu Usuardi, sed retenta ampliore parte dominicana propria[14].

Dum r.mi pp. Secchi 1625 et de Marini 1651 sibi exclusivam partem in libris liturgicis prorogare fecerunt, instante r.mo p. Cloche Innocentius XI die 14 augusti 1688 hanc facultatem in perpetuum magistro generali tribuit, inhibendo, «ne missale, breviarium, diurnum, martyrologium, rubricarium, processionale, psalterium, officium B. Mariae Virginis, kalendarium perpetuum aliosque libros chorales praefatos vel eorum aliquos aliquamve partem posthac in perpetuum, absque expressa et in scriptis accepta..magistri generalis dicti ordinis facultate, imprimere aut ab aliis impressa vendere... praesumant »[15]. Rmus p. Cloche post quatuor lustra, quibus durantibus editiones liturgicas pandere curavit, in praefatione ad missale anni 1705 « ad amovendam novitatem omnem in officiis divinis ritibusque ordinis a maioribus nostris acceptis et a sacra congregatione Summoque Pontifice approbatis » praecepit universis suo regimini subiectis, ut nonnisi kalendarium ordinis sequantur, declarans nec magistris ordinis nec capitulis ordinis licere vel eorum potestati relictum esse quidquam immutare, augere, minuere sine expressa rituum congregationis aut Papae concessione.

Praeter libros liturgicos nominatos et diurna, officia B. Mariae, officia hebdomadae sanctae, aliae editiones relevandae sunt, videlicet rituum sive s. caerimoniarum libri 1520, caerimonialis 1558 et saepius[16], processionariorum 1597 et saepius[17], collectarii e. g. 1567. ordinarii 1582, cantus missarum 1704, cantus vesperarum 1722, missalis defunctorum e. g. 1707[18], kalendarii perpetui auctore Didaco Ximenez 1563 et 1566[19], et kalendarii perpetui auctore Ioanne de Urduña 1588, quod corrigendum asseritur[20]. Philippus Arnold cantum nostrum choralem organo accomodatum 1721 typis edidit[21].

Vigilantia atque augendi industria ordinis in re liturgica factum est, ut et usus quidam introducerentur, e. g. inclinatio capitis ad nomina Iesu et Mariae aliosque textus[22], genuflexio facienda a fratribus «cum primum ante divinissimum sacramentum altaris se praesentaverint» et quidem suggerente cardinali Bonello[23], additio verbi Iesus ad salutationem in officio Mariano[24]. Alii usus declarati vel limitati sunt, e. g. quod Credo in missa decantetur et non pulsetur[25] prout tunc organum pulsatum est, quod litaniarum multitudo ex decreto Clementis VIII restringenda est ad litanias in libris liturgicis communibus contentas et ad illam B. Virginis quae in aede Lauretana cantatur[26], quod matutinum media nocte circiter in ecclesiis conventualibus choraliter persolvendum inculcatur[27], quod festa plura assumenda proponuntur.

Festa matris et sponsi B. Virginis, nempe S. Annae et S. Ioseph, 1518 apud fratres Praedicatores recipiebantur[28]. Festum S. Dominici, cui plurimum veneratio B. Mariae de Nive oberat, Paulus IV 1558 in universali Ecclesia sub ritu duplici agendum pridie nonas augusti statuit[29]. Speciale festum S. Dominici in Suriano, breviario ordinis postea advenit[30].

SS. Rosarii festum a Gregorio XIII dominica prima octobris ex anno 1583 institutum, a Clemente X 1671 ad omnes ecclesias utriusque cleri Hispaniarum extensum, tandem instantibus imperatoribus Leopoldo et Carolo VI post victorias de Turcis recentes per Clementem XI pro Ecclesia tota praescriptum est[31].

Non solum laudibus divini officii, sed et iugi pabulo *precum privatarum* fratres Praedicatores animum ad sanctitatem nutriebant.[32]. Nunc in epocha hac privatae preces partim eo sensu in communitate fiebant, quod orationes mentales et spiritualia exercitia habenda conventibus singulisque ordinis membris ordinabantur. Accedebat insuper pluribus in locis recitatio rosarii iam tunc velut officium conventualiter peragendum.

Capitulum Mediolanense 1505 inter ordinationes de divino officio relevat decantationem antiphonae Salve regina post completorium alteriusque, quae revertendo ad chorum dici debet, « et post completorium fratres stent in oratione per spatium septem psalmorum»[33]. Qui usus cum consilio magistrorum spiritualium post laudes vel lectiones divinas meditationi vacandi et consuetudini pietatis dominicanae pimaevae plene concordat. 1564 sub magistro Iustiniani praelatis cura instituenda memoratur, « ut orationes quae in silentio ha-

beri solent a toto conventu post completorium et post matutinas aut nonam pro tempore si alicubi in desuetudinem abierunt omnino restituantur ». Romae 1569 omnino definitur, « ut post completorium toto anni tempore fratres stent in choro in communi oratione per spatium unius mediae horae vel circa ». Sub magistro Cavalli primum 1571 reditus fit ad libertatem temporis eligendi pro meditatione, sed iam de bina oratione privata sermo est. Haec ordinatio a patribus Barcinone congregatis ita confirmata est, « quod post completorium et post nonas vel matutinas de more nostri ordinis habeatur oratio privata secretaque et maxime mentalis, quae ad minimum per quartum horae durare debeat». 1647 faciendae meditationes denuo inculcantur[34]. Si influxus quidam novae methodi Ignatianae has ordinationes comitabatur, ordo Praedicatorum traditionem suam spiritualem praxi convenienti conformari facile posse ostendit.

Exercitia spiritualia singulis annis instituenda ad formam a Paulo V delineatam, per magistrum Nicolaum Ridolfi 1630 ordini commendata et imposita sunt[35], probantibus capitulis 1647, 1650, 1756 1777 insuper priores, qui de peractis exercitiis decem dierum testimonium afferre non possunt, suffragio in comitiis provincialibus ferendo privati declarantur[36].

§ 67 Devotiones et confraternitates.

Devotiones plures etsi non omnes, quae apud membra ordinis Praedicatorum florebant et per ea fidelibus commendabantur in epoche hac magis quam in aevo medio, in formam strictiorem confraternitatum redactae apparent. In libris registraturae generalis ab anno 1582 annotationes de societate rosariana et SS. Nominis Dei inveniuntur[1]. Insuper capitula generalia 1589, 1592, 1628 de confraternitatibus maioribus ordinis statuta et monitiones dederunt[2]. R.mus p. de Marini Romae 1668 bullarium confraternitatum diu desideratum edendum curavit[3].

Res *Nominis Iesu* per Didacum de Victoria magna incrementa in Hispaniis primum et deinde in orbe catholico sumpsit. Eximius ille praedicator confraternitatem Burgis instituit, cuius confratres eo niti deberent, ne ipsi vel alii coram eis leviter iurarent. Huiusmodi confratres Nominis Dei seu iuramentorum, regulam ab episcopo Salmanticensi Petro Gonzales Mendoza et a Pio IV in bullis duabus die 13 aprilis 1564 datis citatam sequebantur. Festum societatis dictae

illud Circumcisionis Domini habetur[4]. Si Pius IV gratias ecclesiasticas huic confraternitati tribuit, Pius V 1571 ius de ea ordini Praedicatorum adiudicavit inhibendo ne extra potestatem dicti ordinis confraternitates tales erigerentur[5]. Imperatore Carolo V et Philippo II rege faventibus confraternitas SS. Nominis rapide mundum implevit[6] . Sicut in Europa pompae sacrae in honorem nominis Iesu fiebant, ita in America latina, pro cuius confraternitate Cuzcensi Gregorius XIII 1580 particulares favores tribuit[7], et in missione Sinensi, in qua Franciscus Capillas eam valde propagabat[8]. Haud exigue Paulus V devotionem SS. Nomini debitam et oblatam auxit, cum 1612 intervenientibus processioni confraternitatis qualibet secunda dominica cuiuslibet mensis habendae indulgentiam plenariam concesserit[9]. Privilegia dominicana circa erectionem et institutionem antiquae et saluberrimae confraternitatis SS. Nominis tum capitulum ordinis 1644 tum Benedictus XIV brevi suo 30 septembris 1748 servavit[10].

Usitatissima apud Dominicanos devotio *SS. Sacramenti*[11] in saeculo XVI, dum fideles vel amoris Christi pignus non satis aestimarent vel haeretici praesentiam realem negarent, impulsus novos monstravit. Romae in templo Minervitano 1539 curante Thoma Stella confraternitas SS. Sacramenti instituta est, cuius sodales et decori altarium et honori ipsius venerabilissimi sacramenti consulerent. Die 30 novembris eiusdem anni Paulus III et confraternitatem dictam probavit et privilegiis indulgentiisque ornavit[12]. Post statuta Clementis VIII, qui aliquatenus facultates huius confraternitatis limitaverat, Clemens X 1676 ex decerto congregationis indulgentiarum et reliquiarum confraternitates quascumque SS. Sacramenti canonice erectas iisdem gratiis spiritualibus ac Minervitanam archiconfraternitatem ditatas voluit[13]. Contra Calvinistarum impietatem a fratribus Praedicatoribus Gallis libenter confraternitates similes erigebantur. Ita anno 1561 cum in cathedrali ecclesia Redonensi huiusmodi sodalitium institueretur, Stephanus Paris, magister et exprovincialis Franciae sermonem solemnem habuit[14].

Passionis dominicae cultus non solum gloriose continuabatur sed et augebatur. Versus scripturistici, quos Catharina de Ricci circa Salvatorem meditando compilaverat, in communitatibus dominicanis quadragesimali tempore recitabantur[15]. Deinde singulorum fratrum et sororum necnon et specialiter stigmatizatorum veneratio dominicae passionis egregia fuit. Magnopere devotio dulcissimi *Cor-*

dis Iesu ambitum suum dilatavit. In germanicis partibus ininterrupte huiusmodi cultus vigebat, dum apud Italos Ignatius del Nente, spiritualis discipulus B. Henrici Susonis, devotionem hanc maxime propagavit.

In Gallia et Belgio scriptores ut Antonius Barbieux 1661, pii ut Girardel et moniales diversae cordi Iesu se devotissimos praebuerunt. Hispania autem de eodem argumento zelatores Ludovicum Granatensem, Iosephum Fulla (✝ 1749)[16], Antonium Garces (✝ 1773)[17] sororesque habet, dum et America latina Rosam Limanam velut rosam cordis Iesu plausu christifidelium celebrat[18].

Mariana devotio sub forma *Rosarii* saeculo XVI triumphali modo per orbem diffundebatur[19]. Modus duplex recitandi rosarium per clausulas 150 vel per mysteria 15 usque ad annum 1600 servabatur, dum ab anno illo quindecim mysteriorum modus definitive praeferebatur[20]. Tripartitionis rosarii Leo X in bulla Patris aeterni 1520 meminit[21]. Pius V quodammodo in fine evolutionis rosarii constitutus aptissime descripsit illum « modum facilem et omnibus parvium ac admodum pium orandi et precandi Deum, rosarium seu psalterium eiusdem beatae Mariae virginis nuncupatum quo eadem beata virgo salutatione angelica centies et quinquagies ad numerum Davidici psalterii repetita et oratione dominica ad quamlibet decimam cum certis meditationibus totam eiusdem domini nostri Iesu Christi vitam demostrantibus interposita veneratur»[22]. Saeculo XVI exeunte salutatio angelica, quae verbo Iesus tunc finivit, precatione « Sancta Maria... Amen » etiam in rosario exinde completa est[23].

Deformationes rosarii vel eius adscriptiones S. Francisco aut S. Ignatio sicut et rosarium SS. Nominis patrum Micon (✝ 1555) et Studer (s. XVII) ab episcopis vel a Summis Pontificibus prohibebantur[24].

Si preces rosarianae regularibus et saecularibus christianis magnas gratias spirituales afferebant, confraternitas SS. Rosarii Marianam devotionem solidissime et efficacissime mentibus imprimere satagebat. Ex confraternitatibus rosarianis earumque centris, coetibus, capellis, associationibus, orationibus, actionibus et scriptis mirus fons salutis et roboris in christianitatem universam effluxit, qui nonnisi spirituali merito ponderari potest.

Confraternitates rosarianae a saeculo XV exeunte per specialiter a magistro ordinis deputatos sacerdotes sive dominicanos sive alios erigebantur. Sub Paulo V aliquando rosariana confraternitas Miner-

vitana de Urbe velut archiconfraternitas habebatur, cui omnes aliae confraternitates adscriberentur. At mox usus antiquus immediatae erectionis singularum confraternitatum per magistrum generalem ordinis Praedicatorum ope patrum singularium vel etiam officialium, ut sunt provinciales aut vicarii apostolici, iterum invaluit[25]. Plures particulares confraternitates rosarii in Britannia minore, Coloniensis, Granatensis, Victoriensis, Minervitana, Neapolitana aliaeque pontificiis favoribus specialiter fruebantur[26]. Haec sodalitia cultum B. Mariae rosarianis precibus, decore altarium, processionibus (iam ante 1651) per singulas menses in prima dominica fieri solitis[27], peragebant. Interdum etiam opera misericordiae his piis industriis adiungebant ut dotationem puellarum[28]. Ex concessione indulgentiarum[29] sodales rosarii in ambitum plene ecclesiasticum et supernaturalem elevabantur. Quare nil mirum si ferventiores catholici tum Europae tum exterarum terrarum inter sodales rosarii inveniuntur. Post victoriam catholicorum de Turcis apud Echinadas insulas die 7 octobris 1571 reportatam, quae favore mariano a tot sodalibus rosarianis cum ipso S. Pio V tunc unitis maxime obtenta creditur[30], rosarii devotio universalior se pandidit et profundius roborata est. Stricte autem ordo Praedicatorum iura sua in rem rosarianam praecipue annis 1589, 1592 tuebatur[31].

Propagatores Rosarii[32] in Italia Albertus Castellanus, Ambrosius Salvius, Pius V, Timotheus Ricci, apud Dalmatas Archangelus Gozeus, in Polonia Iustinus Mieckoviensis, in Germania Conradus Sittard, Ioannes Coppenstein, Raymundus Bruns, Antoninus Eysenbarth, apud Batavos Vincentius Hensberg et Hyacinthus Choquetius, in Gallia Guillelmus Repin, Guillelmus Piati, Antonius Chesnois, in Anglia Ioannes Clarkson, in Hispania Ioannes Amat, archiepiscopus Carranza, Ludovicus Granatensis, Franciscus de Posadas, Ioannes Malfaz, Petrus Ulloa, Antonius Garces, in America Thomas a S. Ioanne, Thomas Ecija, Thomas Chaves, et patres Philippinarum innotuerunt. Inter sodalitia rosariana praecipua fama celebrantur Coloniensis, Lugdunensis, Minervitana ac Veneta, Viennensis, Podkamiensis, Hispaniarum plures[33], de Chiquinquira Columbiae[34], Peruana[35], Manilana[36]. Saluberrimae vices rosarii in mundo missionando per fratres Praedicatores ceterosque sacerdotes praestitae dignissime speciali studio examinentur[37].

Festum SS. Rosarii sicut et illa 15 sabbata primae dominicae octobris praevia[38] Tolosae incoepta, necnon missa votiva «Salve radix» rosarianam ideam profundius radicabant[39].

Sub particulari forma Rosarium perpetuum auctore Timotheo Ricci († 1643) apparet, qua sodales congregationi speciali adhaerentes continuo horis tam diei quam noctis per sortem distributis rosarium recitarent[40]. Ipse et in Italia consuetudinem publice in ecclesiis recitandi rosarium alternis choris invexit[41].

Legiferi patris veneratio in capella noviter instaurata Bononiae Guidonis Reni arte decorata atque in cellula apud S. Sabinam de Urbe a saeculo XVII augebatur[42].

Christifideles plurium regionum S. Dominico devoti non solum confraternitates sub eius patrocinio formare coeperunt[43], verum etiam ex medio saeculo XVII ad consuetidinem piam per quindecim ferias tertias festo patriarchae ordinis Praedicatorum praevias preces speciales fundendi feliciter transierunt pontificiis gratiis exinde ditatam[44].

In regno Neapolitano saeculo XVII (sicut iam antea in Hispania saeculo XVI)[45] festum S. Dominici dies ab opere feriatus declaratus est[46]. Prorsus ingens devotio S. Dominici «de Suriano» per Calabriam et Italiam notatur, quae ex veneratione imaginis die 15 septembris 1530 caelitus ut aiunt allatae orta maxima vi exinde colebatur[47]. In basilica S. Petri de Urbe inter statuas fundatoribus ordinis decretis fratres Praedicatores curante r.mo p. Cloche ope scultoris Le Gros figuram S. Dominici anno 1706 feliciter collocarunt[48]. Pro regno Neapolitano et dissito Novo regno Granatensi Praedicatorum pater anno 1752 compatronus adscitus est[49].

Veneratio S. Thomae de Aquino ex eius adnumeratione doctoribus Ecclesiae die 11 aprilis 1567 per Pium V facta valde crevit[50].

Sodalitia studentium qui sub invocatione S. Thomae de Aquino et sapientiae acquirendae et castitatis servandae studio, varia saeculo XVI exsistebant, maxime Valentiae et Barcinone, quibus Gregorius XIII, Sixtus V aliique Papae indulgentias tribuerunt[51]. In Pedemontio religio sacri singuli, quod S. Thomae dicunt, augeri coepit, cum istante Cypriano Uberti inquisitore episcopus Vercellensis reliquias ecclesiae S. Pauli Vercellis recognoevrit, inter quas et cingulum S. Thomae[52]. Attenta fama mirabilium, quae huic cingulo debebantur, Hyacinthus Chaquetius 1622 Antverpiae cingulorum benedictionem quamdam invenit. Postea Franciscus Deuwerders Lovanii ordinis vicario generali et episcopo loci probantibus militiam angelicam cinguli S. Thomae 1649 fundavit. Ad promulgationem huius novae societatis universitas Lovaniensis convenit, ut exemplo aca-

demicorum sollicitati etiam alii libentius huic coetui adscriberentur. Innocentius X 1652 particulares gratias huic sodalitio Lovaniensi concessit, dum similia aliis in urbibus Italiae, Galliae, Austriae fundata pariter Summorum Pontificum benevolentia ornabantur. Benedictus XIII in bulla « Pretiosus » 1727 confraternitatem cinguli S. Thomae in ecclesiis dominicanis per se erectam et cum episcopi licentia promulgandam esse declaravit et in ecclesiis extraneorum a moderatore ordinis Praedicatorum tantum erigi posse[53]. Devotio septem feriarum sextarum in honorem S. Vincentii Ferrer 1726 recognita est[54]. Novorum quoque sanctorum solemnia et cultus egregie ubique florebat[55].

§ 68. Fratres pietate vel martyrio illustres.

Ad recensenda nomina multorum ordinis membrorum, quae particulari pietate vel gratia martyrii distinguebantur, ex actis capitulorum generalium ab anno 1569 pro martyribus primum et mox etiam de venerabilibus adiuvamina gratissima promuntur. At omnes provinciae non aequaliter nominibus datis adsunt, sicut nec historiographia provinciarum aeque facta est.

In iberica paeninsula virtutum speciali merito apparent Didacus Deza archiepiscopus Hispalensis (✝ 1523)[1], Bartholomaeus de Las Casas Indorum protector (✝ 1566), Petrus de Contreras praedicator prorsus insignis (✝ 1567), theologi ut Martinus de Mendoza (✝ 1581) et Bartholomaeus Miranda (✝ 1597)[2], Bartholomaeus a Martyribus archiepiscopus Bracarensis (✝ 1590)[3], Ludovicus Granatensis « vir doctrina et sanctitate insignis et in toto orbe celebris» (✝ 1588)[4], Paulus de S. Maria conversus Hispalensis (✝ 1598), Melchior Canus nepos episcopi Canariensis, Antonius Vincentius Domenech (✝ 1606)[5], Dominicus Anadon (✝ 1602)[6], Ludovicus de Sotomayor (✝ 1610) et doctissimi Hieronymus de la Nuza (✝ episcopus Balbastrensis ✝ 1624), Thomas de Lemos (✝ 1629), Ioannes Poinsot a S. Thoma (✝ 1644)[7], episcopi Petrus de Tapia (✝ 1657 Hispali), Alfonsus de S. Thoma (✝ 1691), Thomas Carbonel (✝ 1692), Ioannes de Montalban (✝ 1720) Petrus de Ayala (✝ 1742)[8], zelantes pro gloria mariana et praedicatores Ioannes Malfaz (✝ 1680), Ulloa (✝ 1690), Franciscus de Posadas (✝ 1713), Antonius Garces (✝ 1773)[9], virtuosus Lucas Marenus (✝ 1741)[10], Hispani in America exempla apostolatus et

sanctitatis famam pandebant, ut ex vitis protectorum pro Indiis constituti (Las Casas, Valverde, Caspar de carvajal)[11], ex exemplis Dominici de Betanzos (+ 1549)[12], Petri de Pravia, Didaci de Ojeda, (+ 1615)[13], apostolicorum virorum Vincentii Bernedo (+ 1619), Ioannis de Vega et Thomae de Chabes, Martini de Porres[14], Christophori de Pardave Quitensis, Andreae del Valle Chiappensis, Andreae de Cunillas Oaxacensis[15], Francisci Pereza de Portorico[16] patet. Provincia Philippinarum non solum venerandos fundatores habuit Ioannem de Castro et Ioannem a S. Thoma[17] sed et patres ferventes vitaeque mirabilis ut p. Franciscum Blancas[18], apostolicos Franciscum Diez (+ 1646)[19], Michaelem de la Villa (+ 1725)[20] aliosque plurimos. Etiam qui huius provinciae martyres fiebant virtutibus antea iam sibi tantam coronam meruerant.

Italiae provinciae et congregationes Seraphinum Cavalli[21], Alexandrum Capocci Florentinum[22], Paulinum Bernardini Lucensem (+ 1585)[23], Vincentium Traina (+ 1598)[24] superiorem eximium, Dionysium de Luca[25] observantissimum, Seraphinum de Porrecta (+ 1614)[26]aeque pium ac doctum,Marcum Maffei de Marcenisio (+ 1616)[27] Leonardum de Fusco (+ 1620)[28], Aloysium de Aquino [29], Angelum Cocchi (+ 1633)[30], missionarium, qui Sinam primus penetravit, Timotheum Ricci (+ 1643), rosarii resuscitatorem, piissimum Ignatium del Nente (+ 1648)[31], Vincentium Cangiano (+ 1647)[32], utrumque Raymundum Rocco (+ 1655, 1782)[33], infatigabiles divini sermonis et caritatis ministros, Michaelem Nanni (+ Cagli 1671), Timotheum Bottigli missionarium Sinensem (+ 1661), Thomam Landi de Longe (+ 1670) Siculum, Basilium Pica (+ 1664) observantiae custodem, Andream de S. Severino (+ 1672) opere et sermone potentem, Iacobum de Caserta (+ 1682)[34], Ludovicum M. Çalco (+ 1709)[35], Thomam Ruffo archiepiscopum Barensem (+ 1691)[36], Benedictum XIII Orsini[37], Dominicum M. Ricci (+ 1733)[38] paenitentia et praedicatione insignem praesentant.

In Galliis famam virtutum maiorem nanciscebantur Yvo de Mayeuc (+ 1541), episcopus Redonensis[39], Sebastianus Michaelis (+ 1618) qui reformationem in partibus patriae promoverat[40], Antonius Gontard (+ 1628)[41], Petrus Girardel (+ 1633), qui post labores administrativos in Gallia socius magistri generalis electus est ubique spiritu sanctitatis commendatus[42], Guillelmus Courtet, qui in Iaponia 1637 post vitam virtuosam martyr obiit[43]. Postea in capitulo generali 1670 inter Gallos « memoratur unus pro mille venerandus p. Fr.

Nicolaus de la Mare conventus Senonensis », qui animarum et virtutum fructum in patria et Guadalupensi insula congessit[44].

Dum ex provinciae Germaniae inferioris filiis Albertus Corporalis in Petoviensi Styriae conventu candidissime, ut vixit, anno 1646 obiit[45], Ambrosius Druve († 1665) «celeberrimam apud omnis generis homines sanctitatis opinionem de se reliquit »[46]. Anglus quidam natione Paulus de S. Maria 1648 in provincia Baetica sancte quievit[47], cum provincia Teutoniae 1646 Fidelem Kircher, professum Eystadiensem clericum angelici characteris caelo dedit, piissimosque filios habuit Leonardum Hansen († 1685)[48], Raymundum Kunrath († 1667)[49].

In ditionibus polonicis Fabianus Malisovius Premisliensis († 1644) quondam provincialis Russiae, sanctitatis famam pandidit et obtinuit[50].

Velut martyres fratres plures tum apud exteras gentes evangelizandas tum apud Europaeos haereticos vel rebelles in odium fidei obierunt.

In Americana terra Venezolana et in Trinitatis insula 1516 et 1520 fratres ab indigenis interfecti sunt, dum Vincentius Valverde episcopus 1544 prope partes Peruanas in Puna insula sacrificans ad altare trudicatus est[51]. In missione Cochambana Peruvii 1725 patres tres victimae Christi obierunt[52]. Insula Guadalupe anno 1613 sanguinem 4 fratrum Hispanorum Ioannis Lopez, Ioannis Martinez. Vincentii Palau, Hycinthi Cisternes[53] vidit, et in provincia Mexicana c. 1616 patres plures violentam mortem oppetierunt[54], in Florida haud unus ultimusque e nostri p. Ludovicus Cancer 1547 martyr exstitit[55]. In primo saeculo existentiae provincia Chilena plures patres missionarios inter Araucanos ad martyrii gloriam emisit, ut Bustamante, Abondo, de Santos, Buisa aliosque[56].

Martyria in orientali Europa, Graecia et Mesopotamia sunt Andreae Bobii ante 1612, episcopi Syrensis Andreae Carga 1617, Alexandri Baldrati (1646)[57], Vincentii Mudacii sociorumque 1640[58], patris Ruvo, qui ab incolis Mausiliensis civitatis crudeliter anno 1785 trucidatus est, cuius cadaver ignominiae causa per vias trahebatur[59]. Africanae missiones tum Algerii Iosephum Morant[60] tum alios in Madagascar 1540 et 1585 gloriosos testes sanguinis ad caelum miserunt[61]. In ditione missionaria congregationis Indiarum orientalium praesertim martyria Augustini da Magdalena (1613) atque Ioannis B. de la Fortalezza, Simonis de Madrede (1621) celebriora etiam hodie manserunt[62], sed non unica.

Provincia SS. Rosarii non solum martyres in nova Segobia Philippinarum, ut Ildephonsum Garcia, Onuphrium Palas[63], sed et in Iaponia, in Sinis et in Tunquino triumphatores famosos nacta est. Ita seriem Alphonsi Navarrete et heroum anni 1622 ac sequentium annorum, quorum plures ad honores altarium pervenerunt. Nostri iucundum florem sanctitatis Franciscum de Capillas anno 1648 velut protomartyrem Sinensem habere gaudent. Cui in terra Fukiensi 1747 et 1748 Petrus Sanz, Franciscus Serrano sociique adnumerantur[64], dum missio insulae Formosae anno 1633 Franciscum de S. Dominico et 1636 Ludovicum Muro primitias suas sanguinis missionarii dedit[65] et missio Tunquinensis 1745 et 1773 Franciscum Gil de Federich, Hyacinthum Castañeda sociosque Deo obtulit[66].

In Europa ex insidiis et atrocitate credentium novorum pluribus in regionibus Dominicani aliqui martyrii corona cingebantur.

Capitulumque generale 1574 visceribus effusis fratres in terris haeresi depravatis adhortabatur, ut opportunitate adipiscendi martyrii uterentur[67]. Ita in parte Pedemontana elenchus fratrum ab haereticis interfectorum compilatus est[68]. Immania fratres quidam sicut et conventus provinciarum Galliae pertulerunt. In capitulo generali anni 1569 et sequentibus nomina afferuntur pp. Renati Poivet mag. theol., Ioannis Malchausier prioris Tolosani, Michaelis Sarbier prioris Matisconensis, Ioannis novitii, Petri Guillot prioris Castrensis, Francisci Picard cum duobus fratribus, Ioannis Bole aliorumque, qui variis tormentorum generibus morte mundo ignobili et caelo pretiosa terram hanc reliquerunt[69]. Demum in rebellione gallica inter martyres Parisienses anno 1793 p. Ludovicus Pacot O.P., natu Leodiensis, numeratur[70].

« In Germania inferiore (legitur in capitulo generali Romano 1583) magna pars conventuum solo aequata conspiciuntur et in partibus Hollandiae, Zeelandiae, Frisiae et Geldriae fratres nostri tormentis ac poenis, persecutionibus et afflictionibus innumeris ac multis mortis generibus excarnificati sunt et pro fide catholica mortui horum nomina leguntur in libro vitae »[71]. Iacobus Faber regens Lovaniensis martyrio coronatus est[72]. Similiter p. Antoninus Timmermans natu Dunkerquensis, qui post studia Antverpiae persoluta, regimini Geusorum non consentiens et sacramentale sigillum servans, suspensus et dilaceratus 27 martii 1582 sancte quievit[73]. Canonizatione dignus habitus est Ioannes Coloniensis inter agmen aliorum 18 martyrum Gorcomiensium decertans. Ad socios 15, qui ab initio arcis Gorcomiensis deditae captivi extiterunt, 4 reliqui adiunc-

ti sunt. Inter quos Ioannes parochus Hornariensis, qui praelatorum suorum licentia extra conventum in habitu saeculari degere valuit. Infantuli baptizandi gratia aliquando exiens ipse a satellitibus comprehensus aliis testibus fidei adductus et cum eis die 9 iulii 1572 in oppido Briel trabe appensus est. Ossa martyrum 1618 refossa et ad ecclesiam fratrum Minorum Bruxellensem delata sunt[74]. Dum Teutonia adhuc alium martyrem Iacobum Tonger in conventu sororum Reutingensium 1578 habuit[75], in Bohemia Ioannes von Schönfeld Pragae 1560[76] et in provincia Daciae 1527 frater quidam conversus[77] martyrii gratiam obtinuit.

In insulis britannicis persecutio Ecclesiae antiquae et verae multis fratribus palmam victoriae super inimicos fidei attulit. Apud Scotiam in loco Holywood die 9 martii 1565/6 p. Ioannes Black occisus est, dum Robertus Nutter Lancastriae appensus et dilaceratus die 26 iulii 1600 et David Ioseph Kemeys die 6 februarii 1679 (80) in Newgate miseriis confectus obierunt[78]. Hiberni fratres Arthurus M'Georghan Londinii 1633 intestinis igne concrematis martyrizatus est[79]. Vincentius Gerald Dillon in carcere Eboracensi 1651 ad superos evolavit[80]. Aliorum Hibernorum martyrum nomina sunt pp. Petri Higgin 1641, Connaci Egan[81], Aeneae Ambrosii O Cahil, Laurentii O Fearail et Bernardi O Fearail, Guillelmi O Connor, Bernardi O Kelly, Terentii Alberti O Brien episcopi Imelacensis[82]. Alios quoque acta generalium capitulorum recensent[83].

Per provinciam Russiae strages fratrum in odium fidei a Tataris et schismaticis annis 1648 et 1649 occisorum notantur. Non solum in Leopoliensi conventu verum etiam in Camenecensi, Nestervarensi, Potocensi, Iesupoliensi ceterisque patres cuiusque meriti et conversi diversis generibus crudelitatum et suppliciorum morti traditi sunt. Abertus de Lubochia, supprior Kijoviensis, lancea bis transfixus ligatusque deinde in altum fluvii Borysthenis demersus et cum aquis supernataret remis saevissime deartuatus est spectantibus ut dicunt 20000 hominibus[84].

In Vallachia ante annum 1612 Andreas Bobius Lombardus ab haereticis militibus morte crudeli affectus est[85].

§ 69. Cultus sanctorum et beatorum.

Caelestis fecunditas in ordine Praedicatorum causis beatorum sanctorumque fratrum vel sororum impigre sollicitatis coram Ecclesia et mundo ostendi non cessavit.

S. Antonini archiepiscopi († 1459) canonizationem, cuius processus 1515 coeptus est, Hadrianus VI die 31 maii 1523 perfecit, bulla canonizationis per Clementem VII die 26 novembris eiusdem anni publicata. Haec canonizatio non solum ex charactere pastorali et sociali illius sancti viri verum etiam ex eius ratione doctrinae momentum habet[1]. Postquam Hyacinthus Polonus († 1257) per Clementem VII et Raymundus de Pennaforte († 1275) per Paulum III beati declarati sunt[2], Clemens VIII illum quidem die 17 aprilis 1594, hunc vero die 29 aprilis 1601 solemniter canonizavit[3]. Pro causa S. Hyacinthi maxime Severinus Lubomlius Cracoviensis ab anno 1589[4], proque re S. Raymundi multum Franciscus Peña, auditor Rotae laboravit[5]. Glorificatio Raymundiana ob rationes a capitulo generali 1605 notatas relevetur: «Quoniam ex mandato felicis recordationis Clementis VIII in solemnissima sancti Raymundi canonizatione, utpote quae prima in ecclesia nova sancti Petri pomposissime adornata facta est, multa fuerunt expensa et debita necessario contracta, quorum interesse adhuc currit, visum est inter omnes provincias debita dumtaxat distribuere iuxta uniuscuiusque possibilitatem »[6].

Novi aevi quoque membra ordinis mox ad altaria elevabantur. Sic eadem canonizatione diei 12 aprilis 1671 Clemens X Ludovicum Beltran a Valentia et Rosam Limanam insimul cum beatis aliorum coetuum sanctorum albo adscripsit[7]. Ludovicum Bertrandum Paulus V 1608 beatum pronuntiavit[8], dum Rosa a Clemente IX solemniter beatificata fuit[9]. Demum pro Pio V Sixtus V processum canonizationis instruere mandavit, quem Clemens XI die 22 maii 1712 canonizatione coronavit. Clemens X solemnem beatificationem Pii V die i maii 1672 peregerat[10]. Summam 30000 scutatorum pro solemnitate canonizationis S. Pii V expendendam ordo Praedicatorum tum ex oblationibus Americae latinae tum ex pensionibus fratrum Italorum et Hispanorum collegit[11].

Benedictus XIII tandem S. Agnetem de Montepulciano († 1317), quae 1532 cultum publicum localem obtinuit, cuiusque officium 1601 in toto ordine recitandum concessum et cultus 1705 denuo recognitus est, die 10 decembris 1726 solemniter caelitibus accensuit[12], dum Ca-

tharina de Ricci, cuius causa sub Benedicto XIII summe fovebatur, 1732 ad beatificationis formalis et sub Benedicto XIV 29 iunii 1746 ad sanctorum honores pervenit[13].

Solemnem beatificationem 1675 Ioannes a Colonia martyr Gorcomiensis obtinuit[14], dum cultum ab immemorabili Margaritae a Sabaudia 1669, Alberti Magni 1670, Benedicti XI 1736 aliorum aliarumque Pontifices Romani probarunt[15]. Ante decreta Urbani VIII inter alios Iacobum Salomonium, Margaritam Tifernatem, Ambrosium Sansedonium beatos declaraverant[16].

Suas causas ordo persequi non omisit. Causa Alberti Magni, quae ineunte saeculo XVII tanto zelo commendabatur[17], per extensionem festi et officii huius venerandi doctoris et praesulis ad totam Germaniam sub Urbano VIII et ad totum ordinem 1670 desiit et nisi regiones germanicae bello triginta annorum aliisque premerentur gloriosius exiisset[18]. Causae venerabilium ut Ioannis Massias, Ioannis Leonardi Fusco, Marci de Marcenisio, Martini Porres, martyrum Iaponiae, Malacensium, Sinensium, Dominicae a Paradiso, Franciscae Dorotheae[19], Margaritae Ener[20], Bartholomaei a Martyribus, Francisci de Posadas, Benedicti XIII[21], ut exempla citentur, ab ordine desiderabantur. Et 1694 capitulares generales magistro ordinis sollicitudinem circa causas huiusmodi habendam commiserunt[22].

b) VITA ET ACTIO SCIENTIFICA.

§ 70. Rationes studiorum.

Indefessae moderandorum studiorum ordinationes capitulorum generalium tum institutionem fratrum apud conventus simplices, in quibus a lectoribus lectiones de utili materia sive conclusiones saltem de casibus haberentur[1], tum apud domos studiorum[2] respiciebant. Pro iis, qui novitiatu rite peracto studiis vacare debebant, notiones grammaticales et latinitatis requirebantur[3]. Deinde artes seu philosophia et demum theologia magis magisque iuxta Summam Aquinatis data addiscendae erant. Ita post praecedentia capitula Romae 1580 triennium philosophiae (dialectica, philosophia, metaphysica constantis) et quadriennium theologiae de Summa S. Thomae statuta sunt[4], dum per rationem studiorum sub r.mo Sixto Fabri anno 1585 « dignissimorum patrum habito consilio » editam logicae anni duo, philosophiae anni tres, nempe de physica et metaphysica, et theolo-

giae pro Summae parte I et III quoad lectionem « speculativam » et pro parte I-IIae et II-IIae quoad lectionem moralem quatuor anni assignantur.

Lectiones per annum totum exceptis vacationibus, quae a medietate iulii usque ad festum S. Crucis et aliis minoribus quibusdam et die Iovis quolibet concedebantur, instituendae et lectores legendi muneri applicandi erant. «Lectores in legendo ita discipulorum captui se accomodent ut prorsus ab ipsis discipulis lectiones scribantur, quibus discipulis idem mandamus sub paena sedendi in terra qualibet vice qua non scripserint ». Lectores primum docendo logicam incipiant, deinde ad lecturam philosophiae et nonnisi tunc ad tradendam theologiam admittantur. Praeter lectiones et theologicae conclusiones id est disputationes publicae habeantur. Insuper novitii «toto tempore novitiatus, quod erit quatuor annorum, in exercitatione linguarum versentur et adhibeantur etiam magistri saeculares quoadusque reperiantur in ordine, qui in huiusmodi linguis alios docere possint»[5]. Ad haec r.mi p. Fabri statuta, capitula sequentia tum introductionem linguae graecae atque hebraicae ordinabant[6] tum artium seu philosophiae cursum ad annos tres vel quatuor determinabant[7] tum maxime pro Italia[8] sed et pro Mexico[9] conventus cursuum praedicationis vel scripturisticum pro concionatoribus designandos imponebant. Dum magistri generales pro diversissimis collegiis orbis dominiciani studia disponebant[10], r.mus p. Cloche circulari sua epistula diei 12 maii 1687 pro studiorum incremento haec edixit: lectiones incipiant a festo exaltationis S. Crucis, nisi inceptio tardior probetur. In qualibet sexennio Summa tota S. Thomae explicetur. Circa festum Pentecostes examina discipulorum in omnibus materiis traditis fiant. Serventur disputationes, annotentur studentium merita. Haec ordinatio studiorum per eiusdem magistri generalis litteram diei 2 octobris 1688, quae in habendo tractatu septimanali casus conscientiae insistit[11], necnon et per dispositiones capituli 1694[12] completa est.

Pressius quam anno 1706, in capitulo generali anni 1725 disciplinae positivae «sanctae scripturae, canonum, conciliorum, patrum, ecclesiasticae historiae et controversiarum quae nos inter et haereticos in dies agitantur » studio fratrum commendantur[13]. R.mus p. de Boxadors Thomismi promotor strenuus ordinem suum ad refellendos errores coaevorum incitavit[14]. Exegesi sacrae paginae particularis cura saeculo XVIII dedicabatur[15]. Dum pro philosophia in sae-

culis XVI et libri Aristotelis duces et textus habebantur[16], ex saeculo XVIII auctores alii, ut Roselli, pro philosophia commendabantur, pro re locorum Melchiore Cano indicato[17].

Studiis peractis varia examina fratribus facienda erant pro diversis finibus. Ad confessiones audiendas quicumque idoneus reperiri debuit, et quidem per gremium examinatorum quinque vel tres ad minus, qui ab anno 1592 vota sua secreta ferre tenebantur[18]. Imo ex confirmatione anni 1748 fratres qui studentatus munere expleto vel actu non legebant vel numquam legebant sive etiam lectores philosophiae trino examini superando subdebantur[19]. Examen particulare interdum vel pro praedicatoribus indictum fuit[20].

De bonis professoribus ordo constanter sollicitus, voce capitularium et magistrorum generalium solide formatos et probos lectores, baccalaureos et magistros postulavit[21]. Magistri in theologia nonnisi permittente magistro ordinis vel capitulo generali in provincia, congregatione, conventu recipi poterant, ita ut magistri pontificia auctoritate nominati iure magistrorum acceptatorum non fruerentur[22]. Ad lectoratum sicut et ad magisterium studentium et ad baccalaureatum theologiae via nonnisi post feliciter datum examen anno 1596 accuratius determinatum[23] aperiebatur. Insuper ne dignitati baccalaureorum et magistrorum considerationi quid deesset neque unius provinciae excessus infundati super alias ditiones quoad graduatos fierent, numerus baccalaureorum et magistrorum pro unaquaque provincia anno 1589 definitus est et in posterum servandus[24]. Circa ius magistrorum generalium de promovendis fratribus conditione digna suffultis ad baccalaureatum et ad magisterium theologiae intra ordinem praecipue Pius V anno 1572, deinde Innocentius XI, Innocentius XII declarationes emanarunt[25].

Fratres qui extra ordinem docere debebant, ab ordine et eligi atque examinari sicut et postea ad gradus in ordine solitos promoveri poterant[26].

§ 71. Domus et collegia studiorum. Res libraria.

Relevando studia praecipua ordinis, dum studia particularia omittuntur, illud Parisiense memoratur, cuius auctoritati et benefico in ordinem influxui capitulares generales anno 1523 providentes statuerunt, ibi non solum duos vel tres studentes e provinciis seu congregationibus sed quantumcumque numerum fratrum ad studen-

dum in artibus et theologia recipi debere, qui cum sufficienti provisione necnon et probatis litteratura, aptitudine ad litteras, affectu religionis praesentarentur. Adhuc « fons vivus quo universus ordo noster aquis sapientiae irrigari solet, est conventus noster Parisiensis»[1]. Et anno 1551 pariter primum locum tenet. Nonnisi in altera medietate saeculi XVI ascendentibus notabiliter collegiis Hispaniarum et Romano et ex gallicis bellis intestinis splendorem suum paulatim amisit.

Magni momenti enumeratio studiorum principalium in capitulo generali Salmantino 1551 exhibetur, quae has declarationes sequitur: « neminem posse assumere gradum magisterii in theologia nisi prius actus exercuerit pro forma et gradu dicti magisterii per annos quatuor ad minus in aliqua universitate declarantes conventus universitatum in quibus dicti actus exerceri possunt, esse infrascriptos, videlicet in primis conventum nostrum Parisiensem. Item in provincia Hispaniae conventum Salmantinum, Valleoletanum, Segobiensem et de Trianos. In provincia Tolosana conventum Burdegalensem. In provincia Franciae conventum Bituricensem. In provincia utriusque Lombardiae conventum Bononiensem. In provincia Romana conventum Perusinum. In provincia Regni conventum Neapolitanum S. Dominici. In provincia Provinciae conventum Aquensem. In provincia Aragoniae conventus Barcinonensem et Valentinum. In provincia Trinacriae conventum S. Dominici de Panormo. In provincia Portugalliae conventum Ulixbonensem et de Bello. In provincia Baetica conventum Cordubensem et Hispalensem. In provincia inferioris Germaniae conventum Lovaniensem. In provincia S. Thomae conventum Andriensem. In provincia Calabriae conventum Consentinum. In congregatione Franciae conventum Tolosanum. In provincia S. Crucis Indiarum conventum civitatis S. Dominici. In vicaria S. Dominici conventum Patavinum. In vicaria Romana conventum S. Mariae Novellae de Florentia. In vicaria S. Petri Martyris conventum S. Eustorgii Mediolanensem »[2].

Quibus anno 1553 additur conventus Coloniensis pro provincia Teutoniae et quibusdam sub conditionibus conventus Iadrensis pro Dalmatis[3].

1561 facultas theologica Remis per cardinalem Lotharingiae erecta ab ordine acceptata est, dum 1564 universitas Duacensis, a rege catholico Philippo fundata, pro fratrum promotionibus agnoscebatur[4]. In ea postea Billuart claruit. In distante Scotia industriae studiosae

ordinis signum est anno 1518 pactum super fundationem quinque vel sex studentium in conventu universitatis S. Andreae inter provincialem et decanum Dunclidensem initum[5], cui post plures annos eversio fratrum et scholarium successit sicut et in Anglia. In Hibernia 1644 quinque universitates seu studia generalia Dublinense, Limericense, Casheliae, de Athenrij, Culrahanense conceduntur vel alibi, si iniuria temporis id postulat[6]. Daciae provincia studium generale suum Roskildense saeculo XVI ineunte agnitum et probatum adhuc vidit[7]. Poloni fratres sui generalis studii Cracoviensis confirmationem 1589 obtinuerunt, ex quo tamquam ex litterarum amphitheatro in totam provinciam studentes et lectores formati destinarentur[8].

Lithuani saeculo XVII collegium Vilnense S. Spiritus receperunt[9]. Studium generale Hungarorum Budense a Caietano restauratum et annis 1525 et 1530 in conventum Cibinensem ad tempus translatum est[10]. Viennae et studium ordinis celebratum et fratrum in universitate publica indefessa participatio semper exstitit[11] ut magistri Riedl et Gazzaniga saeculo XVIII ostendunt. In Bohemia Pragae litterae sacrae valde a nostris colebantur[12]. Per Germaniam meridionalem studium Friburgense[13] cum universitate publica in nexu erat, dum saeculo XVIII provincia Germaniae superioris collegia Bambergense, Herbipolense cum commercio universitatis, Landishutanum et magistros in academia Mergentheimensi habuit[14]. Per universitates Germaniae septentrionalis in saeculo XVI plures fratres docebant, donec Coloniensis alma mater unica fidelis remansit, in qua nostri magistri semper aderant[15].

In Italia praeter citata collegia, et illa Mutinense, Parmense, Urbinatense aderant[16], ordini anno 1754 credita quoque cathedra moralis theologiae Emaldiana in oppido Lugo Imolensis dioecesis[17]. Conspicua doctrinae actio Venetiis, Mediolani, Taurini per nostros continuo exercebatur, dum in provincia Romana ad studium generale Perusinum[18] novum collegium Minervitanum de Urbe ab episcopo Ioanne Solano, quondam episcopo Cuzcensi, 1577 dotatum est, cui primus regens Didacus de Peredo usque ad annum 1585 praefuit a multis suae nationis fatribus secutus. Collegium Minervitanum S. Thomae a Benedicto XIII facultatem obtinuit, et externis studentibus laureas decernendi[19].

Robur et munimen collegio Minervitano ex fundatione Casanatensi duarum cathedrarum theologiae et collegio sex theologorum in-

de ab anno 1700 accessit[20]. Durante suppresione societatis Iesu, Iosephus Montaldi et Thomas Soldati in collegio Germanico tradiderunt, professoribus pro collegio de Propaganda e nostris Thoma Cerboni et Mauritio Olivieri delectis, qui ultimus et in universitate Romana docuit[21]. Apud Sapientiam saeculo XVI etiam nostri claruerunt, ut Schönberg[22], Miranda[23]. Praeter maiora studia provinciae Romanae et apud Quercum Viterbii 1622 studium generale vigere deprehenditur[24].

Ex Italia meridionali momentum doctrinale in Parthenopaea civitate et academia notetur, quibus patres in studio generali S. Dominici maioris, in studio S. Petri Martyris, in cathedra universitaria ornamento fuerunt[25].

Lucem mirabilem claritatis collegia ditionis hispanicae ex saeculo XVI sparserunt. Iam r.mus p. Bandelli statutis suis modum collegiorum in Hispania probavit et roboravit. Ad instar Salmanticensis vel Vallisoletani[26] utpote famosiorum collegiorum alia ut Hispalense ope archiepiscopi Deza O.P.[27] et Toletanum cum regente Didaco de Victoria[28], Complutense[29], Oriolense[30] ante 1550 erigebantur, provincia Aragoniae multis studiorum collegiis excellente[31]. Conspicuus magistrorum apparatus in problematibus speculativis theologiae et philosophiae sicut pariter iuris naturalis copia doctrinae in collegiis et universitatibus hispanicis aderat, ubi exteri studentes selectiores ad hauriendam sapientiam assignari inter 1550 et 1650 gestiebant[32].

In Indiis collegia et universitates variae[33] in Hispaniolae civitate S. Dominici. Havanae[34], Guatemalae (1589)[35], Mexici (1589, 1605)[36], Angelopoli[37], S. Fé de Bogotá (1580)[38], in civitatibus Quitensi[39], Cuzcensi[40], Limana[41], S. Iacobi de Chile[42] floruerunt.

Tandem patres, qui ab anno 1587 Philippinas insulas penetrarant, collegium S. Rosarii Manilae 1611 fundandum duxerunt quod a provincia 1612 probatum, mox potius sub titulo S. Thomae collocatum, et 1617 a conventu S. Dominici separatum est, ex quo anno vitam propriam florentem incepit, facultatibus eius a gubernio 1623 recognitis et licentia graduum ab Urbano VIII iam anno 1619 facta ex parte civili 1624 pariter rata habita. Si Innocentius X 1645 definitive universitatem collegii S. Thomae Manilensis agnovit, regii favores non deerant, qui ex gratia Caroli III anno 1785 decreto titulo regiae universitatis cumulabantur[43]. Antiquissima haec et ampla universitas S. Thomae in Philippinis et in extremo oriente profundissime verum scientiae cultum prosecuta est.

Cura librorum « inspecto nostri instituti fine »[44] fratribus Praedicatoribus ac veritatis catholicae doctoribus summopere cordi erat. Gratissimum ordini testamentum cardinalis Hieronymi Casanate (✝ 1700)[45] cessit, qui non solum in choro Minervitani templi sepeliri voluit, verum etiam prope residentiam magistri generalis bibliothecam publicam ex suis et acquirendis libris instituere sicut capitulares anno 1706 debite denuntiant. Haec bibliotheca pro communi Ecclesiae bono et doctrinae catholicae puritate fundata « sive loci amplitudinem et maiestatem spectes sive librorum in omni scientia et arte copiam et selectum, ornatissimis ac refertissimis totius Europae bibliothecis parem aut certe supparem haud immerito dixeris»[46].

In negotio nunc administrandae bibliothecae magister ordinis. magister S. Palatii, commissarius S. Officii, secretarius Indicis, prior Minervitanus concurrebant. Bibliothecarii, qui operi librario ordinario praeessent, duo patres constituebantur, nempe bibliothecarius, primus et secundus, qui inter idoneos e provincia ordinis quacumque deligendi erant. In initio primum locum Raphael Filamondo obtinuit et alterum Carolus Hyacinthus Lascaris, qui 1705/10 Europam ultramontanam et 1710/15 Italiam perquirendorum librorum causa circumcursavit[47]. De immenso tanti instituti commodo ipse eruditissimus Prosper Lambertini, cum iam esset Benedictus XIV, 1756 apertum testimonium edixit[48]. Catalogum Casanatensem impigre ab anno 1761 Ioannes Baptista Audiffredi cum sociis redegit[49]. Praeter librorum collectionem cardinalis Casanate «fundavit et duas cathedras in quibus legeretur textus Summae theologicae divi Thomae cuius doctrina nullam tutiorem esse, nullam Ecclesiae utiliorem vere dictitare solebat eique proinde uni si insistatur nullos in dogmaticam errores, nullos in moralem excessus, nullam in theologiam mysticam illusiones fore irrupturos». Primi cathedratici Casanatenses erant Antoninus Massoulié pro lectione matutina et Gregorius Selleri pro lectione vespertina. Denique Casanate suae fundationi aggregare voluit « collegium sex theologorum e diversis nationibus ac praecipuis orbis catholici universitatibus adlectorum, quorum munus praecipuum sit sacris incumbere studiis et instructos esse omni tempore ad Sanctae Sedis et Ecclesiae catholicae defensionem» Quod collegium his patribus primum componebatur pro Italia Iosepho Tabaglio, pro Gallia Hyacintho Serry, pro Hispania Augustino Pipia, pro Germania Ioanne Lubiniecki, pro Flandria Norberto d'Elbecque, pro Anglia Patritio Plunkett[50].

§ 72. Problemata thomistica.

Pro « artium » et sacrae scientiae studio via et doctrina S. Thomae a patribus Mediolani anno 1505 congregatis nova vi inculcabatur[1]. Et mire evenit, quod insequenti tempore, Thomas de Vio Caietanus in Italia 1508/22, Conradus Köllin in Germania 1512, Petrus Crockart Parisiis 1512, commentaria super Summam theologiae Aquinatis eloquebantur vel scribebant[2], Francisco Silvestri Ferrariensi commentaria super Summam contra gentiles 1524 praelo man dante[3], dum e. g. in universitatibus Friburgensi, Lipsiensi, Rostocensi[4], in studio Trevirensi[5], in universitate Lovaniensi[6] pariterque per alia ordinis centra studiorum thomisticus textus ad praecipuam formationem studentium serviebat. Quare et Germani fratres[7] et ex Italis Prierias[8] Thomistas se esse decoris causa contra novatorem Luther declarabant, sicut et magister generalis 1525 ordinem taliter allocutus est: « Nonne angelicus Thomas hoc sibi tantummodo visus est institutum praescripsisse ut suis litterarum monumentis catholicam fidem confirmaret, Romanam tueretur Sedem, omnes haeresum sectas e christianorum finibus eliminaret?». Caietanus, cuius scopus thomisticae expositionis antiscotisticus erat, eruditionem suam thomisticam cum multis fratribus velut antilutheranam adhibebat[10]. Lambertus Campester Lugduni thomisticae rei promotor exstitit[11].

Pro Parisiensi studio anno 1523 statutum est, «ut ad minus tres lectiones quotidie de S. Thoma in schola suo nomini sacra legantur cum suis conferentiis et frequentia circulorum et aulicarum ». Universaliter autem 1551 ordinatum fuit, « ut non solum in sacra theologia sed etiam in philosophia ab omnibus lectoribus legatur, declaretur, et defendatur semper doctrina S. Thomae... ita ut in summulis legatur ab omnibus Petrus Hispanus et bene intelligatur..., in logica textus Aristotelis et in philosophia similiter cum integro commento S. Thomae. In s. theologia item declaretur totus articulus scilicet S. Thomae et ex ipsomet S. Thoma elucidetur et difficultatibus respondeatur, ut habetur apud Capreolum vel Caietanum ». In ratione studiorum anni 1585 studium theologiae thomisticae per quadriennium[12], postea per triennium vel ad sexennium[13] stabilitur. In saeculo XVI Magister sententiarum tum in ordine tum in universitatibus coram Aquinate, per Pium V 1567 inter doctores

Ecclesiae assumpto, recessit[14]. Uberrimae commentatorum industriae decisiones capitulares anni 1615 reclamarunt, iuxta quas ipsa doctrina S. Thomae apud nos « secundum auctorum nostrorum, qui vere thomistae sunt sensum, sententiam et loquendi modum, in ipsorum commentariis expressum, explicatam proponant et interpretentur. Quia vero in dies quamplurimi doctrinae S. Thomae commentatores prodeunt, ita ut infinita pene mole librorum veritas ipsa et sincera eius doctrina obfuscari videatur, lectoribus et studiorum moderatoribus... mandamus, ut varietate auctorum relicta in philosophicis quidem Aristotelem, eius textum commentariis patrum ordinis nostri explicando, in theologicis vero doctrinam S. Thomae ut est in littera, singulariter, specifice et expresse, nedum quantum ad ipsam substantiam sed etiam quantum ad verba exactissime proponant ita ut si fieri possit, textum S. Thomae integrum memoriae commendent et eiusdem loquendi modo, stilo ac verbis assuefiant. Insuper commentaria illustrissimi et reverendissimi d. Cardinalis Caietani proponant, doceant et explicent. Si quas vero controversias interserere voluerint, studeant ut haec tantummodo, maturo iudicio descripta, breviter legenda proponant ita ut integri tractatus seu materiae theologicae et non truncatae propter nimis in longum protractas praefatas controversias discipulis praelegantur »[15]. His verbis ultimis ad lites in Hispania ortas alluditur.

Dum scholae thomisticae per Germaniam septentrionalem debilitarentur et ad latus vigentium italicorum centrorum thomisticorum in quibus et Badia et Bertano explicabant[16] collegium D. Thomae de Urbe sensim ascenderet[17], Hispania saeculis XVI et XVII Thomismi effloritionem splendidam et assertionem fecundissimam produxit. Evolutionem quidem doctrinalem tranquillam[18] e medio aevo suscipiens, Didacus de Deza ad suos coaevos continuabat[19]. Francisco de Victoria e discipulo Petri Crockart sapientissimae magistralis actionis tum Vallisoleti tum Salmanticae instauratore facto. Tanta penetratione et comprehensione res omnes sub lumine S. Thomae amplectebaur, ut summa auctoritate gauderet. Dictumque est de eo, eius spiritum in concilio Tridentino viguisse[20]. Dominicus et Petrus de Soto insignes utique Thomistae praeter Victoriensem erant, cuius discipuli optimi Bañez, Cano, Ledesma, Medina[21] et theologiam et Thomismum notabiliter auxerunt. Si thomistae traditionales universitatum Lovaniensis et Duacenae contra Leonardi Lessii S. I. Propositiones 1586 et sequenti insurgebant[22],

ex disputatione Salmantina anno 1582 habita corollarium secutum est, quod ad proscribendas propositiones 16 per inquisitionem Castellae duxit. Insuper «Concordia liberi arbitrii cum gratiae donis» auctore Ludovico Molina Ulyssipone anno 1588 ob sententias propositionibus ab inquisitione Castellana damnatis similes super partes scientificas etiam habitudinem societatis Iesu cum ordine Praedicatorum affecit. Disputationes de materia Molinae apud Hispanos agitatae per Clementem VIII 1596 Romam citatae sunt, exinde sub nomine congregationum de auxiliis per cardinales, censores, consultores, disputatores habitarum notissimae. Anno 1598 incipiebant huiusmodi congregationis sessiones, in quibus 1599 magister Beccaria declaravit, ordinem Praedicatorum ad sequelam esse Aquinatis adstrictum et pacem Dominicanis esse non posse cum Iesuitis, nisi hi hanc doctrinam assumerent. Anno 1600 Molinae propositiones 20 quarta vice damnantur. Ab anno 1602 Summus Pontifex sessionibus interveniens validissima argumenta Didaci Alvarez et Thomae de Lemos in Iesuitas de Valentia, Arrubal, de Salas proferri audivit. Clemente Papa defuncto Paulus V ultimam sessionem tenuit, in qua cardinales 10 pro damnatione Molinae erant, duobus Bellarmino et Duperron contrariis. Iudicium definitivum quaestionis edictum non est, sed decretum pontificium die 28 augusti 1607 datum, quod utrique parti aliam censurare interdixit, utramque ad usum verborum mitiorum monuit[23]. R.mus p. Galamini provincias italicas et hispanicas ad non edendos libros super hanc materiam scriptos prius quam Romae inspecti fuissent, adstrinxit[24]. Et S. Officium anno 1611 dissertationes futuras de re gratiae prohibuit nisi ab eodem editio permitteretur[25].

In doctrina de immaculata conceptione B. Virginis, de qua Hispani magis disputabant[26], Caietanus ordinem in acceptione firmavit, quae evolutioni dogmatis non respondebat. Ambrosius Catharinus contra eum sententiam suam de Immaculata Conceptione strenue propugnavit[27], dum Paulus V libertatem de opinione affirmativa i. e. de conceptione in peccato abstulit et Gregorius XV fratribus Praedicatoribus id concessit, quod inter se de ipsa tractare possent[28]. Capitula generalia concionatoribus contra opinionem de Immaculata Conceptione loqui vetuerunt[29].

Bartholomaeus de Medina « pater Probabilismi » eo vocatur quod in commentario ad I-II 1577 edito primus recenset systemata moralitatis iuxta probabilitatem, de vere solida utique probabilitate

rem intelligens. Cum autem a multis moralistis Iesuitis Probabilismus laxus teneretur, in quem etiam litterae «provinciales» a Pascal editae 1656 instabant, fratres Praedicatores iussu Alexandri VII explicito a doctrinis cum genuina littera Aquinatis non cohaerentium opinionum tam in philosophicis quam in theologicis cavere mandabantur « praecipue vero in moralibus, ubi pressius de salute ac indemnitate animarum agitur. In his porro studeant omni cautela evitare opiniones laxas, novas ac parum tutas ». Evenit quidem, plures Dominicanos in defensione moralitatis contra laxistas rigidiores fuisse. Gonet 1664, Baron 1665, Mercori, Luccioni aliique de Probabilismo e nostris disseruerunt. Cum r.mus p. Cloche quorundam antiprobabilistarum elogia chronicae ordinis interseruerit, impetitus est ac si per hoc a doctrina Bannezii, Alvarez, Soto, Ledesma, Ioannis a S. Thoma recederetur. Gravissimas difficultates internas decretum Romanae inquisitionis de non sequendo Probabilismo societati Iesu parabat. Daniel Concina anno 1743 historiam Probabilismi et Rigorismi descripsit, quam Ioannes V. Patuzzi contra aggressores defendendam suscepit[30].

Post has doctrinae vicissitudines, partim cum Hispania connexas. series Thomistarum egregiorum in Hispania florentium resumatur. Continuatur maxime per piissimum, longum sed et lucidum Ioannem a S. Thoma Poinsot[31], Marcum Serra[32], Vincentium Ferrer[33], Lusitanum Petrum Magalhaens[34]. Galli autem Gonet, Reginald, Massoulié et Belga Billuart valde inclaruerunt[35]. Ex Italis praeter venerandum Seraphinum Caponi a Porrecta, Hieronymum Medices, Dionysium Leone a Lycio, qui structuram thomisticarum quaestionum explanabant[36], Ioannes Nazarius et Dominicus de Marini, Vincentius Gotti commentaria consignarunt[37]. Si Thomas Vita Siculus et Sebastianus Knippenberg ab ordinis doctrina recesserunt, ordo efficacibus monitis fratres suos cautos et fideles esse voluit[38].

Bulla sub verbis « Demissas preces » exordiens a Benedicto XIII die 6 novembris 1724 data fratres Praedicatores sic adhortata est: « Pergite porro doctoris vestri opera sole clariora sine ullo prorsus errore conscripta, quibus Ecclesiam Christi mira eruditione clarificavit inoffenso pede percurrere ac per certissimam illam christianae doctrinae regulam sacrosanctae religionis veritatem incorruptaeque disciplinae sanctitatem tueri ac vindicare. Hae sunt enim dilecti filii, quae praedecessores nostri de S. Thomae doctrina senserunt et praedicarunt. Inclytus enim ordo iste eodem angelicae doctrinae

lacte nos aluit ac licet impari institutionis fructu ad gerendam ecclesiarum sollicitudinem eduxit ut privato etiam diuturnoque colendarum artium experimento ediscere potuerimus quod ex apostolatus specula per hasce litteras annuntiamus»[39]. Clemens XII 1733 doctrinam thomisticam pariter defendit, licet libertatem scholarum agnoverit[40].

Contra illuminatos impigre et clare r.mus p. de Boxadors rem thomisticam ordini inculcavit, notandum impulsum studio doctrinae S. Thomae conferens in tempore sana doctrina utique indigente[41]. Cum zelo thomistico r.mi p. de Boxadors et mandatum regium Caroli III de sumendo textu Summae Aquinatis pro theologica institutione[42] et imperatricis Mariae Theresiae Austriae petitio de magistris thomisticis pro universitate Viennensi cohaerent[43].

Extra ordinem[44] e clero saeculari Franciscus Sylvius pluresque magistri Lovanienses et Parisienses, ex ordine B. Mariae de Mercede Hieronymus Perez et Franciscus Zumel, ex Carmelitis discalceatis famosi atque eximii Salmaticenses editores Cursus theologici et Philippus a SS. Trinitate, ex Benedictinis Augustinus Reding, Ludovicus Babenstuber[45], Paulus Mezger Salisburgensis universitatis membra, e societate Iesu Franciscus Toletus aliique sua plerumque modo, S. Thomam commentariis explanabant.

Subsidia studii thomistici aut editione operum sive omnium sive quorumdam S. Thomae habebantur. Ita Lambertus Campester Germanus, Vincentius Theadarici et Petrus Fabri Hollandi, Augustinus di Nale[46] et Vincentius Giaccari (nova editio tabulae aureae)[47], Itali, Thomas Manrique, qui 1570 primam editionem omnium Aquinatis Pianam curavit[48], postquam Antonius Senensis natione Lusitanus iam testimonia patrum et auctorum profanorum a S. Thoma adhibitorum collecta edidit[49], Franciscus Garcia postea mendis plenissima emendatione Summae excelluerunt, Hieromymo Vielmio de doctrina et scriptis S. Thomae disserente[50]. Praeter editiones universales Antverpiensem curante Cosma Morelles 1612, et Parisiensem primam auctore Ioanne Nicolai 1660, Paulus Nazarius opuscula quaedam[51], Thomas Luccioni Elucidarium vitae et operum 1705, Iosephus M. Patiniero hortante cardinali Barbarigo Summam 1696[52], ediderunt, dum Bernardus de Rubeis (Rossi) Venetam alteram completam editionem operum S. Thomae additis dissertationibus 1745/60 et 1765/88 in se suscepit[53].

Ludovicus Buglio S. I. ab anno 1654 versionem Sinicam Summae Aquinatis publici iuris fecit[54].

§ 73. Fratres doctrina et litteris insignes.

Sacrae paginae interpretes et editores occurrunt Caietanus in senectute sua totam fere bibliam ad sensum litteralem linguarum sacrarum peritis adiutus exposuit aperta mente haud una vice conclusiones a communi assertione exegeseos medii aevi alienus[1], Magdalius Iacobus Gaudensis qui in conventu Coloniensi correctorium bibliae additis interpretationibus paravit. Albertus Castellanus bibliam et latine anno 1506 et cum concordantiis annotationibusque anno 1519 impressit[2]. Curas gallicae versioni sacrae scripturae Antonius Dufour et Ioannes Henten[3] assumpsisse dicuntur dum verchinus[4], in germanicum Ioannes Dietenberger[5] incumbebant. Silvester Prierias exegesim sua Aura rosa (1503 et saepius), expositioni sacri textus originalis in italicum sermonem Sanctes Marmotionibus super evangelia de tempore et sanctis totius anni, Damianus Lorus triplici versione latina Paulinarum ad veritatem graecam, Augustinus Iustiniani psalterii trilinguis editione cum glossa auxerunt[6]. Xantes Pagninus (Lucae ortus, Lugduni † 1536) et ob hebraicitatis ac rabbinicae litteraturae peritiam indefesso studio fructus dedit veteris et novi testamenti novam translationem, thesaurum linguae sanctae, isagogen ad mysticos sacrae scripturae sensus, catenas varias, isagogen graecam[7]. Petrus Irorusqui, Placidus Parmensis, Hieronymus Oleaster, Stephanus Paris, Jacobus Nacchiante expositores, Ioannes Henten autem et uberrimus commentator et castigatus bibliorum editor erant[8]. Sixtus Senensis († 1569) bibliothecam sanctam 2 tomis anno 1566 praelo mandavit, qua scientiae biblicae fontem multis aperuit[9], dum Franciscus de Bovadilla, Franciscus Foreiro, Hieronymus Almonizar, Ludovicus Sotomayor per quatuor lustra solidus exegeta in universitate Conimbricensi, Seraphinus Caponi, Hieronymus de Lanuza, Thomas Malvenda, Severinus Lubomlius, Mauritius de Gregorio, Bernardus de la Palisse, scripturales disciplinas valde continuabant[10]. Iosephus de Turre institutiones s. scripturae, Iosephus Patin theologiam exegeticam 1712 et Ignatius Hyacinthus Amat de Graveson Romae 1715 tractatum de scriptura sacra iuris publici fecerunt[11]. Raymundus Corsi († 1767)[12] et Gabriel Fabricy († 1800)[13] de historia veteris testamenti vel eius textuali auctoritate ac littera disseruerunt.

Ordo theologorum hac aetate secundum numerum et qualitatem

uberrimus pro dignitate praesentari hic nequit, sed clariora nomina tantum ponantur, nempe Caietani, Silvestri Prieriatis, Silvestri Ferrariensis, Thomae Badia, Bartolomaei Spina, Iacobi Nacchiante, Ioannis Dominici Montagnoli, Seraphini Caponi, Hieronymi Medices[14], qui et omnes thomisticae disciplinae et catholicae veritatis explanatores vel defensores italici partim tempore Lutheranae haeresis et partim concilii Tridentini posteaque exstiterunt, Ambrosio Catharino utique famoso in pluribus cum suis dissentiente[15]. Germani Iacobus Hochstraten, Conradus Köllin ingenii nobilitate excellunt[16] sicut etiam polemica contra novatores, cui et Ioannes Mensing, Ambrosius Pelargus (Storch) operam navabant[17]. Petrus Crockart de Bruxellis Parisiis egregie theologiam interpretatus est, dum Ioannes de Fraxinio elucidatorium eucharistici sacramenti composuit, Nicolao Coeffeteau theologo sui aevi noto[18]. Hispania et Didacum de Astudillo celeberrimum theologum[19] et Petri Crockart discipulum Franciscum de Victoria († 1546) Salmantinum magistrum nacta est, qui velut Socrates christianus sensa sua de re theologica et civili in cordibus studentium insculpsit[20] relectiones eius varie edentium e. g. Cani, Alfonsi Muñoz, Thomae de Chaves[21]. Si Dominicus de Soto († 1560) de natura et gratia, ac de iure et iustitia, scribens applicationem theologicae considerationis ad quaesita Ecclesiae, status societatisque ampliavit atque illustravit[22], Melchior Cano methodum theologicam eximie promovit[23]. Praeter Petrum de Soto, Bartholomaeum Carranza, Bartholomaeum de Medina, Ioannem Vincentium Asturicensem. Petrum de Ledesma[24], valde Dominicus Bañez inclaruit[25], cui iam cum Molina res erat, in qua Didacus Nuño, Hieronymus de Lanuza, Thomas de Lemos, Didacus Alvarez partes nostras maximas egerunt[26].

Eximius prorsus Ioannes a S. Thoma († 1644)[27], Marcus Serra, Ioannes Baptista, Franciscus a Cruce professor Limanus, Franciscus Arauxo, Petrus de Godoy, Genesius de Barrientos (contra Probabilismum)[28], Ioannes de Montalban, Ioannes de Villalua, Iosephus Bono, Ildefonsus Olivares[29] seriem hispanicae theologiae dignissime protrahunt. Itali Dominicum de Gravina, Ioannem Paulum Nazarium, Xantem Marialem (Pinardi), Thomam M. Ferrari, Vincentinm Gotti, Petrum Gazzaniga, Nicolaum Chignoli suos dicebant[30]. Ambrosius Lesaro de Belliguadro, Ludovicus Agudi, Thomas Amendola, sicut pariter Renatus H. Drouven (Drouin) theologiam sacramentariam tractarunt[31], de cetero Petro Labat, Vincen-

tio Baron (contra Probabilismum laxiorem), Ioanne B. Gonet († 1681), Vincentio Contenson, Antonino Reginald, Hyacinto Serry[32], Antonino Massoulié, Renato Billuart[33] cursus theologici et disputationes contra Probabilismum laxiorem vel de gratia debentur. Atque Albertus Zenner, Henricus Hilden[34], Willibaldus Mohrenwalter, Lucas Häller Bohemus, Antonius Königsmann, Gundisalvus Kaltenhäuser, Iosephus Riedl Austriaci litteras theologicas merito ampliarunt[35].

Moralis practicae materiam illustrarunt[36] Ioannes Cagnazzo de Tabia, Caietanus, Prierias, Ludovicus de Corduba, Antonius Beccaria, Ioannes Beatus, Bartholomaeus Fumi, Ambrosius Catharinus[37], Dominicus Baltanes Mexia, Dominius et Petrus de Soto, Ioannes de Pedrazza, Philippus de Meneses, Thomas Mercado, Bartholomaeus de Medina († 1581, «pater Probabilismi»), Franciscus Garcia, Cherubinus Fortini, Bartholomaeus et Petrus de Ledesma[38], Caspar a Corduba, Ioannes B. Corradus, Thomas Buoninsegni, Marcellus Crasso, Ioannes de la Cruz, Samuel de Lublino, Paulus Bianchi, Petrus Du Fay, Nicolaus Moscicensis, Michael Zanardi, Ioannes P. Nazarius[39], Ludovicus P. Loth, Mauritius de Gregorio, Vincentius Candido, Petrus de Tapia, Acatius March, Ioannes Martinez de Pardo, Iulius Mercorus[40], Franciscus Lopez de Texeda[41], Ludovicus Bancel[42]. Vincentius Baron, Ludovicus Minutolo, Raymundus Capisucchi sicut et Natalis Alexandre[43], Thomas Madalena, Daniel Concina, Vincentius Mas[44], Iosephus Bono probabilismum agitaverunt. De re morali practica etiam Philippus Grossi, Nicolaus Cönen, Martinus Wigandt, Franciscus Larraga[45], Vincentius Ferrer, Marianus Navases, Fulgentius Cuniliati, Ioannes V. Patuzzi, Petrus Stacher. Faustinus M. Scarpazza[46], Ulricus Reiss[47] bene scripserunt.

Theologia controversiarum et polemica haec aetate contra novatores religiosos saeculi XVI, contra Iansenismum, contra Gallicanismum, contra Illuminatismum, contra systemata varia in theologia catholica campum latum aperuit, in quo nostri strenue se gesserunt. Ordinis Praedicatorum et laudi tribuitur Melchiorem Cano consummatum theologum acumine et latinitate excellentem produxisse, qui De locis theologicis libros duodecim 1563 et saepius edens (libris 13. et 14. non sequentibus), de methodo, argumentatione ac profectu theologicae scientiae et rei apologeticae prorsus ingentia merita sibi comparavit[48]. Bartholomaeus Carranza similem quamdam ideam licet non ita excultam in sua Summa omnium concilio-

rum et in controversiis de traditione, sacra scriptura, Romano Pontifice, concilio prosequebatur[49].

Dum Paulus Grysaldus decisiones catholicae fidei apologetica intentione collegit, Ioannes Nazarius et Ioannes Baptista de auctoritate patrum ac doctorum disseruerunt, Dominico Gravina in suis Catholicis praescriptionibus theoriam locorum excolente[50].

Postea materiam doctrinalem de auctoritate Romani Pontificis amplo apparatu, Gallicanis non ita accepto, Ioannes Thomas de Rocaberti[51] et de conciliis historico modo Vincentius Orsini praesentarunt[52]. Antoninus Valsecchi († 1791) apologetis maioribus sui temporis annumeratur[53].

Catecheticae expositioni fidei Livinius Bondius, Ioannes Dietenberger praeclarus interpres veritatum Ecclesiae et sacri textus, Dominicus de Soto, Hieronymus Panormitanus, Bartholomaeus Carranza qui ob hoc suum opus incriminationes incredibiles sustinuit, Alexius Figliucci, curatores dominiciani catechismi Romani, Bartholomaeus de Martyribus[54], Petrus de Tapia studuerunt. Catechistae missionum[56] hic omittantur. Raymundus Bruns († 1780) catechismum celebrem pro missione borussica saepissime editum publicavit[55].

Patrum studio innotescunt Antonius Dufour, Zenobius Acciaioli. Cyprianus Benetus, Ioannes Antonianus e Geldria, Ioannes Nicolai[56] et famosi Franciscus Combefis († 1679) cui necessitudo cum eruditis aevi sui familiaris erat quique graecos patres scriptoresque edidit, historiam Monotheletarum et bibliothecam patrum concionatoriam conflavit [57], Ioannes Michael Wansleb litteris patristicis et orientalibus notus († extra ordinem 1681)[58], Michael Lequien († 1733) qui S. Ioannis Damasceni opera universa collegit, aliaque patristica praelo mandavit, Orientem christianum in quatuor patriarchatus digestum velut opus posthumum reliquit, quod anno 1740 prodiit[59]. Liturgicae rei studebant e nostris plures, qui ritus missae contra novatores religiosos saeculi XVI defendebant[60]. Albertus Castellani in suo usitatissimo « Sacerdotali »[61], alii dein qui dominicianae liturgiae prospiciebant ut Angelus Bettini, Ioannes de Palentia[62], Paulus Castrucci, Thomas Malvenda, Ignatius Ciantes[63]. Marcellus Cavalieri († 1705), cui Statera sacra missam iuxta ritum ordinis Praedicatorum practice, historice et mystice expendens ac L'ecclesiastico in coro debentur[64], doctissimus Iacobus Goar († 1652) de graeca liturgia[65], dum Vincentius Fassini († 1787) eruditissime de

priscorum christianorum synaxibus[66] et Augustinus Krazer († 1811), publicans indagationes ut anno 1786 de apostolicis et antiquis ecclesiae occidentalis liturgiis[67], disseruerunt.

De theoria sacrae eloquentiae Didacus Alvarez (manuale concionatorum) Mauritius de Gregorio, Michael Zanardi, Vincentius Seiglier (eloqu. christ.), Iacobus a S. Dominico, Iacobus Louvet (eloqu. christ.), Andreas La Fée, Raphael Filamondi (Theo-Rhetoricae idea) Natalis Alexandre (institutio concionat. tripartita)[68], Cherubinus Ucci (s. eloqu. a profitto de' novizzi)[69] tractarunt, dum materiam praedicabilem vel sermones scripto ediderunt aut reliquerunt Itali Ioachim Papiensis, Ioannes B. Theatinus, Antonius de Brixia, Vincentius Niffus, Antonius Beccaria, insuper alii ut Sixtus de Vicedomini, Seraphinus Razzi[70], Innocentius Cibò, Hieronymus Fazellus, Raymundus Capisucchi, Iosephus Ricciardi, Innocentius Pencini, Vincentius Sassetti, Alphonsus Bocconi[71], Franciscus Fracassi, Iosephus Perazzo, Iosephus Riotta, Daniel Concina, Antoninus Valsecchi[72], Hispani vero Balthasar Sorio, Thomas Dacosta, Alphonsus de Cabrera, Ludovicus Granatensis, Thomas de Truxillo Antonius Caceres[73], Hyacinthus Vallejo, Thomas Ramon, Thomas Malvenda, Raymundus Casaus[74], Lusitani Ignatius de Coutinho, Emmanuel Guilherme, Petrus Monteiro[75], Galli Guillelmus Pepin, Petrus Divolé, Petrus de la Coste, Ioannes Monluc, Ioannes Breton, Sebastianus Michaelis, Ioannes Rechac[76], Basilius Vivin, Petrus Blandin, Franciscus Combefis, Hyacinthus Chalvet[77], Belgae et Hollandi Ioannes Roosen, Paulus Coye, Petrus de Bakere, Aegidius Topiarius[78], Nicolaus Deyss, Iacobus Féjacq[79], Germani et Austriaci Matthias Sittardus, Ioannes Dedinger, Ioannes Freylinck, Ioannes Braumiller[80], Antoninus Eysenbarth, Benignus Reiss[81], Henricus Kontzen, Albertus Steffan, Franciscus Poschinger[82], Bohemus Raphael de Laminetz[83], Poloni Lucas Leopoliensis, Iustinus Miechoviensis, Fabianus Birkowski[84], Dalmata Clements Araneus[85]. Pietatem autem[86] varie scripto et commendabant et dirigebant in Italia Isidorus de Isolani (Summa de S. Ioseph), Albertus Castellanus (de rosario), Petrus M. Moralli (de frequenti commun.), Bartholomaeus ab Angelo, Hieronymus Ioanninus, Gregorius Lombardellus, Ignatius del Nente uberrimus scriptor, Ioannes Spinola[87], Ignatius Bertini (theol. myst.), Benedictus Bovio, Antonius de Lorea, Basilius Ferri, Albertus Pongratz (de confraternitatibus)[88], qui nos ad Germanos iam ducit, inter quos Bernardus de Luxemburgo, Ioannes Cop-

penstein[89], Hyacinthus Ferler, Antoninus Eysenbarth, Ulricus Reiss[90],, Henricus Preissig[91], Conradus Brockhausen[92] nominandi.

E partibus belgicis et neerlandicis Cornelius de Snek (de rosario), Ioannes Baerlenus (de vita spirit.), Petrus de Bakere, Ioannes Nys, Guillelmus van Onsel, Vincentius Hensberg, Vincentius Willart[93], Franciscus Deurwerders, Antonius Barbieux, Petrus Dierkens[94], Ludovicus Meyere[95] citentur.

Galli Spiritum Rotier, Petrum Doré, Ioannes Bernard, Nicolaum Coeffeteau, Petrum Girardel, Carolum Rousell, Antonium Lequieu[96], Ludovicum Chardon, Alexandrum Piny, Antoninum Massoulié qui tres in doctrina de oratione et mystica maioris momenti sunt[97], Aegidium de Lallaing, Antonium Chesnois, Ioannes Feuillet[98], Ioannem Franciscum Billecoq[99], habere praecipue gloriantur. Tandem Hispani praesentantur Antonius de la Pena, Alphonsus Venero, Augustinus de Esbarroya, Ioannes Micon[100], Iacobus Bleda, Thomas Ramon, Ludovicus Granatensis summi fructus magister spiritus[101], Ioannes a S. Thoma (de donis Spiritus sancti), Thomas de Valgornera, Franciscus de Posadas, Iacobus Baron (curs. myst.)[102], Iosephus Fulla[103], Lusitani praecipue Bartholomaeum de Martyribus, Stephanum de Sambayo, Ignatium de Coutinho[104] ostendunt.

Historiae ecclesiasticae campum Alphonsus Hojeda, (chronicon eccles.), Guillelmus Parvi indefessus scholasticorum et antiquorum editor, Ioannes a Cruce, Alphonsus Fernandez (hist. eccl. sui aevi, hist. Rosarii 4 t. 1613/27, hist. inquisitionis), Alphonsus Ciaconius (vitae et res gestae Rom. Pontific, et cardinalium t. 1 1601, ed. notissima tertia curis Augustini Oldoini 1677 in t. 4 publicata), Hieronymus Pollini, Alphonsus Maldonado, qui tamen sui ingentis operis chronici universalis nonnisi primum volumen prodire vidit, Abraham Bzovius annalium Baronii continuator ac biographus aestimatus coluerunt[105]. Specialium partium ecclesiasticarum et nationum historiographi exstiterunt praecipue Vincentius Pribevo (de Slavius), Iacobus Plaisant (de hist. eccl. Tungrensium), Didacus de Castilho et Angelus Calepius de bellis Turcarum in mediterraneo. Thomas Fazellus de gestis ecclesiasticis Siciliae diligenter scripsit, Hieronymus Sambiasi de familiis Cosentinis, Raymundus Nanni de fatis italicis, Dominicus Codagli de actis publicis Venetorum, Stephanus de Lusignan de rebus Cypri et Armeniae ac de genealogia principum, Simon Okolski de orbe Polono[106], Ludovicus Cacegas et Iosephus de

Texera in genealogia Lusitanorum excelluerunt, Franciscus Diago in explicandis gestis Aragoniae, Ioannes Marieta in hispanica historia ecclesiastica, Ioannes de la Puente velut historiographus regis catholici. Albertus Le Grand biographias et Augustinus Du Paz Britanniae minoris genealogiam praebuerunt[107].

Manuale historiae ecclesiasticae duobus voluminibus contentum Nicolaus La Febvre († 1653)[108] compilavit, a clarissimis et amplissimis historiographis ecclesiae et Natali Alexandre († 1724), qui in ordinis litteras[109] valde influxit et Iosepho Orsi († 1761) auctus cuius 21 volumina Storia ecclesiastica 1747/1762 prodierunt, partim a Philippo Becchetti († 1814) publicata et partim producta, dum Iulianus Sainz ea hispanice vertit[110] .Particularia studia de materia eadem Ioannes Benoist (hist. des Albigeois)[111], Thomas M. Alfani (†1742 de annis sanctis)[112], Ambrosius Burgis[113] instituerunt, dum civilem seu patriam potius historiam Thomas Mazza (de gotis)[114], Lucas de S. Catharina, Iosephus Teixidor, Rochus Curti, Vincentius Fineschi († 1803), Dominicus Federici († 1808) illustrarunt[115].

De antiquitate tum profana tum sacra et artibus indagarunt Ignatius Danti, Alphonsus Ciaconius, Mauritius de Gregorio, Ioannes Nicolai[116], Castus Ansaldi, Vincentius Fassini, Thomas Mamachi († 1791)[117] et praestantissimus Iosephus Allegranza (1783)[118] inter aevi sui eruditissimos numeratus.

Bibliographi e nostris Zenobius Acciaioli († 1520) per Leonem X ad Vaticanam librariam adscitus[119], Guillelmus Carnifex (Vleeschhouwer) et Ioannes Bunderius (Van den Bunderen) Belgae notissimi[120], Alphonsus Ciacconius[121], Dominicus d'Inguimbert († 1757) inter bibliothecarios pontificios adscriptus[122], notentur.

Tamquam expositores et peritissimi in litteris hebraicis, graecis, latinis et sacris et profanis, tuscicis antiquis et italicis famam insignem habuerunt Petrus Lavinius, Zenobius Acciaioli[123], Ioannes Cuen (de Cono)[124], Hieronymus Balbus, Paulus Turchius, Raymundus Gossin, Guillelmus Hammer, Augustinus Iustiniani, Alexius Figliucci, Mathaeus Bandello, Augustinus Vannini,qui aetate 28 annorum multa promittens postque primas editiones obiit, Franciscus Donatus, qui de lingua hebraica scriptis clarus missiones orientales petiit, Henricus Scalesius a Pimonte[125], Petrus Angles, Ioachim Majo, Bonifacius Finetti († 1782)[126]. Adde exegetas, patrologos, poetas, historiographos haud paucos.

Scribendo genus imaginativum satis et liberum et Franciscus Colonna († 1527) in suo Hypnerotomachia Poliphili (Sogno di Polifilo) ubi humana omnia non nisi somnium esse docet[127] et episcopus Matthaeus Bandello[128] prosequebantur.

Litterae missiologicae de Americis imprimis per Bartholomaeum de las Casas augebantur, qui praeter folia et scripta minora, defensiones Indorum ac notitias illam historiam generalem Indiarum 1561 3 voluminibus complevit[129]. In gratiam Indorum et Iulianus Garces coram Papa scriptis intercessit. Historiam Indorum Reginaldus de Lizarraga et Gregorius Garcia, mores autem in bello et pace Thomas Ortiz ac Thomas de S. Martino descripserunt[130], dum Vincentius Valverde bella Pizzari atque Almagri et Ioanes Tertre historiam generalem Antillarum notarunt[131], provinciarum ordinis in Indiis chronicariis etiam capita huc spectantia habentibus. Pro Americana indigenarum lingua generali Quichua dicta vocabularium ac tractatum Dominicus a S. Thoma († 1560)[132] curavit, dum linguam zapoteca Petrus de Corduba, Petrus de Feria, linguam misteca Dominicus a S. Maria, linguam caraibicam Raymundus Breton illustrarunt[133]. Si Ioannes Ramirez catechismum in lingua mexicana vernacula composuit, Hieronymus de Loaysa archiepiscopus Limanus statuta pro xenodochio indigenarum S. Annae dedit, Alphonsus de Norena regimen spirituale Indorum delineavit[134], aliis suis modis conversioni et instructioni indigenarum etiam scripto instantibus.

Descriptiones geographicae Ioannis B. Labat et Americam et Hispaniam Italiamque et Africam occidentalem comprehendunt[135], dum Ioannes dos Santos in sua Aethiopia orientali de missionibus Africae australis et Indiarum orientalium narrat[136]. Circa res in Solor et Flores idem sicut et Michael Rangel, Antonius ab Incarnatione[137], Antonius a Visitatione[138] ceterique Lusitani nostri loquuntur. Gabriel a S. Antonio iter per orbem actum et plura de terra Camboja scripto suo servavit[139].

De oriente Europae proximiore sub missiologico respectu legendi sunt Hyacinthus Subiano, Paulus Piromalli qui et de vocabulariis armeno et persico bene meruit[140], Dominicus Lanza cuius relatio in Mesopotamiam annis 1753/71 peracti itineris notanda est[141].

Vastissimae provinciae missionariae SS. Rosarii in Philippinis gestas res Carrero, Aduarte, Gonzales, Collantes, S. Cruz, Salazar consignarunt, Michaele Benavides ad Clementem VIII de statu

Novae Segobiae referente. Linguas ibanag Ioannes Iniguez, pangagasinan Castellar et Castillo[142], illam tagala Franciscus Blancas et Theodorus de Quirós, illam Novae Segobiae Caspar Zarfata et Marcus de Saavedra[143], descripserunt.

Didacus Collado, Melchior Manzano, Alphonsus Mena et Hyacinthus Orfanel, Ludovicus Flores particulariter de gloriosis Iaponiae christianorum conversione et missionariorum ac fidelium martyrio scripserunt[144], Hyacintho Esquivel de arte linguarum tanchuy Formosae et iaponicae ac Didaco Collado adminicula pro addiscendo iaponico sermone curantibus[145].

Caspar de Cruce tractatum rerum Sinensium 1570[146] et Victorius Ricci († 1685) annales dominicanos Sinenses[147] composuerunt, relationibus de persecutionibus et martyriis non solum per Franciscum Capillas et Franciscum Serrano, sed et per Petrum Muñoz, Eusebium Oscot, Gonzales de S. Petro, Francisco Pallas aliosque confectis. Catechismum Ioannes B. Morales, Ioachim Royo, pastorales litteras vicarii apostolici, editiones missionarii incessanter publicabant. Grammaticali institutioni Sinensi Benavides, Cobo, Frias, Franciscus Varo[148] et vocabulariis Franciscus Diez, Frias, Iacobus Garcia, Benedictus Martinez operam dederunt, dum in et de negotio rituum Sinensium Collares, Gan, Gregorius Lo, Marron, Ioannes B. Morales, Petrus Muñoz, Dominicus Fernandez Navarrete, Trigueros, Varo, Ioannes Polanco, Dominicus Sarpetri dissertationibus intervenerunt[149]. De partibus Tunquini historiographi Petrus Bustamante, Bartholomaeus Sabuquillo, Ludovicus Espinosa. Emmanuel Esteban, geographus Hieronymus Mora, linguae peritissimus Felicianus Alonso, catechismi compilatores, ut Sabuquillo, bene meruerunt[150].

De doctrina et editionibus canonisticis curarunt Caietanus[151] qui diversis opusculis de votis, indulgentiis, matrimonio, usura, simonia, censuris tractavit, Ambrosius Catharinus ante ordinis ingressum iuris utriusque doctor qui de advocatis, de residentia officiisque episcoporum scripsit, Iacobus Nacchiante (de hierarchia, de matrimon. clandestinis), Remigius Nanni (de beneficiis), Bartholomaeus Carranza (summa concilior. et pontif., de residenta praelatorum), Dominicus de Soto (de iure et iustitia), Hieronymus Vielmius (de episc. titularibus)[152] insuper auctores de inquisitoria re et praxi ut Bernardus Retengo Comensis, Dominicus de Mendoza, Didacus de Deza, Raymundus Gossin, Matthaeus Ory, Camillus

Campegio, Adrianus Valenticus[153], editores corporis iuris canonici mandante Gregorio XIII in quibus Paulus Constabile et Sixtus Fabri magnas partes habebant sicut et antea prope aedem Minervitanam editiones canonisticae fiebant[154], scriptores de S. Officio eiusque procedendi modo[155], curatores editionum Indicis librorum prohibitorum per secretarios Indicis (ut p. de Marini) publicatarum.

Clarissimi canonistae in saeculo XVII fuerunt Lucas Castellini († 1631), qui de electione et confirmatione praelatorum necnon praestantissima de negotio canonizationis disseruit, et Petrus M. Passerini († 1677) qui de electionibus, indulgentiis, processu regularium, de hominum statibus et officiis volumina 3 necnon in sextum decretalium commentarios dedit[156], dum eodem tempore florebant doctus Albertus Zenner, Raymundus Nidi, Franciscus Samuelli, Ioannes Thomas de Rocaberti[157]. Postea saeculo XVIII Caietanus Benitez de Lugo († 1739), Hyacinthus Santorama († 1748), Hermannus Cristianopoli[158], Barnabas Boehmer, Christophorus Boser, Pius Brunquell, Ulricus Reiss[159] nomen inter iuris ecclesiastici peritos obtinuerunt. Ius regularium a Petro M. Festa, Ioanne de Cruce († 1624), Camillo Jasinski, Vincentio Fontana[160], notis defensoribus status religiosi Petro Calvo, Dominico de Molina († 1626), Antonio de Hinojosa, Remigio Scroffa, ab editore bullarii confraternitatum et summarii privilegiorum dominicianorum Antonio Gonzales de Acuña[161], et ab editoribus bullarii ordinis pp. Ripoll et Bremond aliisque tractabatur.

De philosophiae cultu solliciti Caietanus, Petrus Crockart (quaest. physicales), Hieronymus Armellini (comment. in Aristotelem) Michael Saravetius, Isidorus Isolani, Amadeus Meigret, Iacobus Hochstraten (margarita moralis phil.), Vitus Ulpius de Matera, Chrysostomus Javellus, cuius quidem memoria ob notam theologicam Semipelagianismi apud nos obfuscatur, Bartholomaeus Spina noscuntur[162]. Spina tum Caietano tum Pomponatio de immortalitatis animae demonstratione se opposuit. Post eum Thomas Badia, Antonius Marrapha a Martina, Sixtus Senensis, Iacobus Nacchiante (theoremata natur. et metaphys.), Thomas Mercado, Matthias Aquarius citandi sunt. Dum Augustinus de Esbarroya dialecticam iuxta Thomistas Scotistas Nominalistas exposuit[163], Franciscus de Victoria[164]. Dominicus de Soto, Alexander Figliucci[165] philosophia iuris et politica excelluerunt. Sixtus Medices, Dominicus Bañez, Melchior Corrado, Didacus Mas, Cosmas de Lerma, Michael Zanardi, Hyacinthus

Petroni copiose rem philosophicam exposuerunt[166], quam Ioannes a S. Thoma solide, profunde et clare speciali cursu comprehendit[167]. Thomae Campanella curiosa, ingeniosa, inquieta mens de cuiuscumque scibilis speculatione occupabatur[168]. Franciscus Arauxo, Ioannes Martinez de Prado, Hyacinthus de Parra, Nicolus Arnu professor in Urbe et Patavii (clypeus phil. thom.), Raymundus Mailhet (summa phil.) actione doctrinali superantur ab Antonio Goudin, cuius philosophiae tomi 4 in annis 18 ad editiones 10 pervenerunt[169]. In saeculo XVIII clarissimus philosophicus auctor Salvator Roselli exstitit.

Thomas Moniglia professor Pisanus materialismum philosophicum carpebat, dum Thomas Vasco (extra ordinem † 1796) de sociologia, de re oeconomica et agresti disseruit. Iosephus Gonzalez et Froylanus Diaz de Llanos apud Hispanos floruerunt[170]. Thomas Aquinas Jost philosophiam perennem contra illuminatos pressit[171].

Si scientiarum naturalium et affinium disciplinarum cultores considerantur, Ignatius Danti († 1586) Perusinus nomen clarissimum obtinuit, qui miram in mathematica, astronomia, cosmographia, architectonica doctrinam et peritiam nec minorem delineandi et pingendi artem prae se ferebat. Quare et duci Hetruriae, academiae Bononiensi, et deinde Gregorio XIII cuius mandato tractum Vaticani aularum geographicarum scientia et arte sua decoravit, acceptissimus exstitit[172]. In terris describendis scientifico vel visitatorum modo Ferdinandus Ojea (de Gallaecia), Augustinus Bagiensis Armenus (itinerarium in Europam)[173] et missionarii plurimi, Amedeus Agnesi (de geographia biblica)[174] nomen sibi compararunt, dum geologiam Valerius Faventies († 1561) tractavit, Iacobus Barelier et itinerum descriptione et opere Orbis botanici plantarumque cognitus est, Paulo Grysaldo de nervis et universi pulchritudine ac Paulo Minerva de cosmologicis speculantibus[175]. Opticam Amedeus Agnesi[176] coluit. Mathesi excelluerunt Danti, Thomas Maffei, Benedictus del Castrone [177], Ferdinandus Cirillo [178], Hyacinthus Houghton[179], Ioannes B. Audiffredi, qui et in astronomia plerumque versatissimi fuerunt. Physicas leges Ioseph Galien inquisivit qui et de volatu aëreo cogitavit[180]. Chronologiae Ioannes M. de Tolosanis, Didacus Ximenez, Godefridus a Mierlo, Ioannes Urduña, Danti, Franciscus Penon, Gerardus Flander, Thomas Maffei[181], Iosephus Franco[182], horographiae Barnabas Auspergi[183], mechanicis

studiis et elaborationibus Philippus Wycart, Thomas B. Baroni, Hyacinthus Longhi[184], Leopoldus Soldini[185] incumbebant.

Medicales, anatomiae, anthropographicae disciplinae per Hieronymum Mercurium, Danielem Bucretium (Rindfleisch, fr. Ioannes a S. Thoma), Hyacinthum a S. Agatha, Henricum del Gaudio[186], Franciscum Turriani[187] illustrabantur.

§ 74. Historiographia dominicana.

Praeteritum tempus nostrum Ambrosius Taegio († circa annum 1515) Mediolani degens in chronicis amplioribus et brevioribus necnon et opere de insigniis ordinis illustravit[1], quem Leander Alberti libro de illustribus viris[2] ac chronistae Sebastianus de Olmeda[3] et Ioannes a Cruce[4] secuti sunt. In capitulo generali anni 1569 commissum fuit magistro ordinis, ut deputet idoneos patres « qui diligenter colligant ex omnibus partibus ordinis gesta patrum et subinde chronicam magnam conficiant ad totum ordinem pertinentem »[5].

Licet chronica sua Antist et Sittard[6] scripserint, Ferdinandus de Castillo magnam suam historiam ordinis 1584 et 1592 publicaverit[7] et Ioannes Lopez 4 volumina annis 1613/22 de eadem re in lucem emiserit[8], ordo accuratiorem historiographiam postulare non desiit. R.mi pp. Beccaria et Xavierre apparatum pro ampla et fundata rerum gestarum expositione congerere cupierunt[9], quam Thomas Malvenda († 1628) perficere debuit a fratribus copiis litterariis et stipendiis pecuniae adiutus[10]. Post huius mortem **Abrahamo Bzovio** negotium consignandae nostrae historiae frustra quidem impositum est[11], ordinationibus aliis de magis colenda historiographia sequentibus[12].

Interea materiae conspicuae diversis in partibus et publicationibus collectae nova tentamina et excitare et fovere poterant. Etenim ediderunt Seraphinus Razzi opus Vite de santi e beati del s. ordine de' Predicatori 1577 et pluries[13], Michael Piò Vite degli uomini illustri di S. Domenico 1607 (1620), 1613, Ioannes de S. Maria (= Giffre de Réchac) vitas et gesta sanctorum et venerabilium nostrorum 1635[14], Petrus Malpeus († 1645), Alphonsus Fernandez. Vincentius Seiglier disquisitiones suas historicas varias, Dominicus Marchese suum Sagro diario domenicano 1668/79 etiam hispanice versum, Thomas Souèges suique collaboratores opus insigne Année dominicaine 1674/1715[15], Fridericus Steill Ephemerides dominicano

sacras 1691/92[16], insuper Vincentius Fontana Sacrum theatrum dominicanum 1666[17], Ambrosius Altamura bibliothecam dominicanam 1677[18], Ioannes Cavalieri Galleria de' sommi pontefici, patriarchi, arcivescovi et vescovi dell'ordine 1696[19], omnes campum historiae Praedicatorum satis explorantes. At votis ordinis de diligentiore bibliographia Iacobus Quétif († 1698)[20] et Iacobus Echard († 1724)[21] praeclarissime responderunt insigni prorsus opere, quod similes lucubrationes ceterorum ordinum antecellit, cui titulus « Scriptores ordinis Praedicatorum » Lutetiae Parisiorum 1719/21 edito.

Alacritate pari, qua r.mus p. Cloche iam historiae ordinis confectionem intenderat, capitulares generales 1694 congregati hanc rem promovendam moliebantur, ita ut transmissis ad urbem conventuum informationibus magister generalis « virum ex ordine nostro singulari eruditione ac doctrina spectabilem ac in ecclesiastica historia versatissimum destinabit quique annales totius ordinis, ex quibus ordinis honor splendet, praelo maturabit »[22]. At pulcherrima haec proposita adhuc differebantur. Non solum Malvenda, Segura, de Sarabia[23] tractatulos vel dissertationes de dominicana historia sed etiam Touron suos Hommes illustres de l'ordre de S. Dominique 1743/49[24] ediderunt, priusquam materia per p. Bremond aliquatenus praeparata ad universalem historiam[25] curis Thomae Mamachi, collaborantibus Francisco Pollidori, Vincentio Badetti, Hermanno Cristianopoli conscribendam digereretur[26]. Quorum studiorum fructus in volumine Annalium ordinis primo et unico 1756 prodiit. Continuatio annalium scripto, licet non typis, producta fuit, partim postmodum impressa[27].

Provinciarum et conventuum et personarum illustrium historiam conficiendam ordinationes capitulares 1569, 1589, 1600 significabant[28]. Historia provinciae Aragoniae auctore Francisco Diago 1599 exhibita velut exemplum similis operis laudatur, cui et specimina historiae Philippinarum et Hungariae 1647 comparantur[29].

Ditiones hispanicae, lusitana, Indiarum praecipue rerum gestarum consignatione eminent, prout ostendunt tractatus pp. Diago (Aragoniae 1599)[30], Medrano (Hispaniae, 1725)[31], Cacegas[32], Sousa[33], Lucae a S. Catharina († 1740)[34] pro Portugallia, Moguer, Davila Padilla et Franco pro Mexico[35], de la Torre et Remesal pro Guatemala et Chiapa[36], de Zamora pro Novo regno[37], de Quesada (s. XVII) de Quitensi regione[38], de Acuña et Melendez pro Peru[39], de Neyra

pro Bonaerensi parte[40], Carrero, Aduarte, Collantes, S. Cruz, Salazar pro Philippinis[41]. Galli plus biographiis[42] quam monographiis conventuum aut provinciarum praestant, licet non desunt, sicut et Mallet, Mahuet, Percin monumenta ac notas congesserunt[43]. Belgae Coyanum, Seguier, de Jonckheere, de Jonghe historiographoc habent[44], Hiberni O'Heyne et de Burgo[45], Angli[46] Ioannem Martin, Hungari Ferrarium[47]. Monographiae plurimae de germanicis, austriacis, bohemis, hungaricis, polonicis partibus manuscripta plerumque manserunt[48]. Simon Okolski[49] et Clemens Chodykiewicz († 1797) de Russiae provincia tractarunt, dum Seraphinus Cerva († 1759) fastos Ragusaeae congregationis illustravit[50]. In Italia pro partibus Venetiarum, Lombardiae, subalpinis Ravennatensis, Rovetta[51], Ricchini, de Rubeis, Contarini, Villa[52], pro provincia Romana Ravennatensis et Fontana[53], pro meridionalibus rebus pp. Valle de Piperno[55], Milante, Van Dyck[56] legendi occurrunt.

E hagiographia et biographia vitae S. Ludovici Bertrandi auctore Vincentio Justiniano Antist[57], S. Rosae Limanae auctore Leonardo Hansen[58], S. Dominici et Aquinatis auctore Antonio Touron[59], S. Thomae auctore de Rubeis[60] memorentur. Deinde et biographicae industriae Didaci Mas, Vincentii Iustiniani, Abrahae Bzovii, Bernardini Gauslino[61], Dominici Ponsi, Francisci Vidal y Micó[62] afferendae sunt.

De curandis editionibus quae singulorum fratrum conatus et vires excederent ordo semper prospexit. Sub Pio V operum doctoris angelici collectio prima completa curis Thomae de Manrique sociorumque per 17 volumina distributa prodiit[63]. B. Alberti Magni opera, provinciali Teutoniae anno 1629 edenda imposita, nonnisi post instantias ordinis aliis consiliis librariis iunctas curante Petro Jammy Lugduni 1650 luci data sunt[64]. Dum compilatio actorum generalium capitulorum ab anno 1569 expetita desiderium ordinis hac aetate inane mansit nisi collectionem p. Fontana pro satisfactione agnoscas[65], editionem bullarii 1729/40 pp. Ripoll et Bremond ex copiis plerumque et non ex originalibus ipsis pararunt[66]. Cardinalis de Boxadors postea pro suo in fratres favore bullas cunctas ex Vaticano archivo propriis expensis describendas curavit[67]. Totalis bullarii ordinis exhibitio adhuc exspectanda est, sicut et commissiones annorum 1748 et 1777[68] de actis sanctorum, de annalium prosecutione, de nova editione operum S. Thomae ad veritatem praecipue codicum Romanorum et Neapolitanorum aut temporum iniuria frustrabantur aut aliam exsecutionem inveniebantur.

c) VITA ET ACTIO APOSTOLICA.

§ 75. Ratio praedicationis et ministerii sacri.

Incessanti industria ad aedificationem, instructionem, roborationem fidelium fratres Praedicatores verbum Dei proponebant. In ecclesiis propriis conventualibus saepe digniores concionatores per annum praedicabant[1]. Insuper actio extraordinaria praedicandi saeculo XVI maxime erat tum expositio ac defensio fidei contra novatores religiosos tum labor missionis exterae, qui per saecula sequentia durabat.

Quoad examen a patribus ad praedicandum exponendis coram particulari coetu in qualibet provincia peragendum constitutio anno 1518 confirmata clare loquitur[2], dum anno 1612 magistro ordinis commissum est « ut pro sua prudentia ordinare velit, ut in singulis provinciis in quibus commode observari poterit, instituatur unus ex praecipuis conventibus pro instruendis fratribus in officio praedicationis. In quo conventu semper vigeat lectio sacrae scripturae et moralis theologiae in quo assignantur fratres ex sua vel aliena provincia, de scitu tamen et consensu reverendissimi magistri ordinis qui sunt insignes in officio praedicationis ut possint studentes de modo praedicandi ac conciones componendi instruere et non mittant ad eos conventus, nisi fratres quos invenerunt idoneos ad officium praedicationis laudabiliter exercendum »[3].

Dignitas praedicatoris generalis anno 1518 recognita est et nova conditione pro adipiscendo gradu aucta[4]. Praedicatorum generalium numerus pro singulis provinciis concessus in capitulo Romano 1589 determinabatur[5]. Honos praedicatorum generalium etiam missionariis largiebatur. Ita inveniuntur anno 1650 e. g. praedicatores generales titulo linguarum mistecae, mexicanae, chonchonae[6]. Ordinatio autem de praedicatura generali pro illis fratribus 1641 edicta qui per decennium idiomate Sinarum in xenodochio S. Gabrielis Manilensi ministrarunt, ad instantiam provinciae Philippinarum anno 1650 cassata est, cum fratres Philippinarum sint «contenti solo bravio quod summus martyrum agontheta Christus suis in evangelici apostolatus stadio currentibus praeparavit »[7].

Saeculis XVII et XVIII sub influxu S. Vincentii de Paula missiones sacrae ad fideles haberi coeperunt, quibus praeter Lazaristas et Iesuitae, Capuccini, Oratoriani, filii S. Ioannis Eudes, B. Lu-

dovici M. Grignon de Montfort, S. Alphonsi de Liguori operam navabant[8]. E nostris — quod valde notandum est — fratres congregationis SS. Sacramenti, anno 1635 fundatae, apostolatui pauperum et rudium per campos et parva loca insudabant[9]. Mox ubique missionarii ferventes e phalange S. Dominici operi missionario fidelium se devovebant, Papis thesaurum Ecclesiae in favorem harum missionum aperientibus[10]. Romae 1677 capitulares generales vestigiis capitularium anni 1670 inhaerentes, hanc admonitionem dederunt: « Cum maxime ad salutem populorum conducat sanctae missionis exercitium, mandamus omnibus et singulis provinciarum praesidentibus, ut de consilio discretorum aliquos patres tum zelo et religione tum doctrina et dono praedicationis prastantes seligantur et deputentur pro missionibus non tamen exire possint a suis provinciis nisi ultra licentiam ordinis habeant consensum et approbationem illustrissimi et reverendissimi domini episcopi cuiuslibet dioecesis in qua ad huiusmodi opus mittuntur. Qui ad tale ministerium apostolicum fuerint assumpti solum Dei gloriam et animarum salutem prae oculis habentes.. per civitates et castella contra saeculi vitia praedicantes ac Dei verbum ex animo evangelizantes non immerito praedicatorum nomen sibi vindicare videantur »[11]. Anno 1686 pensandis verbis r.mus p. Cloche noviter electus ordinem allocutus est dicens: « Plantemus primum ordinis nostri institutum circa praedicationes et missiones, ex quarum neglectu immutata est religionis facies et decor emarcuit totque pereunt animae quarum, timeo, ne sanguinem requirat de manu nostra Omnipotens, qui segregavit nos et in nobis posuit verbum reconciliationis ut pro Christo legatione fungeremur et tamquam Deo exhortante per nos, homines ad veritatis agnitionem et Christo reconciliandos adduceremus. Unde praedicationis spiritum, qui in paucis vere S. P. N. Dominici filiis adhuc vivit quantum ex alto dabitur suscitare conabimur et missionum munus atque exercitia promovere omnibus quibus poterimus modis: orationibus, obsecrationibus, adhortationibus, gratiis, beneficiis, privilegiis etiam a Summo Pontifice obtinendis, ne in dedecus gentis nostrae nobis exprobretur ultra, quod sumus solo nomine praedicatores »[12].

Gloriosi coetus praeclariorum ecclesiastarum optime ostendunt fratres Praedicatores hac aetate currente professioni et nomini suo stetisse. Lectores a praedicando certis temporibus arcebantur, ne scholae detrimentum paterentur[13].

Paroeciae saepius per provincias ordinis accipiebantur quam in medio aevo[14]. Res interdum in capitulo generali denuntiata est ut anno 1513: « Acceptamus in provincia Saxoniae incorporationem et donationem paroeciae Leuthenbergensis Maguntinensis diocesis factas per.. archiepiscopum Maguntinum et generosum dominum comitem Balthasarem de Schwarzberg conventui Leuthenbergensi»[15]. Exemplum docti ferventis et fructiferi parochi ex ordine Praedicatorum S. Ioannes de Colonia in pago Hornariensi apud Hollandos dedit. Saeculo XVIII Philippus Baldinucci Florentiae « paroeciam S. Marci annis ipsis 50 incredibili constantia, fide, misericordia in pauperes administravit »[16].

Praedicatoris officium alii patres in servitio studentium[17] vel militum[18] apud exteras regiones exsecuti sunt. Missionariorum strenuus labor particulari consideratione ponderabitur.

§ 76. Praedicatores celebriores.

Copiosa et diserta series prima Italorum formatur Dominico de Cremona[1], Hieronymo Monopolitano[2], Ioanne B. Theatino Thoma Radino, Vincentio Mainardi, Thoma Caiani in dicendo praestantissimo, Bartholomaeo Mortari[3], Vincentio Niffo, Antonio Beccaria, Marco Cattaneo celeberrimo concionatore, Hieronymo Tarvisano, Thoma et Hieronymo Fazello[4], Ambrosio Salvo de Balneolo[5], Alexio Figliucci dicendi peritia et puritate excellenti[6], Mauro Arrighetti, Antonio Iustiniani, Gregorio Primidazzi, Antonio Stabili, Sixto de Vicedomini, Dionysio Martini Lucensi[7]. Innocentio Cibò Ghisio famosissimo, Thoma Carafa, Reginaldo Sgambati ecclesiaste omni ex parte absoluto[8], Timotheo Ricci qui aliquando 30000 homines Bononiae in platea allocutus est[9], Nicolao Ridolfi[10], Nicolao Riccardi (p. Mostro), qui italice et hispanice aeque ac Marcus Pini praedicabat[11].

Alii ut Vincentius Cangiano, Ioannes B. de Martinengo, Hippolytus Tagliapietra, fructuosi ac venerandi missionarii Basilius Pica[12], Andreas de S. Severino, Iosephus Carli, Antonius Tacchetti, Dominicus M. Ricci[13], Ludovicus Calco[14], Dominicus Longo[15], Ludovicus Agudi, Nicolaus Lepori, qui ab Italiae et Austriae principibus libenter audiebatur, Antonius de Lorea, Alphonsus Bocconi, Vincentius Sassetti, Ioannes Perazzo, Iosephus Riotta, Bernardinus Faso[16], fervens Ambrosius Palmeri[17], egregius Daniel Con-

cina[18], doctus Iosephus B. Zuandelli peritissimus Antonius Valsecchi[19] elenchum magnorum praeconum sacrorum augent et complent. Praedicatio Italorum maxime in quadragesimis consistebat, sed etiam missiones inter fideles saepe ab eorum viris zelantioribus suscipiebantur. Provincia Lombardiae anno 1751 quadragesimalistas 23 pro ecclesiis propriis et 7 pro exteris ecclesiis et velut concionatores per annum fratres 27 destinabat[20].

Ad Italiae sermocinationem addantur praedicationes vel coram Summo Pontifice aut illae pro Iudaeis in Urbe factae. Si Nicolaus de Schönberg coram Iulio II varie conciones dicebat, Ambrosius Brandi apostolici palatii praedicator ordinarius per Clementem VIII renuntiatus est, dum Raymundus Capisucchi orationes sacras in palatio apostolico pro munere magistri S. Palatii et praeter hoc munus frequenter et eloquenter habebat[21].

Institutum Iudaeis Romae degentibus verbum salutis proponendi ab anno 1557 Dominicanis creditum est[22]. Iosephus M. Ciantes sub Urbano VIII per annos 14 huic officio non sine conversionum successu obtento vacavit[23]. Laurentius Virgulti in eadem parte annos 21 fructuosissime impendit († 1735)[24].

Sacro verbo praedicationis Hispanias aedificabant et erudiebant Didacus Victoriensis[25], Balthasar Sorio[26], Petrus de Contreras[27], Onufrius Clemens, Ludovicus Granatensis venerabilis ac celebratissimus orator, Franciscus de Bovadilla, Petrus M. Coma[28] eximii Thomas de Truxillo, Alphonsus de Cabrera, Augustinus Salucio[29]. Sermonis laude et Hieronymus Xavierre[30], Franciscus de Vega[31], Ildefonsus Giron, famosus Antonius de Carceres, fervens Ioannes de Mata, Hyacinthus Vallejo, Thomas Ramon, ardens Gundisalvus de Arriaga, Christophorus de Torres, Andreas Ferrer de Valdecebro[32] excellebant.

Petrus Ulloa qui patriam, Americam, insulas Canarienses praedicando circumcursavit, Thomas Carbonel, Thomas Relux, Ioannes Malfaz clarum nomen concionatorum sortiebantur[33], dum Franciscus de Posadas non solum fructum animarum collegit sed et reformationes modi sermocinandi per Baeticas partes effecit[34], in quibus post eum Didacus Benitius tamquam missionarius notus est[35]. Franciscus Lassus de la Vega summa fidelium utilitate verbum Dei proposuit[36]. Zelantissimus autem Antonius Garces missionarius id per Aragoniam praestitit, quod Posadas in Baeticis perfecerat[37].

In America strenui et eloquentes missionarii praedicationi indefesse incumbebant. Venerandus ille Andreas del Valle praedicatoris generalis titulum actione sua meruit[38], dum Ioannes Ochoa in partibus Oaxacensibus «magnus evangelicae praedicationis apud Indos minister», quorum linguam peroptime callebat, vocatus est[39]. Et Iosephus Calderon, Lupus de Cuellar, Franciscus Sarabia indigenarum sermone veritates salutis sancte et fervide pandebant[40]. Per regionem Peruvianam Vincentius Bernedo, Bartholomaeus Martinez, Antonius de Peñaranda praedicatione fulgebant et laborabant[41]. Mexici anno 1801 Raymundus Casaus Hispanus natu obiit, cuius nomen apud homileticos honoratur[42]. In Philippinis atque in extremo oriente et plurimi fratres provinciae ss. Rosarii sicut et plures Lusitani colonis Hispanis, Lusitanis, indigenis, Malaiis, Sinensibus, Iaponensibus non solum ardore, verum et studiose Christum commendabant[43].

Inter Lusitanos oratores sacros Antonius de Sande[44], Thomas Sousa, famosissimus Thomas Dacosta, Hieronymus Pereryra, Nicolaus Diaz, Antonius Feo, Ignatius Coutinho[45], Ferdinandus ab Incarnatione[46], Emmanuel Guilherme[47], Petrus Monteyro[48], Iosephus a Iesu et Maria[49] eminent.

Galli eloquentes et ferventes hos concionatores notiores possidebant Guillelmum Pepin, Petrum Divolé Iacobum Fourré, Ioannem Monluc, Ioannem Falvel, Petrum de la Coste, Ioannem Breton, qui magnas Galliae partes fidei catholicae servavit[50], Robertum Gueilin, Ioannem Meningand, Hyacinthum d'Argombat, qui praedicatione vere fulgebat, Ioannem Rechac, Petrum Blandin, Simonem Baspin[51], Franciscum Casalas, Iacobum Louvet qui ad eruditionem eximiam facundiae probatissimae donum iunxit, Marcum Doufrère, Hyacinthum Charpignon[52]. E congregatione SS. Sacramenti praedicatio missionum inter fideles maxime vigebat, dum vere sermocinatores apostolici et missionarii erant quoque Antonius Mazenod, Carolus Ducos, Vincentius Ratier, Franciscus Mespolié[53]. Saeculo XVIII sacri oratores Franciscus Cauchemer[54], Iacobus Féjacq[55] et Ludovicus Renaud[56] inclaruerunt.

In Hibernia et Anglia quidem labor praedicandi fratrum semper continuabatur, at historia sacrae eloquentiae dominicanae pro illis terris adhuc excolenda videtur. Dum Angli fratres saeculi XVI contra errores schismaticos et haereticos veritatem catholicam asserebant[57], saeculo XVIII praedicatores generales plures[58] cum illo

Ioanne Martin, anno 1758 per annos 60 missionario apostolico[59], de fructu sacri sermonis propositi per fratres Praedicatores testimonium dant.

E provincia Germaniae inferioris praeter Cornelium van Snek[60] solemniores praedicantes Pipinus Roosen cuius auditorium in templis contineri nequiens in plateis se congregabat, Ioannes Vanderhaghen, Aegidius Topiarius, Paulus Coye, Godefridus a Mierlo, Petrus de Bakere, Hyacinthus Frederix, Raymundus de Hezecques, Ioannes d'Aubermont[61], Nicolas Deys[62] nomen habebant. Zelo animarum etiam pp. Druve et de Clacys ardebant[63].

Praedicatores germanici aliqui primum indulgentiis commendandis ut Ioannes Tetzel[64] et postea vi summa contra novatores protestantes insudabant tum clarissimi oratores Augustinus de Getelen, Antonius Pirata, Matthias Sittard[65] tum concionatores boni et efficaces quibus Ioannes Mensing, Petrus Rauch, Ioannes Host, Ambrosius Storch (Pelargus), Ioannes Fabri (de Heilbronn), Ioannes Faber (Augustanus) accensendi sunt[66]. Ioannes A. Coppenstein, Ioannes Freylinck[67], Eustachius Eisenhut[68], Ioannes Studer, Leonardus Leo[69], Henricus Kontzen, Albertus Steffan[70], Aegidius Göbl, Antoninus Eysenbart[71], in Germania (saeculo XVII et XVIII) eodemque tempore in Austria Ioannes Dedinger[72], Ioannes Braumiller Thomas Buccelleni[73], Franciscus Poschinger[74] innotuerunt. Inter Bohemos Raphael de Laminetz[75] amplum verbi Dei praeconem se ostendit, dum Poloni suae linguae concionatores meliores venerantur e nostris Lucam Leopoliensem, Melchiorem Moscicensem, Cyprianum Sredinensem, Severinum Lubomlium (et Roxolanum, Ruthenum vocatum), Abraham Bzovium[76], Antoninum de Premislia[77], Valerianum Litranidem[78], Fabianum Bizkowski, Iustinum Miechoviensem[79], Raymundum Jezierski[80], Clementem Chodykiewicz[81]. Dalmatae suis magnis ecclesiastibus Clementem Araneum iure adscribunt[82].

§ 77. Pugna contra haereses. Cura catholicorum in Europa septentrionali

Concessis certissime abusibus administrationis et depravatione morum in pluribus clericis, quibus Ecclesia exeuntis medii aevi gravabatur, concessis iterum et litterarum humaniorum saepe infrenata impiaque sagacitate et magnorum plebis coetuum socialibus conditionibus indignis, per quas omnes dispositiones animi plurimo-

rum a viva fide facile evelli poterant, Protestantismus ansam suae originis ex praedicatione indulgentiae iis largitae repetiit, qui ad basilicam S. Petri de Urbe aedificandam tribuerent[1]. Ioannes Tetzel, qui antea iam e praedicatoribus indulgentiae fuit, ab anno 1516 pro scopo Petriano tamquam subcommissarius Ioannis Arcimboldi apparet. Dum in oppido Jueterbogensi concionabatur e populo Saxoniae, ubi huiusmodi sermones prohibiti erant, ad audiendum Tetzel multi accedebant.

Quod quidem Martino Luther, a fidei puritate iam alieno, causa erat de hac re disputandi. Die 31 octobris 1517 theses 95 de virtute indulgentiae et ad ecclesiam castri Wittenbergensis affixit et archiepiscopo Moguntino transmisit, qui eas Romam nuntiavit. Thesibus avide per terras lectis Ioannes Tetzel per alias theses a professore Conrado Wimpina exaratas coram universitate Francofurtana ad Oderam publice respondit. Dum Luther sermone Tetzelio replicavit, Tetzel scripto instabat, quo velut versatus theologus latitudinem incriminationum in rem catholicam detexit, nempe et reiectionis auctoritatis S. Sedis atque operum satisfactoriorum et detractionis fidei quae praedicatoribus ac doctoribus praestanda est et interpretationis arbitrariae sacrae scripturae. Si in his doctrinis eruendis perspicacem se ostendit, in re indulgentiarum fatentibus quoque confratribus excesserat, etsi minus quam alii praedicatores indulgentiarum. Lipsiae 1519 obiit, maiore quodam nomine in historia ex collisione cum Luthero auctus quam actio eius meruisset[2].

Interea Dominicani Saxones de Lutherano periculo curiam Romanam monebant[3], quae pro more satis rem protrahebat. Magister S. Palatii quidem Silvester Mazzolini Prierias post studium suum thesium Wittenbergensium fundamenta quatuor catholica publicavit de Ecclesia, de potestate Papae, de infallibilitate ecclesiastica, de charactere haereticali insurrectionis in doctrinas Ecclesiae vel definitas vel vigentes[4]. Luthero Romam citato sed venire recusante, praecipitante nunc evolutione huius gravissimi negotii potestas de Luthero iudicando facta est cardinali Caietano, tunc in Germania legato pro obtinendo subsidio contra Turcas. Diebus 12, 13, 14 octobris 1518 colloquia Caietani et Lutheri in civitate Augustana habebantur, e qua mox Luther obstinatus aufugit et Caietanus in omni re legationis frustratus discessit. Romae deinde commissioni de causa Lutherana adscriptus est[5]. Post reprobationem doctrinarum novarum anno 1520 in bulla « Exsurge Domine » ab Ecclesia edictam, fra-

tres Praedicatores strenue verbo et scripto errores deplorandos oppugnare vel exstinguere continuabant a capitulis generalibus Vallisoletano 1523, Romanis 1525 et 1530, Lugdunensi 1536, a magistro ordinis Ferrariensi ab anno 1525[6] huiusque successoribus animati. Si contra contagionis periculosae umbram haereseos vel gentilium vel politiorum scriptorum ut Erasmi, ob cuius famam dubiam neque eius libri anno 1569 haberi permittebantur[7], ordo fratres suos cautos et immunes esse voluit, et in Christi visceribus 1574 adhortatus est omnes in provinciis «ubi misera haeresum pestis grassatur, ut animadvertant, quam grandis sibi sit tributa occasio aeternae gloriae coronam comparandi, veros et non degeneres Dei et divi patris Dominici filios se manifestent et canes Christi ovilis vigiles et fidos, non mutos, non valentes latrare, et inculpatae vitae exemplo et continua atque constanti verbi Dei praedicatione infidos convertere, imbacilles confirmare toto animo studeant et sanguinem fundere minime pro eo dubitent qui pro eisdem totum iam prius copiosissime fudit sicuti magna animi laetitia eis fecisse accepimus»[8]. Consona haec runt magnamque stragen in Ecclesia Dei ac ruinam minantur non et praesertim eos qui litteris seu praedicatione praecellunt addito et obedientiae merito, ut contra pestifera et virulenta Martini Lutheri dogmata, quae paulatim serpentia in tantam perniciem irruperunt magnamque stragem in Ecclesia Dei ac ruinam minantur non solum orationibus sed sanctis praedicationibus totis conatibus se opponant privatimque ac publice, domi, foris, apud populos, proceres et quoscumque principes orthodoxam fidem contra illius figmenta et haereses tueantur tamquam boni Pastoris nostri catuli adversus fures latratus edentes, imitatores effecti maiorum nostrorum, qui pro succidendis haeresibus ac impiis dogmatibus de Ecclesia funditus evellendis soliti sunt non solum preces ac studia, sed ipsum sanguinem ac vitam exponere, ut possint salutem Ecclesiae neglectu suorum corporum ultro ad mortem properando redimere »[9].

Provincialis Saxoniae Hermannus Rab, qui non solum 1518 sed etiam 1519 ad Urbem accesserat a Luthero carpebatur, cuius adversarium constantem se monstravit, sicut et fratrum sororumque in ordine patrem vigilantem[10], dum doctrina, verbo et scripto contra novatores profundus et assiduus digneque a Luthero odio habitus Ioannes Mensing, cum ad dignitatem episcopalem elevatus fuerit in disputationibus Wormatiensi et Ratisbonensi intervenit[11], quas et Thomas Badia Italus frequentavit[12]. Petrus Rauch autem apud prin-

cipes Anhaltinos et marchiones Brandenburgenses (— 1539) maxime sermone et influxu pro fide catholica zelavit, in Augustanam confessionem disserere non omittens[13]. Cornelius van Sneek e civitate Rostocensi pulsus egregie de sacrificio missae et infallibilitate pontificia scripsit. Sicut Augustinus von Getelen munimentum catholicorum Hamburgi et Lueneburgi exstitit, ita Balthasar Fannemann suffraganeus Hildesheimensis vir cordatus impavide e pulpito cathedralis ecclesiae coram praedicantibus tanta praestantia exegesim Lutheranam discerpsit, ut adversarii ab eo nonnisi per eius exsilium liberari potuerint[14].

Per longas latasque partes Rheni tum professores Colonienses Iacobus Hochstraten, Conradus Köllin, Ioannes Host, Ioannes Pesselius (Stempel). Tilmannus Smeling, Ioannes van Sloot[15], tum humanista Guillelmus Hammer tum egregii et efficaces praedicatores Matthias Sittard, qui et Viennae apud imperatorem causam catholicam protexit, Conradus Necrosius concionator Francofurtanus, solertissimus mente et actione Ioannes Dietenberger, acerrimus Oecolampadii adversarius Ambrosius Pelargus, Michael Vehe[16] qui in colloquio Lipsiensi 1534 intervenit cuiusque tractatus apologetici inter probatissimos totius saeculi XVI recensentur, contra innovationes religiosas steterunt. In Germania meridionali iuxta Ioannem Fabri concionatorem cathedralis ecclesiae Augustanae, qui etiam in catechismum instructiones utiles redegit, Petrus Hutz, Wendelinus Oswald, Ioannes Burchard, Ioannes Faber Augustanus catholicum depositum defendebant[17], dum Antonius Pirata Constantiae vigorose novatoribus restitit, Bartholomaeus Kleindienst e Protestantismo conversus sub habitu dominicano ad cathedram theologiae in universitate Dilingana[18] ascendit, quae a Petro de Soto antilutherano pariter auctore[19] restaurata fuit. Contigit quidem quod Ioannes Gressenicus, professor quondam Viennensis, per Bavariam et Austriam rei catholicae optimus propugnator ab efficaciore labore impediebatur, cum a curialibus Romanis pro eo concessio facultatis libros prohibitos legendi differebatur[20]. Viennae episcopus Ioannes Fabri de Leutkirch noster[21], Retzii[22] et per reliquam Austriam fratres Praedicatores eximia de causa fidei praestiterunt. Re vera Dominicani per universas terras germanicas sedulos sollicitosque vineae Domini custodes et defensores se praebuerunt[23], quorum merita sunt in libro vitae. Generatim ergo (in specie utique apostatae quidam numerantur[24]) tamquam milites strenui in campo manserunt, dum

post eos alii, ut patres societatis Iesu, in restauratione catholica partes suas florere viderunt.

Controversistae e tempore Tridentino concilio posteriore nominandi sunt Antonius Rescius, Ioannes A. Coppenstein[25], Albertus Zenner[26].

Tempestate haereticorum cessante e conventu Halberstadiensi qui 1627 restitutus erat, in Germania septentrionali novos conatus missionum nostri audebant. Stephanus Fels 1681 Berolini sacellanum in residentia ministri caesarii agere coepit, a fratribus secutus. Dominicus Torck a rege Friderico Guillelmo non solum salarium fixum recepit sed et mandatum visitandi catholicos milites variorum praesidiorum. Missiones diversae, anno 1723 Potsdamiensis cuius origo cum operariis Valonibus connectitur cuiusque famosus moderator Raymundus Bruns exstitit, 1727 Spandaviensis, 1737 Stettinensis, 1738 Magdeburgensis instituebantur, dum aedificatio Berolinensis ecclesiae S. Hedwigis, coepta ab anno 1747, cura praesertim ordinis Praedicatorum ab anno 1750 producta et perfecta est. Consecrata anno 1773 ecclesia, post biennium curae Dominicanorum committebatur, qui saeculo XIX intrante recesserunt[27].

Ad confinia Austriae Bohemia per protestantes dire torquebatur quibus fratres Praedicatores martyrio vel doctrina respondere non neglexerunt[28]. Hungariae tum per Turcas tum per protestantes[29] vexatae provincia dominicana oppugnationibus fere succubuit. In Polonia, ubi etiam Lutherana haeresis aliaeque mox ingressum quaerebant et inveniebant, ab anno 1523 Felix Cracoviensis inquisitor regni, a Sigismundo rege edictum impetravit, quo in Lutheranos eorumque libros severe procedere valeret. Ceteri Dominicani et inquisitores et praedicatores pro puritate antiquae fidei servandae zelarunt[30]. Melchior Moscicensis, frater piissimus et fervens (✝ 1591) « haereticorum plusquam duo millia divinis concionibus suis ad Ecclesiae gremium eiurata in manibus suis haeresi revocavit »[31].

In Scandinavia post silentem et tristissimam destructionem ecclesiastici cultus ac rei Iacobus de Brouwer et Nicolaus Jansen restaurationem aliquam catholicam ineunte saeculo XVII moliebantur qui a nuntio Bruxellensi, Ioanne Francisco Guido del Bagno, mandante Gregorio XV s. congregationis Fidei Propagandae instauratore per Germaniam septentrionalem et Daniam emittebantur[32]. E Dania Jansen Romam relaturus de actis et de spe obtinenda profectus est. Suis fratribus germanis Dominico pariter ordinis Praedi-

catorum et Quirino saecularis cleri membro comitatus Jansen Daniam 1623 petiit, e qua regio decreto anni 1624 missionarii pulsi sunt. Nicolaus Jansen hac calamitate non fractus missionem in ducatus de Holstein-Gottorp civitate Friedrichsstadt fundavit, pro duce legationem ad imperatorem assumpsit variosque confratres e provinciis Germaniae inferioris et Poloniae ad opus missionarium vocavit. Dominicus Jansen ab anno 1624 stationem missionariam Hamburgi rexit. Ingressus missionariorum in Norvecia circa annum 1632 paululum duravit. Pro conversione reginae Sueciae Christinae ad fidem catholicam Ioannes Baptista Guemez, confessarius legati hispanici in Suecia, eximie contribuens eius abiurationem haereseos Bruxellis recepit[33].

In Italia anno 1520 per Cyprianum Beneto, e provincia Aragoniae, prope circum agonalem (Piazza Navona) in Urbe, dum effigies et scripta Lutheri comburebantur, in auctorem Protestantismi praedicatum est[34]. Itali nostri doctrina, sermone, inquisitione novatoribus sese tam strenue opponebant, ut inter 64 adversarios litterarios Lutheri Dominicani 14 numerentur[35]. Praeter Caietanum et Prieriatem[36] et Isidorus de Isolani modo satis leni, Thomas Radinus autem ferventer et vigorose orationes apud amicos et inimicos vulgatissimas protulit[37]. Dum Franciscus Silvestri 1525 « de falsa libertate » Protestantes insequebatur[38], Ambrosius Catharinus vario tempore acerrime characterem rebellionis religiosae haereticorum Mutinensium, Neapolitanorum, Bernardini Occhino Senensis dilucidavit et castigavit[39]. Paulo Butigella inquisitore Ferrariae et Mutinae suisque sociis a Clemente VII ad intrepiditatem continuam excitatis negotium eo vel difficilius incumbebat, quod ex una parte magistratus plures inquisitionem respuebant et ex altera parte haeresis subrepticie plerumque italicas regiones invadebat. Insuper Itali haeretici unam vel aliam fidei propositionem negabant, de cetero aspectum catholicum servantes[40]. Quaestio de iustificatione e dogmatibus maxime discussis erat, quae vel publice in plateis tractabatur[41]. Ideo et Vincentius Giaccari, Hieronymus Monopolitanus, Clemens Araneus aliique voce et calamo de eodem argumento se occupabant[42]. Paulinus Bernardini Lucensis vulgari eloquio de Ecclesia, Papa, concilio scribebat. Cardinalis Bertano quoque et episcopus Nacchiante aevo Tridentino contra Lutheranas assertiones in Italia instabant[43]. Incessantes denique vigilantia atque industria inquisitionis Romanae et universalis merita in-

definibilia de Italiae catholicitate reportarunt[44]. Quorum utique meritorum Muzarelli et Ghislieri promotores exstiterunt[45]. E controversistis in Italia viventibus Raymundus Kunrath († 1667 Neapoli) citetur, qui protestantes 700 ad ecclesiae sinum reducere potuit[46].

In Gallia haeresis Calviniana discordiam religiosam ac civilem profundissime spargebat. Lis quidem ingens, quae e regione dogmatica ad partes civiles et politicas extendebatur, post immensas et crudeles pugnas in favorem fidei hereditariae cessit. In quo statu vel servando vel adducendo fratres Praedicatores industrias heroicas assumere sciebant. Ioannes Calvin, ab anno 1533 per terras vagus donec in pagis helveticis receptus est, rebellionem religiosam Gallorum dissidentium a fide Romana excitabat et nutriebat[47]. Considerata dynastica potestate regia Galliae mirum est, quod Franciscus I et Henricus II successus maiores in reprimenda haeresi non habuerint. Sed si sorores Francisci I Margarita et Renata favorem, adhaesionem ac protectionem Calvinismo et Lutheranismo tribuebant[48], fratris utique conatus sat steriles remanebant.

Iam 1523 Lambertus Campester, qui in conventu Lugdunensi moram fixerat, scite contra Martini Luther dogmata scripsit[49], inquisitores ut Raymundus Gosin intrepide munus adversus haereticos exercebant. Ipse quidem in casu particulari tot difficultates invenit, ut eas Romae solvere cupiverit. At frustra, cum consultores eius rei rem protraherent donec Gosin obierit[50]. In Italiam quoque Matthaeus Ory inquisitor ad convertendam principissam Renatam ducissam Ferrariensem se contulit. Absque obtento in Italia fine redux in patriam tum inquisitione tum scriptione servivit[51] sanctae fidei suae. Ioannes de Fraxino, Stephanus Paris, Martinus Boulanger, Petrus Doré indefesse doctrina, libris de S. Eucharistia aliisve controversiarum punctis, sermone contra novatores instabant. Spiritus Rotier autem, ab anno 1547 velut inquisitor Tolosanus, sicut semper etiam calamo ac sermone in haereticos dimicavit. Relationes suas ad familiam Guise nobilissimam et potentissimam suumque nomen bonum, quo in aula regia gaudebat, efficaciter pro rebus Ecclesiae impedit. Iacobus Le Hongre praedicatione sua de duce Francisco de Guise a Calvinistis occiso aliisque sacris eloquiis causam catholicam promovit[52]. Et gloriosae illae paginae martyrologii fratrum Praedicatorum durante bello religioso (1562-98) in odium fidei trudicatorum de meritis immarcescibilibus documento sunt,

quae a S. Dominici filiis per Galliam reportata sunt[53]. Colloquio Pissiacensi 1561 habito in catholica parte e nostris Petrus Gobeville interfuit[54].

Quae per Petrum Divolé, qui flamantibus verbis fidem asseruit, per Petrum de la Coste qui a Calvinistis tot vicibus suo sermone mortificatis dilaniatus est, per Robertum Guellin, per Ioannem Breton[55], per varios quoque praedicatores aulicos[56] facta sunt, in servitium Christi et fidei in historia ordinis digne recolantur. Nicolaus Coeffeteau sub initio saeculi XVII insignis notae theologus Parisiensis effectus, cum ad praesulatum sublimatus fuerit per dioeceses Metensem et Massiliensem hareticos Calvinistas vigorose retundebat[57].

Catholica fide per Galliam demum roborata, crescente autem regia et politica potestate et grassante Nationalismo propensiones gallicanae saeculis XVII et XVIII tam lamentabiles apparuerunt, ut a puritate fidei et ab Ecclesiae sensu plurimi avellerentur. Subiectio vel voluntaria cleri utriusque sub placitis status in articulis quatuor gallicanis edictis per unionem generalem cleri anno 1682 coactam triumphos suos reportavit. Si iam 1611 contra universitatem Parisiensem in capitulo generali ordinis Pradicatorum libertes gallicanae refutatae et summa auctoritas Romani Pontificis asserta fuit, si Xantes Mariales 1646 et 1649 Gallicanorum doctrinam carpsit, quare a republica Veneta tunc Ludovico XIV obstricta, extors factus est[58], anno 1682 p. Malagola coram magistris Parisiensibus tam aperte et clare theses antigallicanas pandidit, ut cum oppugnari nequiret e numero baccalaureorum deleretur et eius persona fugeretur[59]. Demum r.mus de Rocaberti e sede sua Valentina vindicem liberae christianae conscientiae adversus Ludovicum XIV se ostendit[60]. Dum generalatum ordinis ipse gesserat, cum Natali Alexandre († 1724) insigni certe viro causam habuit[61]. Contra huius Selecta historiae ecclesiastica capita, anno 1684 interdicta[62], Franciscus d'Enghien Lovaniensis auctoritatem papalem scripto Coloniae edito asseruit. Post damnationem per Innocentium XI et instantias a Seraphino Piccinardi factas r.mus p. Cloche ab Alexandre impetravit, ut opus purgatum probante Ecclesia iuris publici faceret[63].

Belgae et Hollandi primum contra Lutherum, deinde contra Calvinistas, tandem contra Iansenistas litem gerebant. Lovanienses theologi nostri de reprobandis doctrinis elenchum subito compila-

runt[64]. Eustachius van Zichem professor Lovaniensis 1521 in Lutherum scripsit. Concionatores validi Ioannes van den Bundere, Petrus de Backere fideles firmarunt. Antonius Ruyskensvelt velut lapidem angularem catholicorum Bruxellensium se praebuit[65]. Paulus Coye verbis sacris partes traditas defendit, Godefridus a Mierlo e sede episcopali Harlemensi pulsus Bruxellas primum et mox Monasterium Guestfaliae contendit, litteris controversias illustrare non intermittens[66], quas et p. Dujardin Gandavi[67] dilucidavit.

Post doctrinam Michaelis Du Baj Lovaniensis professoris per Pium V diiudicatam[68] Cornelius Jansen (+ 1636) ideas proposuit, quae per Belgium, Neerlandiam, Galliam funeste pandebantur. Quare etiam nostri praecipue fratres provinciarum Germaniae inferioris et gallicarum erroribus Iansenisticis obstare debebant. Ut enim Iansenistae se defenderent, fallaces voces e Thomistarum systemate ad proprios errores tegendo usurpabant. Sic quaestio Iansenistica pro multis Iesuitis et Dominicanis velut corollarium congregationum de auxiliis evadere videbatur. Urbanus VIII, qui resumptionem controversiae de auxiliis noluit, et « Augustinum » auctore Iansenio et libros quosdam Iesuitarum de gratia tractantes 1642 damnavit. Mox theologi Dominicani inter partes duas adversas inveniebantur, quarum una quaeque eos inculpare studebat[69]. Ordo quidem in capitulo generali 1650 strictam observantiam[70] Urbaniani statuti de Iansenismo inculcavit. Consultores Romani nostri ac doctores praeclari, Alexander Sébille, Franciscus Vermeil, Antonius Réginald. Ioannes van Bilsen, apprime Thomismum a labe Iansenismi discernebant[71], quam separationem et Sancta Sedes in bulla « Demissas preces » 1724 et capitulum generale ordinis 1725 agnoverunt. Interea post pacem Clementinam anno 1669 firmatam « casus conscientiae » 1701 novas difficultates creavit, cum professores Sorbonici, inter quos p. Alexandre, assererent, de quaestione facti propositionum Iansenisticarum obsequiose silentes posse absolvi. Accesserunt « Refléxions morales » auctore Paschasio Quesnel, in quibus utique diiudicandis cum sex theologis aliis et cardinalis Ferrari O.P., magister S. Palatii Bernardini, secretarius Indicis Selleri laborabant, bullam Clementis XI «Unigenitus» anni 1713 praeparando. Licet rex Ludovicus XIV hanc decisionem acceptandam commendaverit, aliqui professores Sorbonici incluso p. Alexandre super bullam et Papam ad concilium futurum 1714 appellarunt. R.mus p. Cloche dure ferebat agitationem patrum quo-

rumdam Parisiensim anno 1718 actum appellationis ad concilium signantium, inter quos et p. Echard. R.mus p. Ripoll intra ordinem ultimos appellantes vel refractarios maxime p. Viou persecutus est[72].

In provincia Germaniae inferioris patres Thomas Leonardi, Franciscus d'Enghien, Jansens Elinga, Hieronymus 't Seraerts Thomas Dujardin aliique Romanas partes egregie tuebantur[73]. Missionarii dominicani, qui ab anno 1627 in foederatos provincias Hollandiae emittebantur doctrinae et praxi Romanae devotos se praebuerunt[74]. Viri, ut Ioannes A. d'Aubermont[75], missionarii apostolici indefessi inconfusibiles et operarii inter catholicos et protestantes erant.

Angliae dissidium cum Romana Ecclesia unice ex divortio Henrici VIII cum Catharina Aragonensi in favorem Annae Boleyn explicatur[76]. Coepta est schismatica legislatio 1529, quae 1534 finem in schismate perfecto habuit[77]. Conditiones particulares Angliae, in qua rex sensim suae potestatis civilis et usurpatae ecclesiasticae extensionem introducere atque extorquere sciebat, lentam et satis silentiosam acceptationem novi dominii religiosi apud Anglos fere omnes explicant. Pauci martyres, inter quos pauci monachi 1534 apud conventum dominicanum Londinensem, supplicio affecti sunt[78]. Ex nostris Ioannes Hilsey regiae voluntati addictus licet in principio nihil quod haeresem saperet admittere intendit, Richardus Ingworth, Ioannes Hodkin qui sub Eduardo VI mulierem duxit quam sub Maria regina repudiavit et sub Elisabeth iterum regio iugo se conformavit, Ioannes Scory episcopi ecclesiae anglicae facti sunt, aliquibus fratribus publice ab Ecclesia apostatantibus[79]. Fratres, qui fideles remanebant mox aut emigrationem aut expulsionem ex Anglia subire tenebantur. Eorumque fidei et professionis vox testimonium apertum dedit.

Ita strenue prior Bristolensis Guillelmus et prior Cantuariensis contra regis suprematiam praedicabant. Prior Eboracensis 1537 in rebellione septentrionis contra Henricum VIII complex fuit. Quam partem crudeli morte luit. Ex priorum habitudine ad horum aliorumque conventuum fratrum constantiam concludere licet[80]. Anno 1546 et saepius provincialis Guillelmus Perrin sermones de s. Eucharistia imprimi curavit, dum Thomas Heskins de eodem argumento scripsit[81]. Anno 1549 in Hispaniae conventu Calatayudensi obiit Georgius Athequa, quondam episcopus de Llandaff et

a confessionibus reginae Angliae Catharinae Aragonensi, qui cum Ioanne Fisher episcopo et Thoma More cancellario pro matrimonio Henrici VIII cum Catharina viriliter steterat[82]. Cum filia reginae Catharinae, nempe regina Maria, religio catholica iterum in Anglia invaluit. Curantibus Carolo V et Philippo II, cui Maria nupsit, fratres Praedicatores Hispani Bartholomaeus Carranza, Petrus de Soto, Ioannes de Villagarcia[83], Lusitanus Ludovicus de Sotomaior[84] haereticos in Anglia valde persequebantur et quia metus insurrectionum aderat, tolerantia reginae Mariae et consiliariorum eius sensim disparuit[85]. Defuncta regina Maria 1558 de Soto et Villagarcia (promoto iam Carranza ad praesulatum) Angliam reliquerunt[86]. Deinde Didacus de la Fuente, qui confessarium legati Hispani comitis Gondomar apud aulam Iacobi I agebat, et pro Ecclesia et pro ordine plura salutaria moliri non desinebat[87]. Ipsique fratres natu Angli ministerium catholicorum in patria numquam deserebant, etsi sub prudentia, vigilantia vel captivitate vitam ducere debebant. Fructus animarum autem et confortatio catholicorum per pp. Howard, Anderson, Burgis, Norton aliosque promoti rei catholicae in Anglia gratissime cesserunt. Dominicus Williams unus e sequacibus familiae Stuart, vicarius apostolicus districtuum septentrionalium consecrationem episcopalem ab ipso Benedicto XIII recepit[88].

Scotiae terra, dissoluta provinciae ordinis compagine, quosdem Dominicanos fortiter apud catholicos stare vidit. « Ioannes Black glorioso certamine pro tuenda fide Edimburgi sanguinem fudit. Ab anno 1615 nonnulli e Romano collegio Scotorum alumni vestibus ordinis induti una cum fratribus Hibernis missioni catholicorum apud Scotos deserviere in magnis periculis et in carceribus frequenter constituti. Eo quidem modo in ipso carcere Patricius Primrose diem obiit supremum, pro fide catholica fideliter ad mortem professa mercedem in caelis accepturus. Anno demum 1774 ultimus ex nostris in Scotia degentibus p. Wynne ob atroces persecutorum saevitias in Hiberniam redire coactus est »[89].

Neque omittenda est memoria Thomae Innocentii Strada († 1733), qui doctrina et caritate eximius ultro munere magistrali se abdicavit, ut in Americam ob fructum animarum proficisceretur. « Interceptus in itinere ab Anglis eorum haereses tam strenue confutavit proque orthodoxa religione naviter adeo disputavit, ut eosdem errore liberaverit »[90].

§ 78. Missiones apud infideles. Unio ecclesiastica cum schimaticis.

Missiones ordinis per fratres plerumque Lusitanos et provinciarum mari mediterraneo adiacentium continuabantur. Hispani in America et Asia mox partem notabilissimam et plures Itali in proximo atque extremo oriente partes evangelizationis sumpserunt, Gallis ex saeculo XVII ad missiones exteras pergentibus. Ioannes Slotanus, professor Coloniensis, qui a petendis Indiis aegritudine impeditus est, dialogo de barbaris nationibus convertendis ad Christum alios ad munus missonarium 1560 excitavit[1].

Singulae missiones crebro ad constitutionem novarum provinciarum vel congregationum venerunt[2], quibus specialia centra ad erudiendos et mittendos missionarios erigebantur Dependentes a provinciis missiones superioribus particularibus ecclesiasticis (praefectis, vicariis) in saeculo XVII gubernabantur, nisi hierarchia ordinario modo in illis regionibus erecta est.

Charactere missionis in multis regionibus Americae recedente Philippus II 1568 mandavit, ut in quibuscumque civitatibus ad stabiliendos animos conversorum conventus ordinum Praedicatorum, Minorum, Augustinianorum, societatis Iesu erigerentur[3], ex quibus saluberrima irrigatio fidei per terras indicas incessanter extendebatur. In Asia tum occidentali tum orientali ob conditiones multum differentes ab illis Americanis actio missionaria alia exstitit, in extremo oriente interdum vehementibus et generalibus persecutionibus christianorum et missionariorum exortis.

Regulariter missionarii velut officiales statuum considerati stipendio publico vel itinere gratuito gaudebant, prout Lusitanis, Hispanis, Gallis mos erat[4]. Etsi haec ex parte ordinis permittebantur, mercatura per fratres exercenda numquam in ordine licita habebatur. Imo capitulum generale 1605 sub formali praecepto et paena excommunicationis latae sententiae fratribus, qui doctrinis Indorum et Aethiopum inserviunt prohibet ne quovis modo mercaturam facere audeant[5]. Unicus respectus salus animarum esse debuit. Cui utique fini per missionarios nostros saeculorum XVI, XVII, XVIII egregie collaboratum est.

America ope Christophori Columbi anno 1492 detecta primos fratres Praedicatores missionarios anno 1510 vidit[6]. Biennio quidem ante Caietanus magister generalis provinciam Hispaniae ad

Americam petendam praecepto obligaverat, cui non subito obtemperatum est. Et loco 15 fratrum, quos vicarius Hispaniae « ad insulam Hispaniolae [S. Domingo, Haiti] sitam in mari indico ad accipiendum ibi loca et conventum et praedicandum verbum Dei» destinare debuit[7], nonnisi 3 (Petrus Cordubensis, Antonius de Montesino, Bernardus de S. Dominico) cum fratre laico uno iverunt[8]. Dominicus de Mendoza, germanus frater Garciae de Loaysa, anno insequente Americam petivit[9] ab anno 1512 in Hispaniola laborans strenue cum sociis iuris ac libertatis Indianorum praeconem et defensorem se praebuit. Pauci erant fratres Praedicatores at tales qui novum aevum Indiis attulerunt[10]. Nostri enim non velut capellani militum sed ut veri missionarii in America operabantur, novam periodum post sacerdotes iam ibi exsistentes curae animarum in Americis inaugurantes et repartitionibus i. e. distributionibus certi numeri Indorum pro commendatoribus Europaeis factis ab initio resistentes[11]. Ex quo non solum veritatem humanitati verum etiam religionem divinam Europaeis et Indianis aperte commendabant, missionem fructuosam indigenarum nanciscentes. Iam 1512 Antonius Montesino coram rege et senatu Hispanorum de hac re tractavit[12]. Adunationes Burgenses (junta de Burgos) annorum 1512 et 1513 de sorte Indianorum ac missione plura ordinaverunt[13]. Similiter de eodem argumento missionarii nostri 1516 nuntium dederunt[14]. Summus autem libertatis et iurium Indianorum vindex ac protector Bartholomaeus de las Casas habetur[15], qui anno 1515 ad libertatem Indianorum asserendam conversus, postquam protestationes et praedicationes coram ducibus et militibus frustra compertus est, quinquies (1515, 1517, 1530, 1538, 1547) oceanum ex America superavit, ut ius oppressis faceret. Cum 1515, Antonio de Montesino comitante Hispaniam peteret, Didacus Deza archiepiscopus Hispalensis eos regi praesentavit qui mox e vita migravit. Cardinalis autem Cisneros O. F. M. qui cum Hadriano Ultraiectensi praefecturam regnorum Hispaniae gerebat, Barholomaeum et titulo defensoris ac protectoris universalis Indianorum decoravit et ad opus legislationis pro Indiis adscivit. Anno 1520 missione in Cumana ad oras gemmarum (Perlas) destructa Bartholomaeus ordini Praedicatorum nomen dedit, 1527 prior Portus de Plata, 1529 et 1532/3 missionarius apud ducem Henricum in Hispaniola factus. Duabus vicibus in terra Peruvianorum magna praestitit fundatorque conventuum in Nicaragua et Guatemala exstitit. Anno 1537 ut fac-

to probaret, pacificam Indianorum conversionem fieri posse, ad feroces populos de Tuzutlan se contulit ibique tanto successu et caritate excelluit, ut illa terra bellorum deinceps nomine Verae pacis venerit. Simulque ipse incessantibus instantiis sententias de tuendis Indianis a Paulo III et Carolo V recepit. Recusata dioecesi Cuzcensi episcopatum de Chiapa pauperem elegit, quem biennio ipse rexit. Anno 1547 in Hispaniam remeavit, ut de re Indiarum contra canonicum Sepulveda disputaret et scriberet[16]. Tandem 1566 Matriti obiit. Iulianus Garces, postea episcopus Tlaxcalensis, Bartholomaeo fraterne ac validissime in causa verae humanitatis adstitit[17].

In Insula Hispaniolae, ubi Bartholomaeus de Las Casas in vita dominicana formatus fuit, centrum missionis dominicanae pro America exstitit, prima universitate novi mundi ibi moderantibus Dominicanis 1538 aperta. Petrus Cordubensis, qui eam cum gratia et protectione Caroli V erigendam curavit, iam ante missionibus Americanis in eo prospexit, quod harum dependentiam a provincia Baetica et conventu Portae Caeli Hispalensis temperaret[18]. Insula Hispaniola, sub nomine pristino Haiti, cum Antillis minoribus ab anno 1625 a Gallis occupata est. Cum Capuccinis et Iesuitis Dominicani 4 Pélican, Breton, Brechet, Gryphon insulas Martinique et Guadaloupe missionandas nacti sunt. Postea eo p. Tertre historiographus illarum regionum, pp. Paul et Martel venerunt[19]. Dum anno 1694 in Martinique 12, in Guadaloupe 5, in Haiti 2/3 Dominicani erant, in Haiti anno 1707 5 et 1789 26 missioarii nostri ad indigenarum et nigrorum salutem operabantur[20]. In Insula Dominica Raymundus Breton (1642/52), Philippus de Beaumont[21], Guillelmus Martel (1730/40)[22] apostolicae curae praecipue incumbebant. Inter missionarios Antillarum adhuc eminent Ioannes Baptista Labat (1693/1706), qui regio nomine et officio fortificationes et defensiones insularum Martinique et Guadeloupe perfecit[23], et Antoninus Bremond (1716/22) postea magister ordinis[24]. Ad conditiones morales in illa ditione subvertendas immigratio Gallorum quorumdam saeculo XVIII valde contribuit, ex quo labor missionariorum durior efficiebatur[25]. Pastores missionarii diaetam percipiebant, quae eis ex publicis stipendiis et quidem in forma sacchari tribuebatur[26]. Postquam p. Viriot praefectus apostolicus in Haiti sclopo anno 1794 necatus est, p. Le Cun auctis facultatibus tamquam vicarius apostolicus missiones ipsius insulae et adiacentes ab anno 1797 regebat[27].

Ex Antillis orae septentrionales (tierra firma) Venezolanae (Cumanà) per missionarios primos Americae tangebantur, singulis vicibus opere christianisationis per avaritiam nequitiamque colonorum frustrato. Anno 1516 Franciscus Cordubensis, Antonius de Montesino[28] ad plagas continentales destinati, sed per Indianos de Hispanis, qui ducem indigenarum aliosque in servitutem asportaverant, iratos, interfecti sunt. Alii Dominicani 1517 pacifice quoque venientes bene recipiebantur, conventu S. Fidei de Chiribichi fundato. At 1520 Alfonso de Ojeda indigenas tradente, Indiani et conventum destruxerunt et missionarios iure obsidum necarunt.

In Daria (Panama) Reginaldus de Pedrazza O.P. cum fratribus anno 1519 stetit, erectis dioecesi (Thoma Ortiz O.P. episcopo primo[29]) et conventu S. Marthae, ingentique fructu animarum collecto. Ex 20 Dominicanis, qui in lingua indigenarum apud Hispaniolam edocti, in Daria laborabant, Martinus de Angelis fluvium Magdalenae invenit. Fundata Carthaginensi residentia Thomas de Toro O.P. primus episcopus 1534[30] factus est, patribus in praediis conversionem Indianorum et in collegiis eorum filiorum educationem molientibus speciali schola pro filiis ducum indigenarum (caciques) instituta. In regione Nova Granatensi Dominicani 1526 laetum ingressum et rei suae progressum habebant. Dominicus de las Casas, qui in Guacheta doctrinam stabilivit, incolis qui missionarios velut filios solis venerabantur, se filium solis institiae esse praedicabat, quem eis nuntiaret. Indianis de Chia et duce de Suba baptizatis, incolae de Bogota ad aquas regenerationis convolarunt. Petrus Duran et Ioannes de Montemayor Tunjae atque apud Ramiriqui campum sibi eligebant, dum Ioannes Mendez templum Bogotense in ecclesiam vertit et cum socio tali effectu praedicationi instabat, ut biennio transacto populus totus christianum se profiteretur. 1542 novi missionarii (e. g. Antonius de Penna, Lupus de Acuña) advenerunt. Dominicani anno 1566 170 residentias christianorum indigenarum dirigebant. Ardore et sacrificio apostolicis Bartholomaeus de Ojeda et Ludovicus Vero egerunt. Ludovicus Beltran zelo salutis animarum apud Tubaram et in montibus prope S. Martham Indianos super 20000 insuper et illos de Cipaeo per pluviam a caelo impetratam convertit[31]. Eius operis sudores autem per famem auri conquirentium Europaeorum ita destruebantur, ut ipse 1569 missionem reliquierit, ne conspirare cum Europaeis videretur[32]. Generatim regiones Novae Granatenses ad christianismum adductae sunt,

sed et novi pagi (ut per Hadrianum de Uffelde 1542 in Guaymi) et relabentes, contra quos e. g. Ioannes de Pereyra (+ 1682) zelavit[33], laborem improbum requirebant. In Aequatore Dominicani ab anno 1534 conventus Quitensem, Guayaquilensem, Loyaensem fundarunt, ex quibus multa ad salutem colonorum et indigenarum operabantur[34]. Prope fluvium Amazonum nostrates 1651 missionem susceperunt[35].

Ad terram Peruanam[36] 1532 6 fratres Praedicatores, inter quos Reginaldus de Pedrazza et Vincentius Valverde, venerunt. Valverde episcopus Cuzcensis renuntiatus et protectoris Indianorum munus implens postquam plurimos indigenas monticolas Christo lucrifecit, demum in insula Puna martyr 1544 occubuit. Eius methodus fundandi doctrinas christianas pro indigenis summo zelo a confratribus suis quam maxime per saeculum XVI servata est. Celeberrimum templum solis Cuzcense a Pizarro p. Ioanni de Oliaz sociisque anno 1534 traditum est. Limanam sedem velut archiepiscopus primus1541/77 Hieronymus de Loaysa tenuit[37], qui pastorali sollicitudine pro descendentibus Hispanorum et indigenarum zelavit, dein in erigendam universitatem Limanam cum cathedra linguae indianae 1551 influxit, synodos 1552 et 1567 celebravit, hospitale indigenarum aedificavit. Dominicus de S. Thoma non solum primam grammaticam linguae Quichua confecit, verum quoque plures stationes missionarias excitavit[38] et caritative Aegidius Gonzalez duram sortem Indianorum regentibus explanavit[39]. Ut Indiani, qui in his partibus dire saepius habebantur ita ut multi se necare quam exactiones dominorum sustinere eligerent, secure ad christianismum adducerentur, constituebantur reductiones 400/500 indigenarum in uno loco ab uno sacerdote curandorum. In his reductionibus indigenae iure voti pro rebus administrationis gaudebant. Pii V petitiones de respectanda libertate indigenarum Philippo II porrectae documenta sunt humanitatis, quae a gubernio etiam plus assumebatur, quam per officiales inferiores peracta est[40]. E dominicanis missionariis in Peru saeculo XVII laborantibus Franciscus de Cruce et Christophorus Torres afferantur[41].

Inter Chilenos Aegidius Gonzales et Ludovicus Chavez conventum, qui inter alios primus erat, apud S. Iacobum 1552 receperunt, Reginaldo de Lizarraga[42] inter paganos laborante. Ad fluvium Plata Caspar de Carvajal[43] missionarium et protectorem Indianorum fructuosissimum se praebuit, dum Augustinus de Formeselo fami-

lias indigenarum de Chacuyto (Chaco) circa capellas ab eo aedificatas colligebat[44]. Expulsis Iesuitis (1767), provincia dominicana Bonaerensis plusquam 20 missionarios infidelium in insulis Malvinas, regionibus de Uruguay et Parana, usque ad meridiem in terram Ignis, mittere consuevit[45]. Etiam Franciscani partem missionum antea ad Iesuitas pertinentium retinuerunt, quae sicut et dominicanae sensim dilabebantur[46].

Mexicani per Ferdinandum Cortez 1519 sceptro Hispaniae et s. crucis subacti magnis copiis gregi Christi se adiunxerunt[47]. Franciscanos missionarii ordinis Praedicatorum 1526 et quidem 12 duce p. Thoma Ortiz ab indigenis Verae Crucis devotissime recepti comitabantur. Dominicus de Betanzos[48], venerabilis vitae, qui solus mox relictus est, novitiatum et conventum Mexicanum aperuit, in quo vocationes multae confluebant. Oriebantur conventus plures in principalibus locis et etiam missiones. Betanzos ab anno 1532 provinciam rexit, quae dum ipse obiit 1548 conventus 5, collegium 1, domibus 60 constabat. Dum ipse maiores conventus fundare intenderat, alii stationes missionarias excolere maluerunt[49]. Interdum, in vicis vel regionibus incolae 20-50000 christianam religionem assumebant, cum missionarii vicos vel regiones ingrederentur. Maxime Indiani etiam his in partibus musica et cantu attrahebantur. De Gundisalvo Luzero et Dominico ab Annuntiatione stupendi prorsus successus conversionum peractarum narrantur[50]. In partibus Mexicanis atque adiacentibus Dominicani systemate reductionum pro Indianis libenter usi sunt, quae vicis 5, 10, 12 vel pluribus adhuc constabant[51]. Magnis Mexici missionariis Iordanus de S. Catharina (1592) accensetur[52], dum ab instituta hierarchia Iulius Garces ad sedem Tlaxcalensem aliique ad alias adsciti sunt[53].

In Guatemala e nostris maxime Bartholomaeus de las Casas velut missionarius Verae Pacis et episcopus de Chiapa animas Christo lucrifaciebat. Eis 1616 cura spiritualis pro Indianorum pagis 150 concredita fuit. In defectionibus indigenarum a fide interdum missionarii occumbebant, ut anno 1616 Sonorae in Michoacan, ubi Iesuitae, Dominicanus 1, Franciscanus 1 interfecti sunt[54].

In Florida licet plures fratres Praedicatores itemque 1547 Ludovicus Cancer de Barbostro ab Indianis aggressi fuerint ac trucidati, 1553 et 1559 alii missionem tentaverunt, quae tamen nonnisi saeculo XVII intrante per Franciscanos feliciter continuari potuit[55]. In Californiam missionarii ex saeculo XVII reperiuntur[56].

Ad Californiam inferiorem anno 1772 Dominicani adsciti sunt, qui varias missiones novas fundarunt[57].

Orientalis missio velut cura animarum Europaeoruum vel tentamen unionis ecclesiasticae schismaticorum vel conversio Mahometanorum extendebatur a Balcano per insulas Graeciae et oras Ponti Euxini usque ad Mesopotamiam et Persiam. Dum 1575 Gregorius XIII ordinibus Praedicatorum et Minorum mandavit, ut fratres valentiores quosdam ad Bosphorum mitterent, actio dominicana in Pera saeculo XVII intrante revixit[58]. Hyacinthus de Subiano Aretinus, 1644 suffraganeus et 1652 vicarius patriarchalis latinus Constantinopoli effectus est (+ 1653) et postea Raymundus Gallani (1706/19)[59]. Dominicani ibi curam spiritualem « francorum » exsequebantur. In insulis Chiensi (episcopus Iustiniani 1566), Syrae (episcopus Ioannes Andreas Carga martyr 1617) nostri laborabant[60].

Monasterii sororum Therae (Santorino) 1596 missioni orientali incorporatio facta est[61]. Cum dein Smyrnis anno 1624 ex placito apostolico praesul latinus post saecula restituendus esset, 1625 Petrus De Marchis O.P. Chiensis patria, ab ecclesia Sancterinensi ad sedem archiepiscopalem Smyrnensem translatus est (+ 1648), successorem Hyacinthum de Subiano nanciscens, dum Eusebius Franzosini 1754/63 vicarium apostolicum Smyrnis egit[62]. Armeni plures ab anno 1747 quoque Smyrnis steterunt[63].

Medio saeculo XVI vix superato Augustinus Buttigieg et Antoninus Sagra per partes Serviae transierunt non absque fructu animarum relicto[64]. Iovita Brixiensis Gregorio XIII mandante Crimeam visitavit, ubique fideles in fide roborans et firmans[65]. Ex Vallachia in Russiam Andreas Bobius Lombardus assumpto socio Matthaeo de Ulonis Moravo profectus est. Multis pro fide catholica commendanda laboribus et periculis perpessis erectisque ecclesiis sub ritu Romano schismaticis et haereticisque pluribus ad gremium ecclesiae adductis in Vallachia redux ab inimicis religionis occisus est[66].

In missione Caucasiae et Georgiae Ioannes Giannotti c. 1632 laboravit[67]. In minore Armenia sicut et in monte Libano inter Maronitas, in Aegypto et Mesopotamia Ambrosius Buttigieg et Antoninus Sagra fructuose legatione fungebantur[68]. Apud Turcas et Tataros Thomas Landi de Longi praedicavit[69]. Sub respectu missionario Armenia maior et Persia unitae apparent[70]. Ex quo Armenia anno 1583 provincia ordinis Praedicatorum erecta est (1694 vica-

riatu de Isfahan fundato), hierarchia catholica illarum partium valde dominicana erat. Series archiepiscoporum Naxivanensium (1607/1732) exclusive et series praesulum Isfahanensium duobus Dominicanis constat. Inter illos Armenos, Italos, Chiensem, Germanum citare libet, inter hos autem praecipue Barnabam Fedeli (┼ 1731)[71]. Expulsis patribus Armenis occasione civilis belli e territorio suo, Smyrnas se receperunt, excepto Raymundo Berselli, qui usque ad mortem in Persia degebat. Ut missiones orientales animaret Benedictus XIV breve 10 iulii 1748 ad r.mum p. Bremond dedit, conventu SS. Rosarii in Monte Mario prope Urbem missionariis colligendis destinato. Ad petitionem sacerdotis Chaldaei Choder nuncupati, nova missio Mausilii stabilienda ordini commissa est, qui eo 1750 pp. Franciscum Turriani et Dominicum Codeleoncini misit sequente Dominico Lanza viro docto, s. congregationis Rituum consultore et in re Chaldaeorum perito, qui primus praefecti apostolici officio excelluit. Itinerarium (1773/71) p. Lanza reliquit. Qui et protectionem Anglorum de missione hac obtinuit. Usque etiam ad Kurdistan missionarii procedebant, ubi p. Leopoldus Soldini (┼ 1779) sancte laboravit[72]. Fractis viribus plures missionarii campum evadere coacti sunt, p. Ruvio 1785 trucidato. P. Campanile solus tandem manens in terra aspera, 1815 in Italiam secessit.

Ad calcem missionis orientalis duo instituta missionaria Romana, quibus Dominicani nomina sua iunxerunt, recenseantur. Unum erat primum institutum pontificium missionum quod Romae originem habuit in domo convertendorum Iudaeorum, inter alios per S. Ignatium promota. S. Pius V societatem Iesu iterum catechumenatui praeposuit. Ipsi collegio neophytorum cardinalis Vincentius Iustiniani (┼ 1581) scutata aurea 2000 reliquit, dum Dominicani plures sermonem coram Iudaeis recitare solebant[73]. His industriis pro femineo sexu specialiter monasterium ss. Annuntiatae auxilium praebuit, in quo sorores e Iudaismo conversae (praeter alias quidem) instructioni[74] puellarum vel mulierum Iudaeorum incumbebant. Pius V huic fundationi sub Pio IV erectae multum favebat. Aliud institutum, de quo nuntium dedimus, est collegium graecum, quod per annos 10 quasi Dominicani in Urbe sub Urbano VIII Papa et Nicolao Ridolfi magistro generali moderabantur[75].

Congolensis missio novis copiis missionariorum Lusitanorum saeculo XVI intrante adhuc continuabatur[76], post autem derelicta

videtur[77]. Fundationem imperii colonialis, quod sub Ludovico XIV Galliae rege coeptum est, actio missionaria comitabatur. Ita, post aliorum tentamina 1670 et 1687, anno 1700 ad oras aureas (Côte d'or) p. Godefridum Loyer, natu Redonensem, praefectum apostolicum s. congregatio de Propaganda destinavit. Qui a novitiatu ad missiones adspirans laude magistri generalis Cloche distinctus 1693 ad insulam Martinique contendit et deinde in Europam redux mandatum recepit duos principes nigros, filios regis de Issigni, quibus Parisiis et formatio et baptismus collatus fuerat, ad Guineam traducendi. Ipse et socius p. Villard 1701 in Africam pervenerunt. Indignatio regis de conversione filiorum, derelictio coloniae per Gallos, missionem impediverunt. P. Loyer 1703 navem lusitanam conscendens in Europam auxilia petiturus profectus est. Gallis incluso p. Villard Africam relinquentibus nulla spese restaurandi missionem adfuit. P. Loyer de ea 1714 memoriam composuit[78].

Lusitani Dominicani in insula Madagascar anno 1540 patres plures trucidatos et 1585 Ioannem de S. Thoma veneno abreptum lugebant[79]. In plagis orientalis Africae anno 1577 Ioannes dos Santos intrepide apud Cafros de Moçambique religionem propagavit, non abhorrens ab incendio templorum Mahometanorum. At ex inconstantia baptizatorum opus conversionis parcum remansit. Conventus in oppido de Moçambique fundatus, 1579 in formalem receptus est. Alii patres versus septentrionem ad locum de Quirima, alii ad meridiem ad regionem de Zambesi perrexerunt, vicarialibus domibus in Sofala 1586 et Sena constitutis. Interius prosequentes in oppido Tete etiam principalem domum erexerunt. Ex quibus centris alias stationes usque ad finem saeculi XVII prodierunt. In his Africae missionibus usque ad quinquaginta fratres apostolatus laboribus insudasse dicunt[80]. Anno 1652 rex Manamotapa, cuius ditio prope Zambesi extendebatur, fidem catholicam amplexus est, ex qua conversione plurimum sperabatur.

Filius regis ordini Praedicatorum cooptatus velut Constantinus de Rosario, magistrali laurea theologiae per magistrum generalem anno 1670 insignitus, ad tempus prior Goanus exstitit[81]. In saeculo XVIII numerus missionariorum valde decrevit[82].

Circa Dominicanos in Aethiopia tum Seraphinus Razzi[83] († 1611) tum Ludovicus de Urreta († 1636)[84] ab aethiopicis monachis decepti falsa historiographiae nostrae per tempus intulerunt.

Magnus ille praeco Indiarum orientalium Dominicus de Sousa, qui et primam ecclesiam in Cochin erexit, ad latus Alfonsi Albuquerque consistens, eum consilio et solatio iuvit eique morienti anno 1519 in civitate Goa adstitit[85]. Dum Goa 1510 caperetur, Dominicani militibus animum inspirarunt. Iuxta Franciscanos nostri vicibus pluribus in Indiis orientalibus laborabant, ab anno 1542 ex mira fama S. Francisci Xaverii sociorumque notabiliter obscurati. Anno 1548 Dominicani 12 duce Didaco Bermudes Indias petierunt conventum Goanum ac congregationem S. Crucis Indiarum orientalium in coloniis lusitanis fundantes. Ita oriebantur loci in Schaul, Cochin (1549), Diu, Bassein, Daman, Mangalore, Challe, Meliapore, Negapatam, Dianga et Syriam Bengaliae, Tanna, in insula Ceylon Colombo, Galle, Manar, Iaffnapatam. Campus Goanus missionis inter Iesuitas et Dominicanos per viceregem 1548 dividebatur[86].

De cetero conventus Goanus cum schola theologica sicut alii conventus Indiarum magis scientia et observantia quam propagandae fidei actione[87] florebant. Attamen non solum ipsi fructum incessanter in horreum ingerebant verum etiam missionarios ad alias partes Indiarum destinatos formabant. Dignissimi praesules nostri in sedibus de Cochin (Georgius Temudo 1558/67 Henricus Tavora de S. Hieronymo 1567/78, Michael Rangel 1633/78), Goana (e. g. Temudo 1567/71, Tavora 1578/81, Vincentius Fonseca 1583/86), Malachana (e. g. Gregorius de S. Lucia 1558/78 efficaciter nomen christianum promoverunt[88]. E conventu Malachano a Caspare de Cruce fundato[89] missionem ad Moluccas, regiones Indosinenses, imo Sinenses exierunt.

In altera saeculi XVI parte Dominicani ad regionem Birma et circa annum 1604 ad Pegu venerunt, ad tempus in regno Siam 1554 praedicantes et baptizantes. Primis missionariis nostris (Hieronymo de Cruce et Sebastiano de Canto 1569, pp. Mota et Fonseca 1600) interfectis, annis 1601/19 Francisco ab Annuntiatione stabili modo laborare contigit. Ex Siam ad Cambodjam evangelium cucurrit, Silvestro Azevedo O.P. Lusitano potestate facta a rege, libere veritates christianas nuntiandi. Saeculo vergente ad regis Cambojensis petitionem Didacus Aduarte et Alfonsus Ximenez Hispani 1596 eo se contulerunt aliis fratribus ad novam instantiam regiam sequentibus. Post unionem dominationum Siam et Cambodja religio Christi parce in illis terris vixit[90].

In lusitanae ditionis insulis Flores, Solor, Adorana, Timor, Lusitani missiones interdum florentes excolebant, postquam p. Antonius de Taveiro circa 1555/6 terras illas ad evangelizandum aptas invenit[91]. Anno 1562 missi a priore Malachano patres in Solor anno 1566 castrum circumvallatum erexerunt, quod centrum missionis et defensio contra Mahometanos irruentes esset. In Ende prope Flores ubi pariter fortificatio erat[92], missio copiose benedicebatur. numero christianorum ante 1598 in 18 stationibus de Solor, Adonara, Flores circiter 25000 putato. Si missionarii ex una parte contributionibus annuis tum a gubernio tum ab ordine elargitis iuvabantur, ex alia parte martyres plures e suis viderunt. Atque ex periculo Mahometanorum magis magisque tunc ubique crescente, ex factionibus civilibus christianorum, ex commercio et adiutorio Hollandorum Lusitanis ac catholicis infensorum praecipue ab anno 1568, in quo missio insurrectione populi fere annihilata est, difficultates ingentes missioni huic exsurgebant. Martyria annorum 1598, 1618 (Augustini da Magdalena) 1621 (Ioannis de la Fortaleza, Simonis da Madre de Deos) oppugnationes et expugnationes de Solor vario fato vel fortuna factae inter missionarios et Hollandos per decades annorum rem dividebant. Egregius Michael Rangel († 1646) visitator et generalis vicarius Dominicanorum orientalium ab anno 1614 ubique zelum accendit. Romae et Ulyssipone copias obtinere studens, in Solor praesidium ab Hollandis dirutum restituit, curam animarum auxit. Anno 1623 10 missionarii totum laborem portabant, 1627 15 ecclesiis pastore viduatis. 1630 Rangel 12 novos missionarios secum duxit. Postquam insulae Solor et Adonara catholicis perierunt, iis in Flores ex conversione ducis cuiusdam († 1661) magnus fructus animarum adductus est. Missio in Timor inter 1556/1613 fere deserta mansit, 1626 bonam spem dedit, pacifica evolutione missionis ex agitatione Hollandorum postea exclusa. Anno 1719 duos missionarios patres insula Rotti vidit.

Usque ad annum 1754 missionarii 10 in missione de Timor-Flores laborabant, deinceps opere missionario ex labente re lusitana languente[93].

Philippinae insulae apostolicos operarios primos Augustinianos et Franciscanos habebant[94]. Erecta sede Manilensi sub titulo Conceptionis B. M. V. de patronatu regis catholici anno 1579, suffraganea Mexici, primus episcopus Dominicus de Salazar[95] fratribus 20 adscitis Manilam profectus est sed unico socio eo pervenit,

aliis fere omnibus peste infectis, anno autem 1587 et saepius ab aliis secutus. Dum uni Manilae apud S. Dominicum 1588 exstructum manebant, mox curam Sinensium et hospitale Sinensium S. Gabrielis obtinentes et universitatem S. Thomae moderantes, alii egregiis sacrificiis abnegationis et martyrii insulas Philippinas evangelizarunt. Ad firmandam christianitatem Philippinarum hierarchia 1595 ampliata est creatis sub Manilensi archiepiscopatu sedibus Nueva Segovia pro parte septentrionali, Nueva Caceres pro meridie insulae de Luçon, Cebu pro reliquis insulis. Maxime Michael Benavides OP primus episcopus Novae Segobiae et mediatus successor Dominici de Salazar in sede Manilensi (1602/7) missionem valde promovit. In provincia de Bataan nostri 1587 missionem receperunt (— 1768), in Pangasinan definitive 1613, in La Laguna (ministerium Indorum), in Cagayan 1694, in praestantiore insula Babuyanes 1619, in insulis Batanes 1686 restauratam anno 1720, 1744, 1783. Ultimo anno Balthasar Fernandez Calderon atque Bartholomaeus Artiquez Batanensium evangelizatores exstiterunt atque ita «anno 1794 iam octoginta adulti et sexdecim mille infantes baptizati computabantur». Dominicani in Philippinis velut pastores animarum, medici corporum, magistri institutionis cuiuscumque eximia praestiterunt. Plures ad praesulatum elevati sunt haud unus martyrio coronatus[96].

Missio Tunquinensis, 1626/27 a pp. Baldinotti et de Rhodes SI fundata[97], 1659 erecta est in vicariatum apostolicum sub praesule Francisco Pallu, qui tamen regionem illam intrare nequivit. Obortis persecutionibus Iesuitisque eiectis Parisiensis societas exterarum missionum anno 1666 campum recepit, 1670 concilio Tunquinensi primo habito quod fundamentum regiminis missionarii illius partis usque hodie mansit. Deinde ex provincia Philippinarum nostra Ioannes de Cruce et Ioannes de Arjona 1676, et Dionysius Morales 1677 Tunquinum ad utrique vicariatui collaborandum petierunt[98]. In lite inter vicarios apostolicos et missionarios regulares Dominicani non obstantibus bonis fructibus, quos fecerant, missionem 1679 deseruerunt. Cum autem vicarius apostolicus Ludovicus de Laneau regularibus missionariis libertates concessisset, quibus religiosi in Philippinis fruebantur, eo ipso anno redierunt[99]. At persecutionibus incoeptis duo patres e Tunquino pulsi et ab Hollandis in Europam deducti sunt, solo Ioanne de Cruce remanente, donec Raymundus Lezoli per Turchiam et Persidem anno 1681 ad plagas Tunquinenses venit, primus vicarius apostolicus nostrae mis-

sionis renuntiatus 1698 et episcopus consecratus 1702[100]. Biennio post huius obitum Ioannes de Cruce vicariatum regendum suscepit. Anno 1715 patres 6 et fideles 15000, 1737 christiani 20000, 1780 vero 74930[101] numerabantur. Conventione cum vicariis apostolicis ac cum ceteris religiosis facta, Dominicani curam orientalis Tunquini susceperunt, quod decreto s. Congregationis anno 1757 confirmatum fuit[102]. Ex tunc indefesse licet inter persecutiones nostri laborabant. Si ab anno 1712, in quo ecclesiae 165 destructae sunt, ad annum 1725 saeva quaeque christianis inferebantur[103], 1732 persecutione iterata quae nonnisi 1745 cessavit, nova persecutione inter 1765/74 exorta. Ferocibus periculis expositi, fidem plures christiani negarunt, aliis plurimis martyrio pro veritate religionis testantibus[104].

Missio Sinensis e fratribus Mexicanis diu desiderata per lusitanum Casparem de Cruce tentata est. Qui, postquam in Malacca conventum erexerat in Cambodja secessit, indeque fructu non facto anno 1556 ad Sinenses profectus est, civitates Macaoensem et Cantonensem visitans. Cum ei nonnisi per mensem in Canton stare liceret, in patriam rediit. Post Sinensia in scriptis tractata, Ulyssipone in curandis peste infectis morte abreptus est[105]. Deinde fratres linguae hispanicae primi ex Mexico venientes ad locum Chuandchow anno 1587 appulerunt, in civitatem Macaoensem profecturi, quae porta Sinarum habebatur. Ibi anno 1587 exstructa ecclesia reginae ss. Rosarii ac fundatio a vice-rege lusitano rata non habita Dominicanis Lusitanis committebatur, qui de missione Sinensi nihil curarunt[106]. Dominicani Hispani autem Manilae 1587 inter alia opera curam et christianam et infirmorum coloniae Sinensium satis conspicuae (tunc c. 10.000) praeeuntibus Ioanne Benavides et Ioanne Cobo susceperunt [107]. Ab anno 1589 saepius Sinas penetrare studebant. Ut Sinis viciniores essent eorum consilio per Hispanos 1626 insula Formosa armis occupata est[108]. Tandem Angelus Cocchi (†1633) Florentinus (socio eius Thoma della Serra Calaritano a piratis interfecto) die 2 ianuarii 1632 regionem Fukiensem ingressus est, missione in Fuan (Fogan) erecta[109], dum liber ingressus in Sinas missionariis omnibus 1632 de iure patebat[110]. Successerunt Ioannes de Morales O.P. et Antonius de S. Maria Caballero O.F.M., qui mirati de more missionandi Iesuitarum rem rituum Sinensium Romae 1643 agitare coeperunt[111]. Dum in Sinis

ex destructione idoli per christianum quemdam imprudenter facta persecutio christianorum ab anno 1634 invaluit, Hispanis etiam missionariis Formosa per Hollandos periit[112]. Interea missioni Sinensi per Ioannem Garcia solum prospiciebatur, cui 1648 Franciscus Diez et Franciscus Fernandez de Capillas aliique opitulabantur. Tres illi missionarii primo quidem occulte, mox aperte Christum praedicarunt, donec nova persecutio orta est, cum Tatari imperium Sinense per dynastiam Ming rectum usurparent[113]. Die 15 ianuarii 1648 Franciscus Capillas protomartyr Sinensis post fructuosum apostolatum capite minutus est[114]. 1649 Morales iterum adducens tres Dominicanos tresque Franciscanos in Sinas venit[115]. Franciscanis novam missionem fundantibus[116], Dominicani in praefectura Funing laborabant[117]. Ab aliis missionariis, inter quos p. Gregorius Lo (pez), primus indigena sacerdos et postea episcopus Sinensis, anno 1656 nova missio in oppido Lanki provinciae Chekiang recepta est[118].

Inter 1632/1671 per 20 missionarios dominicanos circiter 10000 Sinenses baptizati sunt, inter quos 70 litterati, 12 virgines Sinenses Deo se consecrarant[119]. Propter persecutionem anni 1665 pp. Navarrete, Philippus Leonardo, Dominicus Sarpetri in exsilium Cantonense missi sunt, ubi cum 23 Iesuitis et Antonio a S. Maria O. F.M. de methodo in convertendis Sinensibus tractabant[120]. Restaurata 1671 missio Fukiensis per visitatorem apostolicum Franciscum Pallu 1684 laudata est. Per Dominicanos tunc temporis sacerdotes seminarii Parisiensis exterarum missionum ad campum Sinensem introducebantur, quos in causa rituum socios habebant[121]. Sicut 1692 libertas religiosa concessa incrementum lucri animarum auxit, ita causa rituum postea recrudescente, favor imperialis in missiones mutabatur in persecutionem, quae 1723 incoepta 1746 acrius saeviebat, Ioanne Alcober, Francisco Serrano, Francisco Diaz, vicario apostolico Petro Sanz, Ioachim Royo captis. Dum Petrus Sanz capitis paenam luit, alii strangulati sunt[122]. Missio Fukiensis anno 1722 ecclesias 37 possedit et anno 1756 adveniente novo vicario apostolico Francisco Pallas in districtu de Fuan 20000 christiani numerabantur, quibus addendi sunt christiani de Chekiang, Kwangsi et 3000 de Foochow, qui ex iurisdictione Iesuitarum ad Dominicanos transibant. Ex his autem christianis de Foochow media pars tantummodo decretis Benedicti XIV obtemperavit. Tranquillitate quadam sequente missionarii sedulo utebantur.

Pallas anno 1760 christianos suos 26000 numeravit, at multi a praxi fidei deficiebant et schisma quoddam sacerdotum minabatur unitatem operis conversionum, decrescente statu christianorum anno 1794 ad 18000[123].

Institutio virginum Sinensium, quae missioni Sinarum non solum mulierum, sed et in genere tanta incrementa afferebat, maxime nostris ab anno 1645 debetur[124].

Quoad methodum laborandi, dissensus missionariorum[125] societatis Iesu et aliorum ordinum in eo fundabatur, quod illi honores defunctorum et Confucii christianis concedebant, praeter nomen Dei (Tienchu-domini caeli) aliud Tien (caeli) et Schangti (domini supremi) adhibebant, mitigationes in praeceptis ecclesiae et administratione sacramentorum assumebant. Dissensus, qui inter ipsos missionarios Iesuitas exsistebat ab his eo solutus est, ut caerimoniae Sinenses velut cultus civiles considerarentur, nominibus Tien et Schangti ad deum designandum prohibitis. Prodeuntibus pp. Morales O.P. et Caballero O.F.M. in vineam Sinensem, qui caerimoniis Sinensibus favendum minime censebant, et disputationes de hac re in urbe Foochow et processus instituebantur. Acta processualia p. Caballero Manilam portavit, Morales in eadem re 1643 Romam veniente, ubi Iesuitarum accomodationem 1645 damnari impetravit[126].

Post decretum Alexandri VII ad instantiam p. Martin S.I. anno 1659 quaedam concedens, anno 1669 Clemens X (post alias decisiones factas) inter ritus civiles et religiosos distinxit, sed vicarius apostolicus de Fukien Carolus Maigrot 1693 accomodationem Sinensem reprobavit. Quod et 1700 theologi Parisienses et 1704 Clemens XI fecerunt. Delegati apostolici de Tournon Pekini 1705 solemniter receptus (in captivitate † 1710), Mezzabarba (1720) quoque et definitive exacto a missionariis iuramento Benedictus XIV 1742 contra admissionem rituum Sinensium decreverunt[127]. Ex quo factum est, ut simplicibus praesertim evangelium proponeretur, dum plerumque litterati nimio cultu Confucii ab amplexanda vita christiana detinebantur. Ex nostris Dominicus Fernandez Navarrete et Dominicus Sarpetri Siculus prius praxim Iesuitarum secuti sunt. Post discussiones Cantonenses autem Navarrete in Urbem rem explanaturus contendit et in Hispania volumina tria de Sinensibus missionibus complevit, quorum primum 1676 Matriti pro-

diit[128], secundum autem 1679, antequam publicaretur, ab inquisitoribus Hispaniae suppressum est, ita ut pauca exemplaria supersint.

In Iaponiam, quam Lusitani 1542 primum intraverant, Iesuitae exclusive missionem suscipere voluerunt postea brevi Gregorii XIII anni 1585 innitentes[129]. 1592 Ioannes Cobo legatus gubernatoris Philippinarum ad Iaponenses missus est. Ab anno 1602 saepius missionarii dominicani Iaponiam appulerunt. Eo anno e. g. 5 pro Satsuma in insula Kiu-Shiu, ubi 2 ecclesias aedificarunt. Ex Satsuma eiecti, 1608 in regione Figen duce p. Mena missionem locarunt. Instigantibus Hollandis et Anglis Daifusama 1612 et 1614 severas leges in christianos et missionarios tulit. Quare sub Xongusama persecutio vehementissima incoepit[130], in qua die 1 iunii 1617 Alphonsus Navarrete vicarius provincialis pro Iaponia in insula Takushima decapitatus est[131], die 10 septembris 1622 in magno martyrio de Nagasaki Franciscus Morales, Angelus Orsucci, Alphonsus de Mena, Iosephus de S. Hyacintho, Hyacinthus Orfanel, 12 septembris Thomas Zumarraga, 29 iulii 1627 Ludovicus Beltran, 8 septembris 1628 Dominicus Castellet ingenti serie fratrum indigenarum, catechistarum, tertiariorum, rosariantium[132], anno 1637 Thomas de S. Dominico Courtet[133] variis cruciatibus pro Christo obierunt. Durante hac periodo persecutionis missionarii novi semper antiquos absolverunt. Anno 1635 Augustinus de Plagis episcopus Iaponiae nominatus est[134]. Christianorum Iaponiae totalis numerus anno 1625 ad 600000 aestimatur[135]. Plures indigenae ad habitum et ordinem Praedicatorum assumpti sunt[136]. Periit tamen christianismus in Iaponia fere totus sub impetu persecutionum.

In Coream anno 1630 aliqui Dominicani ex Philippinis profecti sunt, qui tamen ad terram assignationis non venerunt[137].

§ 79. Servitia pro Ecclesia.

Generaliter merita, quae ordo Praedicatorum hac aetate Ecclesiae afferre non desinebat, in ampliando regno Dei, in vigorosa assertione traditae veritatis religiosae contra novatores, in sedula collaboratione pro restauratione catholicae disciplinae, in fideli adhaesione ad S. Sedem durantibus quaestionibus Iansenismi, Gallicanismi, Probabilismi, rituum Sinensium, Illuminatismi consiste-

bant. Particulariter autem et personae dignissimae atque institutiones novae et continuata inquisitio inspiciantur, cum quibus omnibus nomen dominicanum honorificum fastis ecclesiasticis nectitur.

S. Pius V velut exsecutor Tridentinorum decretorum et efficacissimus catholicae restaurationis propugnator[1] celebratur, ad cuius exemplum Pontifices Romani se gerebant[2]. Pius V vitae sanctitate non minus quam zelo reformationis cleri utriusque et monialium et coetuum religiosorum ac laicalium excelluit. Liturgiam sacram, doctrinam sanam, puritatem fidei, ampliationem christianitatis[3], defensionem culturae occidentis contra arma haereticorum et Turcarum[4] animo, prece, statutis et factis tuebatur. Alter e Papis nostris Benedictus XIII pietate clarus, iubilaeum anni 1725 et canonizationes anni 1726 religiose celebravit[5].

In cardinalitia dignitate Ecclesiae adfuerunt e. g. Caietanus, cuius auctoritas in Urbe iam ante receptam purpuram invaluerat[6], Ioannes Alvarez Toletanus, Michael Ghislieri, Michael Bonello, Philippus Thomas Howard, Thomas M. Ferrari, Vincentius L. Gotti, Ioannes Thomas de Boxadors[7]. Seriem episcoporum[8] decorarunt Itali Ghislieri, Ninguarda, Galamini[9], Orsini, Germani Ioannes Fabri (Viennae), Ioannes Mensing, Petrus Rauch[10], Dominicus de Gentis (Roeremundae et Antverpiae)[11], Hollandus Michael Ophovius[12], Galli Guillelmus Piati, Antonius Du Four, Michael Mazarin, Hispani Didacus Deza, Bartholomaeus Carranza, Petrus de Tapia, Hieronymus de Lanuza, Melchior Cano, Lusitanus Bartholomaeus de Martyribus[13], in Indiis Bartholomaeus de las Casas, Hieronymus de Loaysa, Dominicus de Valderama[14], Thomas de S. Martino, Dominicus Salazar (Manilae), Henricus de Tavora (Goae), Michael Rangel (Cochin), Gregorius Lo[15] primus Sinensis genere titularis episcopus Basilitanus ac vicarius apostolicus de Nankin, aliique indefessi pastores gregis dominici in sedibus residentialibus vel in munere auxiliario, in vicariatibus apostolicis[16].

Legatione pontificia fungebantur Caietanus in Germaniam et Hungariam [17], Schönberg in Poloniam, Germaniam, Galliam[18], Leonardus de Marini, Vincentius Iustiniani, Nazarius, Bonello, Ayala, in Hispaniam[19]. Felicianus Ninguarda nuntius in Germania superiore 1578/83[20], Barnabas Fedeli ad regem Persarum nuntius apostolicus[21] exstitit. Imperituram memoriam meretur Felicianus Ninguarda († 1595) qui ab anno 1554 Viennae docens, ab archiepiscopo Salisburgensi ad concilium Tridentinum orator delectus et a

Pio V ac Maximiliano imperatore commissarius et visitator universorum regularium per Germaniam constitutus est. Per Austriam, Bohemiam, Bavariam, Helvetiam, pro religiosis, pro reformandis ecclesiis Salisburgensi et bavaricis, pro concordato bavarico circumspectione et integritate, magna animi fortitudine, labore indefesso egit[22]. Sixtus Carcano et Sebastianus Cattaneo suffraganei Gurcensis et de Chiemsee ecclesiae germanicae serviebant[23], quae exemplo malorum religiosorum Italorum[24] magis adhuc periclitabatur. Augustinus Quintius a Gregorio XIII visitationem Bosniae finire iussus est[25].

Sessionibus concilii Tridentini imprimis Dominicus de Soto interrat, qui «de natura et gratia libros 3» mandantibus patribus scripsit decretumque de iustificatione redegit. Romeo ordinis magister, Bartholomaeus Spina, Ambrosius Catharinus in prima periodo concilii eminebant, dum in altera Melchior Cano, Bartholomaeus Carranza, Aegidius Foscarari, Ambrosius Storch, magister Romeo, in tertia autem magister Iustiniani cum socio Cavalli, comitatus a Bartholomaeo de Martyribus archiepiscopo Bracarensi, Leonardo de Marini archiepiscopo Lanciano, Antonio Havet episcopo Namurcensi, Aegidio Foscarari, episcopo Mutinensi, Camillo Campeggi inquisitore, Ioanne Gallo professore Salmantino aliique conspicuos se reddiderunt[26]. Magister Iustiniani episcopos dominicanos 18 et theologos suos 27 Tridenti praesentes salutavit[27], ex quo momentum doctrinae et prudentiae nostratum ponderetur. Anno 1562 legatis pontificiis petitio de redigendo catechismo porrigebatur, qui expositionem fidei catholicae quibuscumque eam scrutari volentibus compendiose daret. Inter plures huic operi destinatos theologos cardinales Seripandus, tres Dominicani Leonardus Marini, Aegidius Foscarari, Franciscus Foreiro, et Mutius Calinus episcopus Zarensis tamquam sapientiores recensentur. Defuncto Seripando cardinalis Carolus Borromaeus cum dictis tribus fratribus Praedicatoribus ac Calino rem urgebat. Qui ultimus tamen potius revisor latinitatis quam redactor fuit.

Ita sub Pio V 1566 catechismus Romanus typis Manutii mandatus est, cuius exaratio tanta ratione Dominicanis tribuitur[28]. Versionem italicam huius catechismi Alexius Figliucci curavit[29]. Iidem patres de Marini, Foscarari, Foreiro et missale et breviarium Romanum iussu consessus Tridentini corrigenda castigatiore modo ediderunt[30]. Denique reformationi kalendarii Ignatius Danti

magnas curas velut assessor commissionis 1576/77 ad id institutae applicavit[31]. Constabile et Fabri in paranda impressione nova Corporis iuris canonici summopere enituerunt. Sic fidei catholicae expositio, Ecclesiae preces, computus ac codex in forma ex decretis Tridentinis desiderata studiis fratrum Praedicatorum praecipue perfecta sunt.

Saeculo XVI et collegium paenitentiariorum Liberianorum et ortus s. congregationum Inquisitionis (S. Officii) atque Indicis intime cum nomine Praedicatorum iunguntur. Pius V 1568 rem confessionis in basilicis Lateranensi, Liberiana, Vaticana ita disposuit, ut in prima fratres Minores, in altera fratres Praedicatores, in ultima patres societatis Iesu paenitentiarii essent. Paenitentiarii Liberiani tamen characterem restrictiorem ex initio praeseferebant, cum ex unica provincia Romana et ex unica lingua italica desumerentur[32].

Contra pericula ex parte novatorum ubique, sed et vehementer in Italia ecclesiastico gregi illata, Paulus III consilio hominum severiorum nempe cardinalium Carafa et nostri Ioannis Alvarez ac S. Ignatii de Loyola motus ad generaliorem inquisitionem stabiliendam die 4 iulii 1542 cardinales sex nominavit Ioannem Alvarez, Thomam Badia, Carafa, Parisio, Guidiccioni, Laurerio. Die 21 iulii res universalis ita ordinata est, ut pro omnibus terris officium inquisitionis centrale Romae esset. Cui universali inquisitionis officio cardinales Carafa et Alvarez ceterosque quatuor nominatos Papa praeposuit[33]. Ad iuvandos cardinales inquisitores et commissarius S. Officii ex ordine Praedicatorum datus est, qui primus Theophilus Scullica Calaber exstitit, alter vero Michael Ghislieri[34]. Insuper theologi cooperatores postea consultores vocati numero 5 aderant, quorum 2 magister generalis Praedicatorum et magister S. Palatii consultores «nati» habebantur[35]. Per bullam 18 maii 1566 Pius V commissarium generalem S. Officii in possessionem palatii noviter erecti misit[36].

Commissarii S. Officii munus apud Dominicanos mansit, qui et secretariatum Indicis fere ab initio tenuerunt. Congregatio Indicis per Pium V 1570 coepta est, magistro S. Palatii Manrique regulas de prohibitis libris compilante[37].

Ex historia inquisitionis exempla quaedam citentur, quae non solum difficultates inquisitorum, sed et zelum et merita ostendant. Iacobo de Hochstraten inquisitori Coloniensi et Ioanni Reuchlin

humanistae famosissimo ab imperatore atque ab archiepiscopo Maguntino commissum est, ut examinarent propositionem Ioannis Pfefferkorn cuiusdam, qui ex Iudaeo catholicus effectus est, de tollendis libris talmudicis, quorum usum obstaculum conversionis Iudaeorum ad fidem veram arbitrabatur. Theologi Colonienses cum Hochstraten contra universos libros Iudaeorum excepta biblia cognoverunt. Accessit lis privata Pfefferkornii cum Reuchlino, cuius Speculum oculare post placita theologorum Coloniensium, Lovaniensium, Erfurtensium, Parisiensium a Hochstraten damnatum est. Reuchlinus humanista Papam humanistam appellavit, spiritibus ubique excitatis, curia Romana ancipite haerente. Hochstraten per annum frustra Romae commorabatur, dum provinciae Teutoniae tota quaestio odiosa cessit.

Nonnisi ex amico foedere protestantium et humanistarum Romani tandem clare viderunt, Hochstraten honori restituto[38].

Ex Galliae inquisitoribus Matthaeus Ory ad sororem Francisci I Ferrariae duci nuptam missus est, ut eam a contagione Lutherana liberaret, quod Ory utique non contigit. Raymundus Gosin inquisitor Tolosanus et in patria et Romae liberam officii expositionem per viros adversarios negatam vidit[39].

Itali inquisitores per regiones Venetiarum et Lombardiae indefessi insinuationibus haereticorum resistebant. Ab anno 1540 Mutinae, Lucae, Neapoli centra heterodoxorum inveniebantur, quibus eliminandis et inquisitio Romana (contra Lucenses)[40] et Ambrosius Catharinus (contra Mutinenses et Neapolitanos scribens et agens)[41] operam navabant, Paulo Butigella, Hieronymo Muzzarelli maximeque Michaele Ghisleri inquisitoribus famosis Lombardiae exsistentibus[42], qui et Italiae bonum fidei magnis sacrificiis servaverunt[43]. Propter deficientem relationem ad res fidei ac morum pictor Paulus Caliari Veronensis ad Venetiarum tribunal inquisitionis adscitus est, coram quo de figuris non historico modo formatis respondere anno 1573 debuit[44]. Galileus Galilei physicae, mathematicae, astronomiae peritus ob doctrinam de mobilitate caeli et motu terrae ac si contra scripturam sacram esset et ob incautum modum loquendi primum s. congregationi Indicis et postea S. Officio praesentatus est. In Galileana quaestione Dominicani Caccini, Lorini, Riccardi et cardinalis Bellarmino S.I. partes adversas, p. Maculano O.P. partem scientificam egerunt[45].

Inquisitioni italicae res et de duobus fratribus Praedicatoribus apostata uno et altero satis quoque curioso erat. Iordani Bruno illi nomen, qui ingenio abstruso pariter atque enthusiastico pollens studiis naturalibus et philosophicis ardenter in ordine vacavit. Quo relicto postquam Europam errans circumcursavit Venetiis 1592 ab inquisitione captus, mox Romam portatus, die 8 februarii 1600 precibus magistri ordinis et vicarii Mirandola minime flexus, in campo Flori igni traditus est[46]. Thomas Campanella animum naturalibus scientiis praeprimis aperuit, sermone latino sicut et theoriis moralibus politicisque, imo et seditione politica contra iugum hispanicum per Italiam inferiorem famosus a s. Officio Neapolitano carceri annorum 28 deputatus est, ex quo egressus Parisiensem conventum S. Honorati petivit, ubi 1639 obiit[47].

In Hispania Bartholomaeo Carranza archiepiscopo Toletano ab inquisitore confratre Valdes persecutio atque incarceratio irrogata est, quae nonnisi per constantiam Pii V in deportationem Romanam accusati Bartholomaei mutari potuit. Sub Gregorio XIII abiuratis quibusdam propositionibus confictis, cum falsae non haberentur, Carranza liberatus est[48]. Dominicus Bañez, qualificator S. Officii variam cum inquisitione relationem habuit[49]. Deinde volente Philippo III ad supremum inquisitionis tribunal pro Hispania et Lusitania fratres duo nostri assumebantur[50].

Controversiae Praedicatorum et societatis Iesu de gratiae auxiliis, ab inquisitione hispanica tempore labente Romam translatae sunt[51] causam illarum congregationum de auxiliis dantes. Lis autem rituum in extremo oriente inquisitionem Romanam pluries occupavit[52], dum inquisitio Goaensis ius Lusitani patronatus in missionarios ab ipsa s. congregatione Propagandae fidei destinatos incarceratione missionariorum defendere debere interdum credidit[53].

§ 80. Merita de societate civili et de artibus.

De rebus publicis nostri bene meruerunt, cum munera consiliariorum, legatorum, confessariorum moderatorum statuum ac patrii iuris defensorum se praestarent et industrias suas infirmis, periclitantibus, erudiendis libenter applicarent.

In Hispania Didacus Deza causa fuit, quod reges catholici dominia Americana possiderent, prout Columbus confessus est, suo protectori Deza memoriam gratissimam servans[1]. Pro ditione hi-

spano-americana Bartholomaeus de las Casas ab aliis fratribus in hoc secutus « indigenas non modo e satanae servitute eripiendo sed etiam ab improborum hominum dominatu et iniuria protegendo merito nobilitatus est inter vindices humanae dignitatis »[2]. Iuveni principi Carolo V (I) contra insurgentem factionem tum Garsias de Loaysa tum Ioannes Hurtado fidelitatis documenta tribuebant[3] dum Dominicus de Soto ei postea a consiliis fuit[4]. Cum defensio fidei expulsionem Moriscorum e Hispania saeculo XVII intrante exposceret Iacobus Bleda et Damianus de Fonseca super materiam hanc vota scripserunt[5]. Si Victorius Ricci († 1676) pacem inter Sinenses et gubernatorem Philippinarum conciliavit[6], si 1763 rector universitatis Manilanae armatis manipulis studentium comitatus insulas Philippinas contra Anglos et Hollandos defendere suscepit[7], Antonius de Monroy velut archiepiscopus Compostellanus non solum 1702 nautas militares Hispanos Gallosque iunctos in civitate sua tecto et cibo recreavit verum etiam in successionis hispanicae quaestione partes Philippi V asseruit[8]. Regibus catholicis a confessionibus erant e. g. Garsias de Loaysa, Petrus de Soto, Ludovicus Aliaga, Ioannes a S. Thoma, Franciscus de Relux[9].

Apud Lusitanos Iosephus de Texera ab anno 1580 animo flecti nescio pro re nati regis contra occupationem Hispanorum egit, exsilium in Gallia prae subiectione Hispanis eligens, dum venerabilis vitae Ioannes e comitibus de Vimoso dominationem Philippi II per Lusitaniam agnovit[10]. Nicolaus Diaz autem eam abhorrens ad tempus in Hispaniam deportatus fuit[11].

In Gallia Petrus Martin confessarius principissae Annae, filiae Ludovici XI, de educatione filiorum nobilium tractatum composuit[12], confessariis regiis Ioanne Clerée et Guillelmo Parvi existentibus, dum reginae quoque haud una vice Dominicanos ad conscientiae moderamen advocabant[13].

Familiariter cum dominantibus gallicis Sebastianus Michaelis, Ioannes Baptista Carré, Thomas Campanella conversabantur[14]. Michael Mazarin, frater cardinalis Iulii Mazarin, vice rex Catalauniae ad tempus et mox legatus Ludovici XIV apud S. Sedem destinatus est[15]. Hyacinthus Serroni Michaelis Mazarin sequax, ad sedem episcopalem Arausicanam aliamque postea promotus, varie pro negotiis publicis adhibebatur ut pro visitatione generali Catalauniae[16].

Mariae Stuart reginae Scotiae a confessionibus erat Rochus Mamerot, quem secum e Gallia duxerat[17]. Itali fratres publico negotio vel gentis suae profectui intendentes nominentur Reginaldus de Montoro Siculorum legatus ad Ferdinandum Hispaniae regem[18] Et Campanella pro Calabriae independentia certavit[19]. Ragusaea res publica Dominicum a Gravosio ad aulas Clementis VIII et imperatoris Rudolphi II legatum misit[20], sicut pariter Soliman rex Persarum Dominicanum Antonium Napari Armenum delegit, quem 1671 ad tractandum cum Ludovico XIV et Papa in Europam mittebat, praecepto ut legatus suus terras Turcarum vitaret[21]. Vindobonae theologi aulici Guinandus Wynans[22] apud Leopoldum et Bernardus Ribera[23] prope Carolum VI erant.

Caritatis et misericordiae opera per orbem terrarum continuo a filiis S. Dominici peragebantur, licet aliqua vel notiora vel mirabiliora essent. Michael Malespina (┼ 1631) pluries lue grassante Florentiae languentibus sacramenta administravit, relicto baccalaureatus munere et vitae periculo neglecto. Victima ipse caritatis tandem evasit. Albertus Maltese Panormitanus 1743 pariter lue infectos corporaliter et spiritualiter recreabat donec eadem calamitate e terra viventium abriperetur[24]. Martinus Porres domum nothis recipiendis erexit et miseriis quibuscumque sublevandis insudavit vel animalibus animum suum admovens. Manilae hospitium S. Gabrielis[25] opera misericordiae perficiebat, in quo ardentes devotione et abnegatione missionarii, ut Franciscus Capillas, infirmis serviebant. De institutis et factis caritatis missionum sermonem texere longum esset.

Officinae typographicae nostrorum in ditionibus variis constructae, momentum suum ad erudiendos instruendosque populos feliciter contulerunt. Earum notiores fuerunt Manilana[26], Toletana, Calaritana[27].

Musas diversas maxime sacras, sed et profanas, colebant imprimis structores quorum famosissimus Ioannes Giocondo (Fra Giocondo ┼ 1529) Veronensis, sicut litteris et rei antiquae notione excelluit ita tamquam architectus inclaruit, Parisiis pontem egregium aliaque opera complens, Venetiis ripas adornans, Tarvisii munimenta excitans, Romae sapientem curam ac moderationem basilicae S. Petri erigendae gerens[28]. Franciscus Colonna castigati textus Vitruvii editor artem architectonicam exercuit, dum Ignatius Danti conventum Boschensem aliaque aedificia e solo erexit[29]. Si

Dominicus Portigiani, Silvester Paganelli, Andreas de Resende, conversus frater Iosephus Nuvolo, Andreas Cirincione, Thomas Napoli, Paglia, Bellipotius religiosis structuris intendebant[30], alii ut Vincentius Maculano apud Ianuenses, Melitenses et in Urbe, Antoninus Ambrogini, Ianuarius d'Afflitto[31], Ioannes B. Labat in Antillis et in Italia, (┼ 1738)[32], Franciscus Romain (┼ 1735)[33] in Belgio, Neerlandia, Gallia operam architecturae civili et militari dederunt.

Ad sacras aedes ornandas fratres nostri sive formatores (stuccatori) Ignatius et Cassianus della Quercia (s. XVII)[34] sive sculptores sedium choralium ligneorum et quidem Bononiae apud S. Dominicum Damianus de Bergamo, Hispali in cathedrali Franciscus Salmantinus, S. Maximini Vincentius Funel concurrerunt, quibus Damascenus Schnarch e conventu Brunnensi Bohemiae adnumerandus[35]. Eximia prorsus in aere fundendo Dominicus Portigiani (┼ 1601) praestitit, qui Florentiae urnam S. Antonini, Pisis valvas cathedralis ecclesiae, pro Hierosolymitano templo S. Sepulchri altare nunc Crucifixionis Latinorum dictum aliaque sui ingenii monumenta reliquit[36]. Sculptor egregius Claudius Borey sarcophagum S. Thomae Tolosae 1628 fabrefecit, quod impiorum rebellium manus 1790 destruxerunt. Sculptoriae artis intelligentiam et delineandi peritiam Baptista Monnyer ostendit, qui formam statuae S. Dominici pro basilica S. Petri de Urbe sculptori Le Gros dedisse dicitur[37].

Pingendi arte celebris fiebat ante omnes Bartholomaeus della Porta (┼ 1517), qui sub Savonarola unice Christo lucrifactus sub Sancte Pagnini pingendi peritiam in religionis ornamentum unice denuo reassumpsit[38]. Eius discipulus Paulinus Pistoriensis sicut et Antonius de Pace, Sanctes Tosini Itali, Henricus et Ferdinandus Tavora Lusitani, Ioannes B. Mayna Hispanus, Petrus Thys, Ioannes Vasoens et Thomas Lenaers Belgae, Raymundus Kunrath Germanus, Ioannes André, Ioannes Hault, Baptista Monnyer Galli seriem dignam operum pictoriorum praesentarunt[39].

Codicum illuminatio usitata iam arte typographica minime cessavit, prout inter alios Eustachius Florentinus (┼ 1555) celebratissimus aevi sui miniator, Fr. Suquet (s. XVIII) Antverpiensis, Benedictus et Antonius Breiss (s. XVIII) demonstrant[40]. Metalli incisio, quae arti miniaturae plerumque succedebat, per Cornelium et Dominicum conversos Pragenses (s. XVIII)[41] et Carolum Landry (s. XVIII)[42] exercebatur. Ars colorum vitris inducendorum

magistrum mirae famae Guillelmum de Marcillat (✝ 1537) nacta est dignisque artifices pariter Pastorinum Senensem, Guillelmi discipulum, et Petrum van Keeren (✝ 1729)[43].

Musicos modos vel invenerunt vel conscripserunt Michael Vehe (✝ 1539) qui primus librum canticorum spiritualium catholicum in Germania edidit quod pro summo cultu huiusmodi canticorum illius regionis meritum maximum est[44] et Carolus Winkius ✝ 1582[45], Angelus Ignannini, Hippolytus Ciera[46] qui missas et cantus composuerunt, Nicolaus Toscano et Thomas a S. Maria musicae periti[47], mox in saeculo XVII a Raymundo D'Amico, Dominico Carapisi, Philippo Wycart[48], in saeculo XVIII a Sigismundo Jüstel[49] secuti. Si Philippus Arnold 1721 cantum nostrum organo accomodatum typis edidit[50], Gregorius de Mons in aula Philippi II[51], Innocentius Jerković in servitiis reipublicae Ragusinae[52] arte organo utendi excellueranṫ. Etiam Albertus quidam Germanus velut organista et cantor inclaruit[53], dum Theodorus Gosseau cantor modulatissimus[54] nominatus est.

Tandem poesi se devoverunt non solum Philippus Manna, Angelus Martini, Albertus Pascaleus, verum magis Matthaeus Bandello (✝ 1555), Dominicus Baglioni, Ioannes B. Bracceschi[55], Caspar Borges[56]. Didacus de Ojeda scitur «cecinisse pie eleganter admodum luculenterque La Christiade sive de vita Christi poema octoadibus compositum libris XII, Hispali, Didaci Perez 1611 in 4»[57]. Matthaeus d'Anna praecipue tragoedias christianas sanctorum confecit, dum Ioannes B. Spadius (✝ 1660) « vir praecelsi et elegantis ingenii amoeniores musas in quibus parem sua aetate neminem habuisse fertur sacras et religiosas fecit », Francisco Penon (✝ 1699) carmina varia de Summa Aquinatis hymno rhythmico canente[58]. Dominicus Caieres (✝ 1709) poémate elegiaco excelluit[59].

IV. Evolutio ditionum ordinis. Statistica generalis.

Sub novis conditionibus, quae saeculum XVI humanitati et hominum coetibus praeparabat, deficientibus a religione terris et provinciis septentrionalis Europae et aperientibus se regionibus Indiarum coram Hispanis ac Lusitanis mappa geographica ordinis ex parte limitabatur, at ex alia ampliata est. Hac aetate durante ditio hispanica in ordine dominium quoddam obtinuit.

§ 81. Provinciae linguae hispanicae et lusitanae.

Provincia *Hispaniae* in saeculo XVI ad fastigium singulare reputationis et famae ascendit. In capitulo generali 1505 translatio congregationis Hispaniae in provinciam facta per Iulium II acceptata est Didaco Madaleno, priore provinciali appellato. Quartus provincialis reformatae provinciae Garsias de Loaysa delectus est.

Crescente numero fundationum, e. g. Mombeltranensis et Ovetensis 1522, Cacerensis, Conchensis, Ocensis, Talabricensis Matritensis de Atocha 1527, Bilbaensis et Complutensis S. Thomae 1529, S. Sebastiani 1531, Complutensis Matris Dei 1566, Matritensis S. Thomae 1589, Lermensis 1607, Matritensis SS. Rosarii 1612, aliarumque, influxus provinciae semper extendebatur. Matritensis domus sub titulo Passionis, a fratribus ad aulam catholici regis accedentibus visitari solita, anno 1725 in formalem conventum erecta est. Ex magnanimitate procerum Hispaniae in fratres nostros, amicae relationes inter illos et ordinem inceperunt. Imo benefactor eximius dux de Lerma patronus hispanicae provinciae nominatus est.

In curia regia fratres bene accepti, munera haud spernenda pro societate ecclesiastica et civili impleverunt, quibus et nomen dominicanum magni fecerunt. Doctrina, praedicatione, missionibus apud infideles, inquisitione, Hispani nostri floruerunt. Celebria collegia Salmantinum et illud S. Gregorii Vallisoletani 1502 et illud Complutense insignibus prorsus magistris regebantur. Tantae operositatis ac floritionis fructus r.mus p. Cavalli in visitatione sua libenter agnovit[1].

Pro *Aragoniae*[2] congregationis vel provinciae vita intelligenda notetur ditionis vastitas, quippe quae per Catalauniam ad partes Valentinas, ad insulas Maioricarum et Sardiniae extendebatur. Cum harum diversarum partium ratione cohaeret, quod nationes speciales formarentur, quae suas intentiones et placita in compagine provinciae defendere cupiebant. Dum pontificio decreto congregatio observantiae in ditione Aragonensi dissoluta fuit, capitulum generale Romanum 1532 exstinctionem huius congregationis et unionem eius cum provincia Aragoniae reformata denuntiavit. Postmodum fratres Sardiniae insulae propriam administrationem (1615) receperunt.

Status provinciae Aragoniae 1613 exhibet conventus per Catalauniam, Aragoniam, Valentiam, Maioricas 53, fratres vero uni-

versim 1032. De statu fratrum Sardiniae provincialis Aragoniae tunc non respondit. Pro tanta multitudine membrorum nil mirum, si decem conventus studiorum formalium in hac provincia essent, quibus 1699 concessione pontificia Innocentii XII conventus S. Ildefonsi Caesaraugustanus addebatur, ne eius filii observantiae cultores severiorem vitae rationem apud alia studia desiderarent.

Pro magna sua extensione provincia Hispaniae divisionem sui territorii in capitulo provinciali Cordubensi 1513 utilem ac necessariam esse duxit. Quapropter magister ordinis Caietanus Leoni X supplicavit, quatenus provinciam Hispaniae divideret iuxta situm conventuum respectu fluminis Anae, vulgariter Guadiana nuncupati. Quod et decreto pontificio 10 octobris 1514 factum est, conventibus citra Anam provinciae Hispaniae, aliis ultra Anam provinciae Andalogiae (Andaluciae) sive *Baeticae* adiudicatis. Ad hanc provinciam et meridies Hispaniae et conventus in Africa vicina (Oran, Canarias) atque in Indiis spectabant, numeratis mox huius provinciae conventibus 32, circa 1600 autem domibus fratrum 56 et sororum 49. Dum capitulum generale Neapolitanum 1515 Baeticam acceptat, Christophorus de Guzman primus provincialis occurrit. A provincia Baeticae primum provincia Americana S. Crucis 1530 et deinde vicaria Canariarum 1644 separatae fuerunt. Conspicuo fratrum numero, haec provincia et ordinis magistrum generalem Albertum de Casaus, dioecesibus pluribus pastores cathedris doctrinae et praedicationum viros profundos et ardentes, litteris sacris Ludovicum Granatensem protulit. Insuper e fratribus Baeticae multi in Indiis tum occidentalibus et orientalibus, etiam post separationem provinciarum illarum membra dignissima ad communia officia et labores evangelicos subministravit.

Nostri 1510 pedem in America fixerunt, 1512 primo conventu apud S. Dominicum erecto. Fundationes haec tum in insula Hispaniolae (S. Dominici) aliisque tum in terra firma iuxta desiderium Dominici de Mendoza sociorumque administrationem propriam constituere debebant, quod autem Garsias de Loaysa magister generalis nondum plene concessit. Etenim placuit ei conventus et domus Americae in congregationem adunare, cui vicarius provincialis sub moderamine provinciae Baeticae praeesset. Anno 1525 mortuo p. Petro Cordubensi missionis indicae rectore, eius successor Thomas de Berlanga Urbem petens r.mo p. Butigella rem Americae tali successu exposuit, ut capitulares generales anni 1530 acceptaverint

« conventus omnes iam constitutos et in posterum constituendos in insulis occidentalibus repertis ab anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo et in nova Hispania et terra firma noviter inventa pro provincia sub nomine *S. Crucis*[4], declarantes huiusmodi conventus esse separatos a provincia Baeticae et posse eligere unum provincialem, qui dumtaxat per quadriennium duret et completo quadriennio non possit immediate reeligi et cum electus fuerit.. per provincialem antiquum volumus ipsum esse confirmatum», instituto provinciali Thoma de Berlanga. In capitulo generali 1532 provincia S. Crucis de Insulis seu de Terranova iterum agnoscitur. In comitiis anni 1536 velut definitor suae provinciae Stephanus a Castella apparet. « Antiquior inter omnes novi orbis provincias » haec ditio S. Crucis 1551 filias provinciam Mexicanam. Peruanam et Novi Regni Granatensis emisit.

Per eam via ex Hispania vel ex America ducebat. Ideo anno 1601 per capitulares generales considerata angustia conventus de la Havana, qui difficulter fratres proprios continebat et multo minus hospites a provinciis Indiarum ad Hispaniam transeuntes, «qui tamen non possunt ad eundem conventum non declinare et diutius quandoque ibi manere » ordinatum est, ut provinciae Indiarum singulae ibi cellam unam sumptibus suis construerent. 1618 attenta provinciae paupertate fratres studentes ad Hispaniam missi conventibus extraneis contributionem solvere non tenebantur. Dum in saeculo XVI studium generale apud S. Dominicum exstitit, in saeculo XVII in conventu S. Thomae de Puertorico invenitur.

Fratres Praedicatores duce Dominico de Betanzos *Mexicum*[5] penetrarunt, a provincia Baeticae dependentes. Erecta 1530 provincia S. Crucis etiam domos Mexicanas complectebatur. Incommode autem vasta illa ditio ordinis per unum provincialem regi potuit. Quare Betanzos Urbem adiit, constitutionem propriae provinciae postulaturus. Ioannes Du Feynier magister ordinis petitioni huic favens Papam allocutus est, qui die 11 iulii 1532 divisionem provinciae S. Crucis peregit, ita ut haec provincia deinceps insulam Hispaniolam cum adiacentibus insulis de Cuba, S. Ioannis, Portus divitis, Iamayca contineret, dum nova provincia S. Iacobi novam Hispaniam seu Mexicum haberet. Patres Salmantini 1551 taliter provinciam S. Iacobi definiunt « habet novam Hispaniam a terra Tequantepeque exclusive usque ad Floridam ». Post gubernium provinciale, quod Betanzos digne primus gessit, dum Romam

et Hierosolymas officiorum et pietatis causa pergeret, Vallisoleti 14 Septembris 1549 obiit. Cum provinciam S. Iacobi velut stationem ad missiones Asiae orientalis fundatores ipsius provinciae considerarent, nil mirum si ipsi maxime in erectionem provinciae specialis missionariae Philippinarum influxerint.

Uberrima exempla virtutum, quibus magnanimi fratres Mexicani elucebant, merita protectionis Indorum, cura instructionis multiformis christianae et theologicae atque universitariae, indefessus labor missionarius hanc provinciam decorabant. Ab ea 1551 provincia de Chiapa et Guatemala, 1592 illa Oaxacensis, 1656 illa Angelopolitana segregatae sunt, dum ipsa conspicua semper mansit. Medio saeculo XVI huic provinciae fuisse dicuntur conventus maiores Mexicanus (qui plusquam fratres 100 alebat), Angelopolitanus, Oaxacensis, minores Verae Crucis, S. Ioannis de Ulloa, deinde domus 22 in districtu Mexicano, 17 in districtu Mistecae, 21 in districtu Zapotecae ac collegium unum prope Tlascala.

Salmantino capitulo generali 1551 noviter circumscribente provincias Americae « a litore Artico ad oppidum de Guazaqualco inclusive ita quod contineat quatuor episcopatus videlicet de Chiapa, Guatimala, Nicaragua, Honduras » provincia ordinis S. Vincentii de *Chiapa*[6] definita est, quae postmodum etiam *Guatemalam* in nomen suum assumpsit. Iuribus provinciae Mexicanae potiebatur, primo provinciali Thoma de Turre renuntiato. In terra Verae pacis conventus in honorem S. Dominici constructus est. 1619 Matriti auctore Antonio de Remesal historia accuratissima huius provinciae prodiit. Relatio de statu provinciae saeculo XVII ad Urbem missa conventus 9 enumerat annexis doctrinis, quas singuli habent, nempe Guatemalensis 17, Amatitlanensis 5, S. Crucis 9, Verapacensis 8, S. Salvatoris 8, Civitatis Regalis 12, Comitlanensis 7, Chiapanus 4, Teepatlanus 13. Indicarum linguarum cognitio varia apud fratres esse debuit, ut etiam ex recensione capituli generalis 1706 apparet.

Denuntiatur in capitulo generali 1592 Venetiis habito, «in hoc capitulo dignis de causis et matura habita deliberatione divisam fuisse provinciam S. Iacobi de Mexico in duas secundum limites et terminos a reverendissimo magistro ordinis statuendos ac praefiniendos, quarum altera proprium retinebit nomen, altera vero vocabitur provincia *S. Hippolyti* martyris de *Guaxaca*[7], datumque fuisse in primum provincialem eiusdem provinciae.. Franciscum

Ximenez, provinciae Hispaniae, suffragante etiam apostolica auctoritate, quatenus opus fuerit ». Circa opus convertendorum Indorum iugis attentio provinciae tum ordinationibus de linguis zapothecae et mistecae et chinantlecae tum statutis de maturitate missionariorum delectorum. Conventus Oaxacensis 1786 filios 80 nutriebat, dum maior pars aliorum conventuum provinciae exiguum numerum religiosorum habuit.

Die 29 septembris 1656 r.mus p. de Marinis inductus pacis rationibus provinciam Mexicanam dividendam duxit in Mexicanam et novam *Angelopolitanam*[8] seu SS. Angelorum in Indiis, robore apostolicae auctoritatis die 12 octobris eiusdem anni Alexandri VII obtento. Territorium provinciae episcopatum Angelopolitanum et quatuor domos mistecae comprehendit, provincia domibus 19 constante. Primum provincialem magister ordinis Franciscum de Paula e provincia Philippinarum creavit, qui in casu mortis alios subrogaret. Magistrorum generalium de Marini et de Rocaberti ordinationes salutares huic provinciae fuerunt, quae per capitulum generale 1677 confirmatae sunt.

Apostolicorum vere fratrum zelus per regiones *Novae Granatae* domus ordinis atque actionem fructuosam condidit. Cum 1551 capitulum generale Salmantinum provinciam S. Ioannis Baptistae Peruanam erexerit, eam ipsam dividendo provinciam novam stabilivit « sub nomine S. Antonini de Novo regno[9], cui assignamus novum regnum de Granata et novum regnum de Popayan usque ad provinciam de Guito exclusive et per terram interiorem quousque terminetur, per litus vero maris ab oppido de Acla cum provincia Carthagenae et S. Marthae et promontorii de Acla et Venezuela, Cumana cum insula de Cubagua et ceterum litus quousque terminetur. Quia tamen pro nunc sufficientem numerum fratrum et conventuum non habet, volumus, ut sub titulo congregationis sub provincia praedicta S. Ioannis Baptistae per vicarium gubernandam remaneat quousque melius coalescat et nostro reverendissimo patri generali aliter videatur ». Dato tunc primo vicario Petro de Miranda, anno 1561 provincia S. Antonini a provincia Peruana separata est. Provide capitula generalia provinciae novae concesserunt 1580 et privilegia aliarum provinciarum Indiarum nempe « quod provincialis electus ab antiquiore definitore capituli provincialis in quo est electus confirmetur vel cassetur », et universitatem S. Fidei, dein 1596 vocem in capitulis pro fratribus qui doctrinis assi-

gnantur, 1608 studium generale seu universitatem apud conventum S. Dominici de Tunja propter eius commoditatem et aptitudinem ad alendos studentes ». Sequebantur confirmationes maiorum collegiorum S. Fidei 1611 et Carthagenensis 1644. Missiones inter Indos sicut tempore primordiali, ita et postmodum in hac ditione florebant.

Facta iam in capitulis generalibus 1564 et 1569 magistro ordinis potestate dividendi provinciam Peruanam r.mus p. Fabri 1586 novas provincias S. Catharinae de *Quito*[10] et S. Laurentii de Chile erexit. Quae circumscriptiones in comitiis Romanis 1589 confirmatae sunt.

1534 Sebastianus de Benalcazar urbem innovatam Quitensem Hispanorum nomine recepit, fratribus Praedicatoribus mox advenientibus. Alphonsus de Montenegro O.P. ecclesiae et conventus magni dominiciani fundamenta iecit rebusque nostris in terra Aequatoriana praefuit. Ortis conventibus de Guayaquil, de Loja, de Latacunga, Cuenca mox de independentia huius ditionis in ordine tractabatur.

Fratres Quitenses non solum praedicatione, verum etiam ab anno 1680 universitaria doctrina excellebant, dum ineunte saeculo XVII p. Bedon in conventibus D. N. de la Peña et de Rio Bamba observantiam strictiorem plantavit. Zelus fratrum ad missiones Indorum extendebatur. In saeculo XVIII provincia conventibus 13 et paroeciis 29 et missionibus pluribus providit, numerum fratrum 299 habuit.

R.mus p. Seraphinus Cavalli die 12 ianuarii 1577 ex quatuor conventibus, quorum duo provinciae Peruanae et duo provinciae S. Antonini erant, congregationem Angelorum[11] sub proprio vicario generali et ab ipso magistro ordinis dependentem formavit.

In excursionibus militaribus, quas ad amplificandam dominationem hispanicam Franciscus Pizarro et Didacus de Almagro versus meridiem Americae susceperunt, p. Reginaldus Pedrazza O.P. socius militum primusque qui crucem in terra Incarum ostendit, exstitit. Pedrazza, sicut ab imperatore copias novas armatorum pro Pizarro postulavit, ita et missionarios plerumque e Baetica provincia secum duxit. E suis fratribus Vincentius de Valverde Pizarrum exinde comitatus est quem data occasione etiam de regimine recto in Indos docuit aut increpavit. Fundatione regulari c. 1530 apud S. Michaelem de Piura facta, mox conventus Cuzquensis

super ipsum templum solis erectus est, sequente anno 1535 in nova civitate Regum conventu SS. Rosarii Limano. Bulla Pauli III diei 23 decembris 1538 magistro generali facultas erigendi provinciam *Peruanam*[12] confertur, quae litteris ipsius r.mi p. Recuperati diei 4 ianuarii 1540 formata et ordinata est, primo provinciali Martino de S. Thoma constituto. Dum Valverde, ab anno 1537 velut episcopus Cuzquensis et protector ac defensor Indorum partes Peruanas illustravit, fratres ingenti conventu Limano fundationibusque Quitensi, Arequipensi, de Truxillo, Guamanga, Guanuco aliisque rei christianae et religiosae incrementa multa attulerunt. Anno 1581 conventus 18 apud civitates Hispanorum et 10 apud Indos numerantur cum religiosis circiter 400. Insuper missionis laborem et ordinis propagationem in confiniis Peruanis fratres cordi habebant. Ab auctoritate civili et ecclesiastica (archiepiscopus Limanus 1541/77 Hieronymus de Loaysa noster erat) 1551 universitas in conventu Limano erecta est, quae 1577 sedes alias S. Marci recepit. conspicuae collaborationis dominicianae parte cum ipsa universitate manente.

Postquam ab immensa Peruana provincia 1571 illa S. Antonini divisa est, 1586 alia S. Catharinae versus septentrionem et tertia S. Laurentii versus meridiem ortum duxerunt. Provincia Peruana velut ditissima et «aurea» habebatur. At non solis copiis pretiosi metalli, verum etiam membris sanctis abundabat. Anno 1606 specialis conventus observantiae S. Mariae Magdalenae in civitate Limana fundatus est.

Subactis regionibus *Chilenis* per Petrum de Valdivia anno 1541 civitas S. Iacobi exordium sumpsit, in qua fratres Praedicatores a Philippo II destinati anno 1552 duce p. Aegidio Gonzalez conventum primum inter ordines religiosos fundarunt. Aliae fundationes in Concepciòn, Villarica, Osorno, Valdivia et alibi per Chilenam plagam et per regionem orientalem hodiernae Argentiniae locum habebant. Et ipsa regio Chilena[13] anno 1586 per magistrum ordinis Sixtum Fabri in propriam provinciam a Peruana distinctam elevata est, prout Romae 1589 confirmatur. Primus provincialis Reginaldus de Lizarraga exstitit, qui apostolico et postea episcopali zelo illustris, 1615 obiit. Incursus violenti Araucanorum indigenarum necnon et terraemotus plures et fratres et aedes huius provinciae nascentis pluries visitarunt.

1666 divisio spirituum inter Chilenos et Argentinienses in compagine unius provinciae congregatos magis manifestata est. Tunc pars occidentalis conventus formales 4 possidebat, dum pars ultra montes Andinos orientalis 9 conventibus constabat. Separatio unius partis ab alia anno 1724 per erectionem provinciae Bonaerensis finita est. Anno 1754 obtento regio et generalitio consensu provincia S. Laurentii instante Emanuele Acuña domus strictioris observantiae N. D. de Bethlehem sive recollectionis exstructa est, cuius regimen idem pater ad annum 1781 servavit.

Fratres Praedicatores, qui ab anno 1550 regiones de Tucuman ut missionarii et ab anno 1603 stabili modo e provincia Chilena ad partes orientales conventus plures erexerunt, ipsi provinciali Chileno suberant. Cum vero fratres orientales a Chilenis spiritu magis dividerentur, Emanuel de Mercadillo O.P. episcopus Tucumanensis 1699 a rege Hispaniarum separationem conventuum *Bonaerensis,* de Tucuman et Paraguay,a provincia Chilena postulavit. Fratrum Bonaerensium nuntius pro erigenda hac propria ditione Dominicus de Neyra 1722 Americam relinquens, a rege catholico die 5 novembris 1723 separationem provinciarum Chilenae et Bonaerensis et deinde coram Benedicto XIII mense iunio 1724 obtinuit. Voluntate pontificia auctus magister Pipia die 14 iulii 1724 decreto suo conventus ordinis regionum Bonarum Aurium, de Tucuman et Paraguay in propriam provinciam sub titulo S. Augustini Bonaerensis[14] erexit, primo provinciali Gerardo de Leon instituto. Ad conventus 6, quos provincia tempore institutionis suae habuit, nempe in Buenos Ayres, Cordoba, Paraguay, Santa Fe, Santiago del Estero, La Rioja, alii de Corrientes, Tucuman, Cuyo accesserunt. Ex assignationibus capitularibus 1725 (fratres 109), 1747 (142), 1803 (207) iam liquet prospere res Bonaerenses evenisse. In conventibus et apud paroecias et Indos praedicatio indefessa et missionum labor, in regimine ecclesiarum illarum partium collaboratio notanda apparent.

Patres capitulares Romae 1644 statuerunt: «Erigimus vicariam nostram *Canariensem* in congregationem, separando eam et eximendo a regimine et iurisdictione provinciae nostrae Baeticae, quam volumus immediate subiacere reverendissimo magistro generali; concedimusque huius congregationis fratribus ius eligendi vicarium ex filiis suae nationis iuxta formam ab eodem reverendissimo praescribendam». Conventus S. Petri Martyris de Canaria, S.

Dominici de la Laguna, de la Palma, de Candelaria, de la Orotana; de Garachicho, de Consolatione tempore erectionis in congregationem exstiterunt. Accesserunt conventus portus Orotavae et de Firgas ceterique. 1650 congregatio haec in provinciam sub tutela S. Mariae de Candelaria erecta est. Conventus S. Dominici de Laguna pondus generalis studii sustinuit.

Gloriosissima provincia SS. Rosarii[16] *Philippinarum* particularia plura habet, quae cum eius primario scopo missionum intime cohaerent. Imprimis origo eius definitiva apud ordinem nonnisi sensim apparet.

In insulis a Magalhaes receptis 1565 sub dominatione hispanica, centrum provinciae missionariae pro imperiis extremi orientis velut naturale delectum est. Ad Sinensem missionem fundator provinciae Mexicanae p. Betanzos anhelans, desiderium suum filiis reliquit, e quibus Dominicus de Salazar primus episcopus Philippinarum 1579 renuntiatus fuit. Fratribus, qui eum comitari debebant in itinere mortuis, Ioannes Chrysostomus e Mexico in Europam contendens ab ordinis magistro Constabile 1582 facultatem assumendi fratres obtinuit, quam Gregorius XIII eodem anno auxit. Etsi in curia Matritensi et per p. Alfonsum Sanchez S. I. e Philippinis mora vel difficultas intentioni missionariae fratrum Praedicatorum afferrentur, tamen 1586 plures Dominicani versus Indias navigarunt Philippinas petituri. Loco Ioannis Chrysostomi, qui primus vicarius generalis fratrum missionariorum pro Philippinis fuisse censetur, ab anno 1586 Ioannes de Castro hoc munere fungebatur. Die 17 decembris 1586 in conventu S. Dominici de Mexico ordinationes pro « fratribus congregationis seu provinciae sanctissimi rosarii.. ad infidelium conversionem nunc erectae » dedit, quae per magistrum generalem de Marinis auctoritate apostolica munitae ordinationes in summa veneratione exinde habebantur. Missionarii nostri 1587 Manilae ecclesiam aedificare atque apostolatum exercere coeperunt. Deportatio Dominicanorum per viceregem mox ordinata, severe peracta non est, nonnisi p. Arcediano proficiscente Goam, ubi cum Lusitanis de residentia Macaoensi tractabatur. Solemnis receptio provinciae SS. Rosarii in numerum provinciarum anno 1592 evenit, denuntiante capitulo Valentino 1596: « quod in capitulo generali Venetiano a. d. 1592 in provinciam erecta fuit congregatio nostrorum fratrum, qui in insulis Philippinis commorantur pro infidelium conversione... etsi postmodum in eiusdem capituli actis tale decretum registratum non fuerit ».

Proprium deinde provinciae huic fuit, quod filiis provinciarum aliarum praecipue hispanicarum fecundaretur. Insuper particulares ductores fratrum ex Europa ad Mexicum et ad insulas Philippinas itinerantes, iura et potestatem speciales obtinuerunt. Ex ordinatione capituli generalis 1644 vicarii ductores inutilium fratrum assignationes revocare possent. 1644 etiam status domus S. Hyacinthi de Mexico, quod hospitium fratrum ex una navigatione ad prolixiorem in Philippinas destinatorum ab initio fuit, sub regimine Philippinarum servatur. Ob extensionem territorii et graviores res negotiandas provincia Philippinarum procuratorem generalem apud aulam regis catholici sustinuit, cui 1644 concessio assistendi comitiis generalibus facta est.

Denique gradus et tituli in hac provincia non admittantur. Distinctiones locorum et praedicaturae generalis anno 1644 datae, mox 1650 suppressae sunt.

Actio utique fratrum Philippinarum egregia semper erat in missionibus per Philippinas, Iaponiam, Sinas, Tunquinum. Insuper studiorum intensus cultus tum in academia Manilensi (ab anno 1611) tum in lycaeo Lateranensi (ab anno 1640) tum in seminariis.

Vitam religiosam conspicuam habuisse provinciam *Lusitanam*[17] testantur tum numerus fratrum, qui ex ea ad evangelizandum in terras infidelium profecti sunt, propriam congregationem missionariam constituentes, tum copia vocationum, quae ad amplexandum habitum conventibus se praesentarunt. Ut in receptionibus ad ordinem aequitas conventuum et probitas candidatorum ponderaretur, capitulum generale 1721 decrevit, ut in capitulo provinciali seu in congregatione intermedia numerus iuvenum recipiendorum pro biennio immediate sequenti designatur, « et nullus provincialis ultra istum iustum numerum suscipere possit sub paena nullitatis ipso facto ». Ita mos invaluit, ut patres capitulares provinciae secundum numerum defunctorum ab ultimo capitulo numerum recipiendorum statuerent. Anno 1755 terraemotus vehementissimus plures Lusitaniae conventus labefactavit. Incendio consumptum archivum provinciae post terraemotum periit. Alebat provincia Portugalliae circa annum 1750 in conventibus 22 et vicariatu 1 fratres circiter 693.

Congregatio S. Crucis *Indiarum orientalium*[18] missionaria a provincia Portugalliae dependens, 1548 fundata et 1551 per capitu-

lum generale Salmantinum acceptata est « cum conventu iam in ea ab ipso Serenissimo rege [Portugalliae] aedificato, quem cum aliis erigendis esse volumus sub obedientia rev. provincialis Portugalliae, quousque ipsa congregatio in provinciam erigatur ». Romae 1644 magistro generali Turco, ut illam congregationem in provinciam erigeret, si id congruum iudicaret, commissum est. Quod mandatum autem exsecutionem non invenit. Ordinationes pro congregatione praecipue magister Paulus Constabile dedit. Capitula generalia decreverunt anno 1615, nullum in Indiis orientalibus natum ad ordinem recipiendum esse, et anno 1611 mesticis in hac congregatione habitum dari non posse sicut neque professionem concedi. Praeter conventus formales tres Goanos variae domus et stationes huic congregationi erant in Indiis, apud Macaum (1620), in Africa orientali (Moçambique) et septentrionali. Illa « congregatio Iesu Mariae regni Chinae », de qua registrum magistri Beccaria loquitur, conventum Macaoensem designat.

§ 82. Provinciae et congregationes Galliarum.

Provincia *Franciae*[1] cuius nomen in historia medii aevi tam gloriosum fuit, ex divisionibus administrationum ordinis per Galliam a saeculo XVI honoris detrimentum passa est. Deinde erectio particularis provinciae Parisiensis laudi provinciae Franciae praeiudicavit. Servavit autem Francia anno 1647 approbante capitulo generali iura quaedam sua in conventu Parisiensi S. Iacobi. Insuper eadem occasione referunt: « Cum provincia Franciae nullum Parisiis habeat conventum aut hospitium, ibique saepius immorari rev. admodum p. provinciali Franciae pro gerendis suae provinciae negotiis necesse sit, ordinamus iuxta antea statutum per reverendissimum patrem generalem, ut in conventu S. Iacobi Parisiensis specialis deputetur camera pro hospitio rev. admodum p. provincialis Franciae pro tempore, in qua nullus nisi ipse habitare possit et quae sibi sit specialiter affecta ».

Circa annum 1660 auctoritate magistri Ioannis de Marinis in sinu provinciae Franciae quaedam congregatio observantiae dicta *Franciae,* vel gallicana, instituta est, quae ad monitionem et minas capitulorum 1721 et 1725 per magistrum generalem Ripoll anno 1727 suppressa provinciae Franciae simpliciter unita est.

Secundum debitum officii sui r.mus p. de Marini observantiam promovere cupiens, intra provinciam Provinciae congregationem SS. Angelorum nuncupatam sub die 8 martii 1660 probavit, quae die 19 iulii 1664 apostolica auctoritate confirmata est. Dum observantiae nitor diflueret, r.mus p. Ripoll congregationem exstinctam declaravit, Benedicto XIII die 26 martii 1729 suppressionem probante.

« Cum Ludovicus XII rex Galliarum aegre ferret alumnos nostri ordinis in suo regno degentes praelatis e germanico sanguine ortis subditos haberi, a Summo Pontifice Leone X anno 1514 impetravit, ut omnes domus in Galliis sitae, quae hactenus ad congregationem Hollandiae sese adiunxerant, ab illa avulsae in unam novam congregationem gallicanam[4] dictam adunarentur, iisdem privilegiis ac facultatibus donandae, quibus antea in congregatione Hollandiae gaudebant. Congregatio gallicana vigore apostolicae facultatis a r.mo p. magistro generali ordinis fr. Thoma de Vio Caietano die 3 novembris 1514 erecta est ac in capitulo generali anno 1518 denuntiata et confirmata », additis eidem congregationi conventibus Cenomanensi et Lugdunensi. Famosissimus conventus S. Iacobi ad hanc congregationem spectabat. Patres huius congregationis anno 1611 a Parisiensi capitulo generali petierunt, ut ditio in provinciam erigeretur. Quare magistro generali commissum est, ut eam in provinciam sub titulo S. Ludovici regis Franciae erigeret « dummodo [membra] expresse renuntient omnibus indultis et privilegiis quibus exemptionem ab obedientia magistri ordinis et capitulorum generalium possent quoquomodo praetendere et dummodo reformationem sibi a reverendissimo magistro ordinis praescribendam recipiant ». Tandem dato decreto 27 septembris 1646 a magistro Turco, per Gallias visitatore, congregatio gallicana in provinciam Parisiensem instituta est, nominato Antonio Mallet provinciali. Quam erectionem et institutionem capitulum generale Valentinum 1647 approbavit, statuens conventibus Britanniae eiusdem provinciae *Parisiensis,* in quibus observantia strictior introducta fuit, privilegia servanda esse, quae per ordinis moderatores illi congregationi data sunt, sub cura tamen provincialis Parisiensis.

Congregatio *Britanniae*[5] Armoricae, postea etiam titulo S. Vincentii Ferrerii insignita, pars erat primum congregationis gallicanae et dein provinciae Parisiensis. Eam Petrus Jouault et Hya-

cinthus Ladmirault discipuli Sebastiani Michaelis, 1614 fundarunt. Sicut privilegia et ordinationes salutares per magistros Secchi, Turco, Ridolfi huic congregationi concessa sunt, ita capitula generalia pluries de relationibus huius congregationis cum gallicana sive cum provincia Parisiensi decreverunt.

Ad instantias regis Henrici IV summus Pontifex magistro generali Galamini erectionem congregationis *Occitanae* reformatae[6] imposuit, quae die 22 septembris 1608 decretum institutionis recepit. In capitulis generalibus 1611, 1612, ab ordine approbatur.

Cum speciali mandato magistri ordinis p. Sebastianus Michaelis 1611 Parisios pro negotio ordinis reformandi mitteretur, ipse ope reginae Mariae de Medicis 1613 conventum SS. Annuntiatae Lutetiae erexit. E particulari concessione pontificia capitulo generali anni 1629 facta duo definitores huius congregationis intervenerunt. Tunc et consensu patrum capitularium et petente rege christianissimo nomen congregationis in illud S. Ludovici mutatum est. Possidebat congregatio ea aetate conventus 17 e. g. Tolosanum. S. Maximini, Annuntiationis Parisiensem, Burdigalensem, Avenionensem, Montispessulanum, Valentinum, Claromontanum, Nemausensem, Montisalbanum. Cum congregatio ad altiora adspiraret, mense aprili 1668 a cardinail de Vendôme, legato a latere apud regem Galliarum, ipsa obtinuit, ut in provinciam sub titulari nomine S. Ludovici erigeretur. Quod per breve pontificium Clementis IX diei 5 februarii 1669 firmatum est prout in capitulo generali 1670 insimul cum indicatione conventuum huius provinciae denuntiatur. Ipsa transmutatio congregationis in provinciam inscio magistro generali peracta est.

Strictioris observantiae assertor Antonius Lequieu, e congregatione S. Ludovici ortus, anno 1635 a magistro generali Ridolfi obtinuit, ut propriam congregationem « ad perfectam integramque nostrarum constitutionum observantiam et ad missiones peragendas » instituere posset. Cum autem p. Lequieu discalceatus incedere et habitum ordinis immutare coeperit, ab officio commissarii pro Observantibus suis absolutus, Romam citatus, denique in Gallia pie 1676 mortuus est. Congregatio ordinationes a magistro de Monroy et confirmationem a capitulis generalibus 1694, 1706, 1725, 1748 recepit. Aliquando etiam congregatio *SS. Sacramenti* Provinciae vocatur, et independenter a provinciis per vicarium generalem regebatur.

Ex nova circumscriptione provinciarum auctoritate magistri Turco per Summum Pontificem et capitulum generale 1650 probata, aliquorum fratrum perturbatio ita crevit, ut magister de Marinis in nova congregatione *Aquitaniae*[8] intra provinciam Tolosanam eos uniri concesserit, qui decreto r.mi p. Turco parere noluerunt. Haec congregatio non reformata inter 1656/1663 vixit. Tunc conventus non reformati ex provincia Tolosana ad Occitanam transierunt. Antoninus Cloche erat filius congregationis huius.

Congregationis reformatae Franciae conventus in territorio provinciarum Tolosanae et Provinciae siti erant. 1569 in capitulo generali Romano haec congregatio in provinciam sub titulo *Occitanae*[9] erecta est. Vicarius ultimus in primo adhuc anno provinciae exsistens Rostanus Porcelli erat, 1574 confirmato priore provinciali Floro Provincio. Observantiae tenor autem in provincia Occitana in saeculo XVII satis dilabebatur. Insuper ex intricatissima intermixtione conventuum provinciarum Occitanae et Provinciae haud parvis difficultatibus ortis, haec concordia anno 1629 facta est, ut conventus ad dextram ripam Rhodani iacentes Occitanae, alii ad sinistram siti Provinciae adscriberentur.

Provincia *Tolosana*[10] non solum conventus plures ad congregationem reformatam Franciae saeculis XV et XVI dedit, verum etiam ad congregationem reformatam Occitanam seu S. Ludovici. Durante visitatione, quam magister generalis Thomas Turco anno 1645 et sequentibus instituit, nova circumscriptio etiam provinciae Tolosanae locum habuit. Etenim decreto generalitio diei 7 novembris 1646, quod a capitulis generalibus 16447 et 1650 sancitum est, omnes conventus opera p. Michaelis reformati cis Ligerim ad provinciam Tolosanam adscripti sunt cauto, quod in hac provincia deinceps observantia assereretur, dum conventus reformati ultra Ligerim siti in congregatione permanserunt.

Refert capitulum generale Bononiense 1706, magistrum ordinis una cum gravium patrum consilio missiones nostras in Antillis florentes, ut domus et fratres ibi laborantes firmius stabilirentur, in unam congregationem *SS. Nominis Iesu*[11] adunasse. Quae erectio decreto capitulari 1706 approbata et rata habita est. Insuper divisio huius congregationis pro altera missionis parte praecipue pro domibus, quae in insula S. Dominici sunt, iam insinuatur. Committitur denique magistro ordinis, «ut omni cum sollicitudine satagat

circa modum mittendi missionarios... ut ante discessum e Gallia in aliquo conventu sibi bene viso, in quo vigeat exacta observantia, probentur, et instruantur ». Conventus Rupellensis domus novitiatus et residentia procuratoris missionum huius congregationis in Gallia exstitit.

Decreto magistri generalis Augustini Pipia anni 1721, conventus et domus in Americae insula S. Dominici a congregatione SS. Nominis seiunctae et in propriam congregationem *SS.* ***Rosarii***[12] adunatae sunt. Illa ergo congregatio praecipue in insula Martinique, haec vero in insula S. Dominici extendebatur. Utraque autem a provincia Tolosana dependebat, donec auctoritate r.mi p. Ripoll 1739 congregatio SS. Rosarii ad provinciam S. Ludovici regis translata fuerit. Vicarii missionum in capitulis provinciarum sive Tolosanae sive S. Ludovici pro suis congregationibus missionariis institui solebant.

Provincia *Provinciae*[13] ludibriis novatorum religiosorum saeculi XVI valde exposita est. Ideo nil mirum, si observantia eumdem statum ubique tenere non potuerit. Insuper Provincia decrevit, at alii conventus extra fines naturales huius ditionis siti ei uniti sunt. Ut confusio administrationis evitaretur, concordia anno 1629 inter provinciam Occitanam et Provinciae facta est, iuxta quam Provincia omnes et unice conventus ad sinistram ripam Rhodani iacentes haberet. In provincia Provinciae, interdum vel «ab Angelis» nominata, postmodum congregatio SS. Sacramenti ortum habuit.

Ex intensissimo desiderio relevandi spiritum provinciarum Galliae magister Ridolfi *Novitiatum generalem*[14] Parisiis instituere ratus est, in quo novicii in bona observantia educarentur. Ioannem Baptistam Carré, congregationis S. Ludovici filium, qui nomen intra et extra ordinem vel prope cardinalem Richelieu obtinuerat, magister Ridolfi caput novae fundationis elegit. Concedente cardinali Richelieu pro initio 2000 libras gallicas annuas reditus et insumente magistro generali 40.000 libras pro adaptatione loci conventualis, die 15 augusti 1631 domus haec sub titulo S. Dominici de Suriano interveniente nuntio apostolico recepta est, regio diplomate 6 iulii 1632 munita. Dum deinde consilium extraordinarium generalitium Parisiis 1646 coactum praeside r.mo p. Turco deponendum p. Carré decrevit, magister ordinis id concessit, ut in novitiatu affiliationes (et quidem 12) fieri possent, quas ipse velut suas agnosceret. Quibus affiliationibus non obstantibus, novitiatus ge-

neralis Parisiensis omnibus provinciis ordinis, maxime autem gallicis, patebat suosque fructus uberes deinceps tulit.

Cum inter Gallos et Germanos pax Novimagii 1679 pacta fuisset, nonnullae partes Flandriae regno Ludovici XIV accesserunt, qui ab Innocentio XI efflagitavit, ut domus ordinis Praedicatorum in suo nunc territorio sitae a provincia Germaniae inferioris avellerentur novam provinciam constituturae. Huic ditioni ordinis nomen *S. Rosae*[15] imposita est. Sic litteris patentibus r.mi p. de Monroy diei 7 augusti 1680 provincia haec initium sumpsit, declarato in capitulo generali Romano 1686, « rite erectos fuisse in provinciam ab ill. ac rev. archiepiscopo Compostellano, tunc ordinis magistro, aliquos conventus ditionis regis christianissimi partim in Gallo Belgio, partim in Flandria, sitos, videlicet conventus Insulensem, ambos Duacenos, Audomarensem, Valencensem, Iprensem, Bergensem, S. Winocii et Reviniensem, quae titulo et nomine S. Rosae Peruvianae insignita fuit ». 1699 conventus Leodiensis a provincia Franciae ad hanc S. Rosae transiit. Studium generale Duacenum postea doctrina Renati Billuart († 1757) illustrabatur.

Anno 1690 *Alsatia* ditioni Gallorum armis subacta, Ludovicus rex a magistro Cloche obtinuit, ut conventus Hagenauensis, Selestadianus, Columbariensis, Gebvilerensis a provincia Teutoniae avulsi in congregationem propriam formarentur. Vicarii primi linguae germanicae ignari huic congregationi incommoda plura imponebant. Unione Alsatiae in initio cum provinciis germanicis prohibita, anno 1715 exprovincialis Germaniae superioris Iosephus Dusacker vicarius super Alsatis constitutus apparet. Dum 1721 congregatio fratres 80 aluit, 1750 67 numeravit, sororibus plurimis per monasteria distributis.

§ 83. Provinciae et congregationes Italiae.

Utriusque Lombardiae[1] nomine ab anno 1531 provincia nova vocatur, quae e conventibus congregationis lombardicae per Clementem VII formata est. Iura congregationis lombardicae ad novam provinciam transierunt. Dum conventus reformati, qui congregationi per Etruriam et agrum Romanum adhaeserant, ad novam Romanam provinciam venerunt, conventus reformati intra provinciam Regni sub auctoritate provincialis Lombardiae remanebant

qui pro illis vi et nomine vicarii generalis insignitus est. Conventus e. g. Neapolitanus S. Catharinae huic provinciae adscribebatur.

Per utramque Lombardiam, nempe superiorem et inferiorem, magna haec provincia formata viguit, quae etiam post factas novas circumscriptiones aliarum vicinarum ditionum titulum suum retinuit. Viros doctos sicut et observantia celebres necnon et praedicatores insignes aluit. Numerus praefixus provinciae utriusque Lombardiae circa annum 1640 pro conventibus erat 61, pro fratribus 2033. Ad Lombardiam duo conventus Corsicae pertinebant.

Suppressis antiquis provinciis S. Dominici et Lombardiae (S. Petri Martyris) Clemens VII 10 iunii 1532 conventus per regiones lombardicas et subalpinas sitos, qui reformationi addicti non erant, in duas vicarias distribuit. Uni nempe vicariae S. Dominici conventus non reformatos veteris provinciae S. Dominici, alteri S. Petri Martyris conventus non reformatos pristinae provinciae Lombardiae adiudicavit[2].

Insuper 1553 auctoritate Iulii III conventus in regione Marchiae Anconitanae iacentes hactenusque vicariae S. Dominici incorporati in congregationem particularem evecti sunt, donec 1564 generalibus capitularibus statuere placuit, provincialem Lombardiae curam illius congregationis in omnibus gerere debere.

Ex piis industriis atque aspirationibus Hyacinthi M. Passerini de Sestola, qui 1646 ordini nomen dederat et 1661 pontificio consensu observantiam apud *S. Sabinam* de Urbe introduxerat congregatio illa ortum duxit, quae per Innocentium XII die 14 iunii 1695 constituta est, mox pluribus conventibus huic coetui observantiae adscriptis. Congregatio S. Sabinae[3] multum influxum in zelum religiosum et scientificum ordinis nanciscebatur. Cum conventus S. Sabinae ad provinciam Lombardiae antea spectaverit, nil mirum, si conventus socii novae congregationis praesertim in partibus Lombardorum quaerendi sunt. Quibus addebantur etiam duae domus Corsicae. In saeculo XVIII fratres circiter 230 et conventus vel vicariatus 16 in compagine huius congregationis numerabantur. Excepto lustro 1726/31, in quo congregatio S. Sabinae per filium conventus S. Sabinae Benedictum XIII suppressa et provinciae Lombardiae unita est, donec Clemens XII eam restituit, patres S. Sabinae vitam suam pretiosam atque apostolicam usque ad tempora recentiora servarunt.

Ex piissima vita et observantia Basilii Spica sociorumque particularis congregatio reformata *B. Iacobi Salomonii* in partibus Venetianis orta est, complectens conventus S. Secundi Venetiarum, Civitatensem, Farensem, Rosciensem, Iustinopolitanum, cui nomen congregationis b. Iacobi Salomonii a magistro Ioanne B. de Marinis 1662 probatum est. In sinu provinciae Venetae primum manens mox independentiam maiorem anno 1666 per Alexandrum VII obtinuit sicut et ditionem suam e. g. Corneliani, Venetiis apud SS. Rosarium ampliavit. 1694 vicariae et hospitia Naupliae in dioecesi Corinthi et loca in insulis Cephaloniae, Zacynthinae. Corcyrae pariter ad hanc congregationem accesserunt. Unionem cum hac congregatione ineundam patres provinciae Dalmatiae recusarunt. Pietate et litteris et apostolico zelo membra huius coetus regularis floruerunt[4]. Numerabat 1793 fratres 136.

E conventibus vicariae S. Dominici formata, cum hi vitae observantiori se conformaverint, in capitulo generali Romano 1580 erecta est provincia *S. Dominici Venetiarum,* nominato p. mag. Hieronymo Bigarelli, qui vicarius exstitit, in provincialem novae huius provinciae[5].

Die 29 maii 1769 congregatio *Austriaca* instituta est per magistrum de Boxadors, ut gubernio Austriae in partibus Lombardiae vel Tyroli obtemperaret. 1772 conventus Tridentinus a provinciae Hungariae separatus huic congregationi adiectus est, cuius studiorum collegium in conventu Farensi exstitit. 1780 institutus apparet vicarius generalis Dionysius del Colle. «Post haec (notat in registro p. Molineri) commissa est congregatio ista curis socii Italici, quia fratres italice loquuntur et quia membrum est, congregationis Venetae, cui iterum uniri debet, si Deus dederit»[6].

Conventibus vicariae S. Petri Martyris ad meliorem frugem perductis anno 1571 patres huius vicariae cum provincia utriusque Lombardiae uniri petierunt, quae unio maturo consilio pertractanda patribus Lombardiae per capituluum generale commissa fuit. At unio minime effecta est. E contra 1580, 1589, 1592 magistro ordinis si conditiones adesse viderit, erectio vicariae *S. Petri Martyris* in provinciam facienda imponitur. Tandem 1601 ex commissionibus ad exsecutionem capitulum generale Romanum transiit[7].

1656 specialis natio pro religiosis Pedemontanis apparet, quibus studiorum ius particulare fuit, dum centrum provinciae adhuc conventus Mediolanensis S. Eustorgii habitum est. Tempore erec-

tionis provinciae conventus 23 sub moderamine patris Bagliani aderant, accedentibus mox illis Podinarinensi, Savilianensi.

Ianuensis conventus 1543 provinciae utriusque Lombardiae adscribebatur, conventibus Tridinensi 1676 et Boschensi 1683 et duobus Corsicae reformationem assumentibus. Dignissimam historiam huius provinciae nefandus Iosephinismus interrumpere coepit, post edictum anni 1781 conventu S. Eustorgii Mediolani aliisque ereptis. Victorius Amedeus III Sardiniae rex 1782 discerptam provinciam pontificio brevi auctus restituendam in territoriis suis subalpinis curavit, adnumeratis eidem omnibus conventibus dominicanis in illis regionibus sitis cuiuscumque ditionis antea fuissent. Sic a die 19 februarii 1782 quasi ex novo formata exstitit provincia S. Petri Martyris, quae deinde de Pedemontio dici consuevit.

Romanae provinciae[8] rigor disciplinae saeculo XVI deferbuit. Quare magister Caietanus conventus maiores Minervitanum, Perusinum, Florentinum immediatae suae iurisdictioni supposuit. Ut autem conventus observantiores, qui in congregationes adunabantur, a voce in supremo ordinis magistro eligendo non impedirentur, dum provinciis etsi non reformatis hoc ius esset, instantibus cardinalibus Thoma de Vio Caietano et Garsia de Loaysa, Clemens VII die 27 octobris 1530 provinciae Romanae titulum, iura, privilegia ad congregationem Tusciae seu S. Marci transtulit absoluto provinciali p. Salviano creatoque p. Pieri vicario congregationis in provincialem Romanum. Novae provinciae coenobia Minervitanum et Perusinum unita sunt aggregatis postea conventibus utroque Viterbiensi, Urbevetano, qui iuris congregationis lombardicae erant, Narniensi, Politiano, S. Mariae Novellae (is quidem 1556) aliisque. Domus, quae reformationem non assumebant, in vicariam Romanam congregabantur. Dum per aliquod tempus centrum provinciae conventus S. Marci Florentinus exstitit, a medio saeculo locum principalem conventus Minervitanus obtinuit, qui et pro studiis maius momentum sibi mox vindicavit. Saeculum XVII pro structura conventuum, quae generaliter usque hodie servata est, notandum occurrit. Conventui Minervitano ex adiecta bibliotheca Casanatensi et collegio theologico auctoritas crescens advenit. At conditiones generales provinciae, quae ex saeculo XVII domibus parvis plurimis abundavit, et ex restitutione congregationis S. Marci elementum haud spernendum amisit, dissolutionem praepararunt, quae irruentibus Gallis denique effecta est. Thomas M. Soldati ab anno 1795 difficili utique tempore provinciam moderavit.

Constituta provincia Romana reformata praesul provinciae veteris p. Boninus Salviani a Clemente VII conventibus, qui reformationem renuerant, vicarius datus est a provinciali Romano omnino dependens, etiam quoad visitationes. Constabat haec *vicaria Romana*[9] conventibus Florentino S. Mariae Novellae, Senensi S. Dominici, Typhernate, Spoletano, Narniensi, Fulginate aliisque minoribus, qui tandem ut Pontifex statuerat, provinciae uniti sunt. 1600 vicaria esse cessavit.

Reliquiae fratrum conventus *Marciani de Florentia*[10] insimul cum congregatione observantiae Tusciae pluribusque conventibus provinciae Romanae in provinciam reformatam Romanam 1530 assumebantur. Conventui S. Marci per principem Florentinum vexatio et fratrum expulsio ad tempus causata est. 1629 idem conventus velut strictioris observantiae in provincia Romana habebatur. Deinde cum praecipui conventus antiquae congregationis Florentinus S. Marci et Faesulanus in ceteris suae provinciae domibus exactiorem observantiam neque inferre neque confirmare amplius potuerint, impetrarunt ab Innocentio XII breve diei 14 iunii 1695, quo congregatio S. Marci sui iuris declararetur. Aderant tunc conventus Florentinus, Faesulanus, Sanminiatensis, Liburnensis adiunctis postea Cortonensi, Politiano, SS. Quirici et Iulittae de Urbe, necnon illo Montis Marii, Narniensi, S. Spiritus Senensi.

Partes *Regni*[11], si congregatio Calabriae excipitur, nonnisi unam vastissimam provinciam habebant, a qua tamen mox aliae, nempe S. Thomae et S. Catharinae, fuerunt avulsae. Erectiones specialium congregationum S. Mariae Sanitatis et S. Marci de Gavotis sequebantur. Ipsa provincia Regni fratrum numero pollens in centrali coenobio S. Dominici Maioris saeculo XVI exeunte religiosos 130 alebat. Famosae exinde visitationes magistrorum generalium ut r.mi p. Galamini in hac provincia remanserunt. Ad regendos conventus pluries huius provinciae fratres ex congregatione Sanitatis adsciscebantur. In capitulo Romano 1525 prima vice provincia S. Thomae *Apuliae*[12] repraesentatur per provincialem Vitum de Mathera et definitorem Antonium de Caramanico. Qui ultimus iam regens Minervitanus et provincialis Regni erat. Provincia anno 1530, definitive approbata est, postquam in capitulis Vallisoletano 1523 et Romano 1525, in quorum tamen decretis nil de hac causa scribitur, iam per modum inchoationis et approbationis acceptata fuit. Extendebatur per Capitanatam, terras Barensem et

Hydruntinam, aliquando etiam per regiones Aprutinas, quae autem duabus vicibus ab Apuliae ditione separatae sunt. Ultima quidem vice 1551 ad petitionem ipsius provincialis Apuliae, cui visitatio Aprutinorum conventuum onerosa nimis videbatur, 1644 statutum est officium priorum tum conventualium tum provincialium biennale esse debere.

Congregatio *Calabriae*[13], quae iuxta p. Mothon circa 1445 initium habuit, 1525 explicite in actis capitulorum generalium apparet. In capitulo Romano 1530 congregatio Calabriae in provinciam acceptata est. Atque anno 1532 magister ordinis primum provincialem Calabriae Augustinum de Neocastro instituit.

In hac provincia conventus S. Dominici de Suriano situs erat, qui statum magnificum in saeculis sequentibus vidit et 1629 per magistrum Ridolfi pro strictiore observantia destinatus est.

De exordiis *Aprutinae*[14] ditionis plura obscura remanent. Id quidem certum, iam ante 1546 conventus nationis Aprutinae ab obedientia provincialis Apuliae se emancipasse, quod hoc anno irritum declaratur. At 1551 capitulum Salmantinum Aprutinas domos in congregationem particularem constituit per vicarium regendam, qui immediate magistro ordinis subest. 1571 vicario generali Ioanni della Tuna conceditur, « ut possit accipere e Romana provincia duos vel tres fratres in sui adiutorium ad promotionem reformationis idoneos». Et revera per Paulinum Bernardini congregatio Aprutina ab anno 1573 in conventu Theatino reformari coepta est, capitulo anni 1601 erectionem congregationis in provinciam sub titulo S. Catharinae de Senis sanciente.

Crypta antiqua *S. Mariae Sanitatis*[15], quae 1557 ad provinciam Regni pervenit, culla congregationis Marco Maffei de Marcenisio aliisque promoventibus facta est. Auctoritate magistri Sixti Fabri 1583 vitam iuridicam incepit. In initio per tres priores conventuales insimul recta, ab anno 1593 vicarium generalem habuit, data fratribus huius congregationis observantiae voce in capitulis provinciarum, ad quas ante reformationem spectabant, etsi provincialibus ipsi non subicerentur. Postmodum haec facultas limitata est. Delineante et moderante Iosepho Nuvolo ecclesia S. Mariae Sanitatis aedificari 1602 coepta et 1612 ad finem perducta est. Congregatio 12 conventibus constans fratrum suorum meritis emicuit. Benedictus XIII eam 1725 suppressit, Clemente XII 1734 eam restituente. Dum Galli Neapolim occupaverunt, congregatio periit. 1808 Sixtus Chimen-

ti vicarius generalis apparet ex gloria peracta titulum officii retinens.

Circa annum 1620 incoepit in conventu *S. Marci de Gavotis*[16], dioecesis Beneventanae, disciplinae reformatio ad norman vitae, quam fratres in congregatione Sanitatis gerebant. Gavotensibus in prima saeculi XVII parte mox conventus alii 14 adhaeserunt. Mansit haec congregatio sicut illa Sanitatis in sinu provinciae Regni, a vicario generali per ordinis magistrum instituto moderata. Inter 1725/1734 suppressa et in fine saeculi XVIII dissoluta est.

Trinacriae provincia[17] a r.mo p. Cavalli « ingeniorum numero dives et fertilis » appellata est. Sicut super provincias alias Italiae meridionalis, ita et super Trinacriam saepius commissarii constituti sunt. Pro administratione tantae provinciae valles, qui insulam dividunt, haud parvo obstaculo erant. Quare in capitulo generali 1644 pro iustitiae aequalitate servanda alternativa vallium Neti, Nemorum, Mazzariae circa celebrationem capitulorum et electionem provincialium ac definitorum ordinata est. Ut autem numerus graduatorum per provinciam indebito modo non cresceret, reductio studiorum generalium ad duo, Panormitanum nempe et Messanense, pariter 1644 statuta est.

A provincia Trinacriae Dominicani insulae Melitensis dependebant, qui ad primum conventum iam exsistentem alium 1528 in burgo castelli (Vittoriosa) et tertium 1571 in civitate nova (Valletta) receperunt. Loco vicarii nationalis, qui fratres Melitenses regebat, ab anno 1650 prior Portus Salutis velut vicarius seu commissarius generalis tribus coenobiis Melitensibus praefuit. Post binam immixtionem et borbonicam 1788 et gallicam 1798 quieta tempora Melitensibus 1801 redierunt.

Conventus *Sardiniae*[18] per capitulum generale Bononiense 1615 a provincia Aragoniae avulsi, in propriam congregationem adunati sunt decreto sequenti: « ad petitionem provinciae Aragoniae et patrum ac fratrum insulae Sardiniae, separamus a dicta provincia nostra Aragoniae conventus.. praedictae insulae et praeficimus illis in vicarium rev. p. fr. Bartholomaeum Pala praedicatorem generalem, quem et ipsos conventus soli reverendissimo magistro ordinis immediate subiici debere decernimus, cuius beneplacito relinquimus tempus et modum huius separationis ». Ordinationes disciplinares magister Secchi dedit capitulaque 1618 et 1629 de bono huius congregationis providerunt. Tandem 1706 ad enixas et repetitas

preces patrum Sardiniae per regem catholicum commendatas congregatio praefata in provinciam sub eodem nomine aut titulo S. Dominici in Suriano erecta est, assignata ei loco 48 inter provincias. Aluit provincia anno 1780 in conventibus 8 fratres 142, quorum 115 filii provinciae erant.

§ 84. Provinciae et congregationes Europae centralis et septentrionalis.

Extensa provincia *Teutoniae*[1] per novatorum religiosorum impetus et in vita regulari et in possessione conventuum diminuta est. Acriter quidem in irruentes hostes dimicabat, at conventus omnes Helvetiae aliique plures perierunt. Communitates Austriae et Styriae vicissitudinibus variis suberant, donec firmiore nexu cum provincia denuo copularentur. 1608 ad Teutoniam reliquiae Saxoniae accesserunt. Visitata provincia per Thomam de Marinis Petrus Ulyssiponensis ab anno 1619 provincialis et simili tempore Cosmas Morelles regens Coloniensis exstiterunt. Reflorente sic tota hac ditione novae divisiones instabant. 1690 conventus Alsatiae, 1702 illi Austriae, 1709 illi Franconiae, Bavariae, Sueviae se separarunt, provincia Teutoniae exinde praesertim per Rhenaniam et Westfaliam dispersa. Missiones inter milites et catholicos in dominiis borussicis a saeculo XVII per patres Halberstadianos susceptae clarissimae maxime Berolini evaserunt. Sub provinciali Andrea Scheeben (1765/69) Teutonia fratribus 486 constabat, dum 1794 nonnisi 327 numerabat.

Conventualium congregatio *Teutoniae* sive Germaniae superioris[2] per Teutoniam a Leone X revocata est, postea restituta per magistrum Stephanum Usumaris privilegiis augebatur. « Anno demum 1563 a Zacharia Delphino episcopo Pharensi, nuntio in Germania auctoritate apostolica iterum suppressa et paulo post denuo instaurata perduravit languescens ad annum 1608, quo capitulo generali Romae habito provinciae Teutoniae definitive incorporata habetur ».

Postquam 1706 divisio provinciae Teutoniae facienda magistro ordinis commissa est, in capitulo provinciali Herbipoli 1709 celebrato conventus germanici in duas provincias Teutoniae et Germaniae superioris[3] distributi sunt, provincialibus pro utraque ditione electis. Quae divisio auctoritate r.mi p. Cloche die 1 iunii 1709 rata

habita est et capitulis generalibus 1721 et 1725 probata. Ob communitatem perfecte introducendam « superioristae » i. e. patres Sueviae, Bavariae, Franconiae erectionem specialis provinciae *Germaniae superioris* postulaverant. Haec provincia, cui iura et privilegia locusque antiquae provinciae Saxoniae dabatur, continebat 14 conventus conspicuos fratrum in Germania meridionali et multa monasteria in Germania meridionali atque in Helvetia iacentia. Eratque anno 1751 numerus fratrum 404, sororum 734, anno 1787 vero fratrum 315, sororum 496. Quemadmodum vita observantiae in hac provincia florebat, ita pariter doctrina vel universitaria (Herbipoli, Friburgi) et zelus sacri sermonis.

Provincia *Saxoniae*[4] vehementiores oppugnatores novatorum religiosorum saeculi XVI sustinere debuit, cuius conventus Nordensis, Hamburgensis, Lubicensis, Bremensis, Goettingensis, Mindensis 1529 ab acatholicis suppressi sunt et conventus per Brandenburgum, Mecklemburgum, Saxoniam, Hassiam siti mox pariter interierunt. Haec suppressio absque crudelitate etsi non absque duritie effecta est. Fratres Rostocenses e. g., primum anno 1531 habitum civilem induere iubebantur, interdicta civibus frequentatione officiorum in ecclesia regularium, deinde 1534 cum magistratus decreverit conventus tamquam scholas haberi debere, nostrates civitatem reliquerunt. Prior autem Rostocensis van Sneek in Germaniam inferiorem remeavit.

Ex provincialibus atque illustribus viris plures adhuc episcopali charactere insigniti Ecclesiae columnae erant. Inter ordinis provincias septentrionales, quae per Protestantismum irruentem exstinguebantur, gloriosior Saxonia interiit. Tandem 1608 post placita capitulorum generalium annorum 1601 et 1605 dissoluta administratione propria, provinciae Saxoniae conventus Tremoniensis, Halberstadianus, Susatensis, Warburgensis ad provinciam Teutoniae et ille Egrensis ad provinciam Bohemiae accesserunt.

Prov. *Hungariae, Austriaco-Hungarica*[5]. Ad cavendas aequivocationes, quae nomine provinciae huius causari possent, inter Hungariam ante et post annum 1702 prope distinguendum est. Reformata in saeculo XV provincia Hungariae, ineunte saeculo proximo post pugnam apud Mohacs 1526 Hungaris sinistre gestam Turcae rem Hungarorum pervertebant et acatholici religionem regularesque vexabant, ita ut conventus depopularentur, provinciali anno 1553 facta potestate « de non veniendo ad capitulum durante deso-

latione dictae provinciae ». 1569 provinciali Bohemiae cura super reliquias provinciae Hungariae commissa est. Additis dein conventibus Frisacensi, Graecensi, Pettoviensi aliisque Hungariae haec provincia 1580 in comitiis generalibus repraesentata est. Inter eius provinciales Sebastianus Cattaneus eminet. Emortuis patribus Hungaris subiectisque anno 1611 conventibus ex Styria et Carinthia provinciae Teutoniae, provincia Hungariae solis duobus monasteriis usque ad annum 1638 constans, esse desiit. Curantibus Ioanne de Valdespino et Sigismundo Ferrari ordo denuo resuscitari inter Hungaros coepit et 1642 in capitulo generali Corneliano de novo provincia erecta est sub titulo S. Martini cum iuribus privilegiis locoque pristinis. Prima domus anno 1638 Sabariae restituta fuerat, quam ad finem saeculi 6 aliae sequebantur.

Conventus Austriae anno 1702 per ordinis magistrum probante rem Clemente XI anno 1703 cum provincia Hungariae uniti, largiorem provinciam, finibus ditionis Habsburgicae contentam sub nomine provinciae Austriaco-Hungaricae vel Hungariae vel etiam Hungarico-Austriacae formarunt, primo provinciali Raymundo Angerer in capitulo Retzensi 1704 electo. Post 1718 etiam Temesvarium et Beogradum nostri accesserunt. Constabat provincia conventibus 15 et vicariis 5, in quibus medio saeculo XVIII fratres 476 alebantur, nempe Austriaci 394 et Hungari 82, studiorum collegiis Viennae, Graecii et Bulsani statutis. Sacrae scientiae eximie docebantur coram internis et in universitate Viennensi coram externis. Unaque die 1762 sex fratres in hac academia ad doctoratum theologiae promoti sunt. Deinde summus devotionum nostrarum cultus praesertim apud S. Mariam Rotundam Viennae et indefessus zelus praedicandi. Incipiente Iosephinismo relationes provinciae cum capite ordinis restringebantur.

Conventus Austriae inter 1569/1608 quater provinciae Bohemiae uniuntur, at 1611 et 1612 etiam illi Styriae et Carinthiae ad Teutoniam spectare probantur. Tandem specialis congregationis Styriae et Carinthiae anno 1629 et in sequentibus capitulis mentio fit 1642 conventus Styriae et Carinthiae provinciae Hungariae incorporati dicuntur. Sed mox de congregatione Styriae et Carinthiae iterum sermo redit, donec 1654 Georgius de Herberstein provincialis Teutoniae omnes conventus Austriae provinciae matri univit[6].

Per magistrum ordinis Beccaria 1594 quatuor conventus in ducatu *Silesiae* sub speciali vicario in congregationem Silesiae adu-

nabantur, quae 1605 per capitulares Vallisoletanos 1605 suppressa est, conventibus illis Poloniae restitutis. Die deinde 13 aprilis 1754 per patentes litteras r.mus Bremond obtemperando regis Borussorum voluntati sibi per principem episcopum Wratislaviensem manifestatae conventus Silesiae Borussicae a provincia Bohemiae, cui a pluribus annis annectebantur, separavit. Constabat haec congregatio — etiam a B. Ceslao nuncupata — conventibus sex, maxime Wratislaviensi, Glogoviensi, Ratiborensi, domibus duabus et monasteriis duobus. Dum anno 1761 aderant fratres universi 101, 1766 adhuc 83 numerabantur[7].

Sicut Hussitismo saeculo XV, ita saeculo XVI provincia *Bohemiae* Lutheranismo invadente plura passa est. In procellis autem hospitalitatem fratribus vicinarum provinciarum dare non omisit. Sedes provincialis e Pragensi conventu laeso Brunam translata est. Anno 1568 Michael de Aste visitator et commissarius partium Austriae, Bohemiae, Hungariae, Croatiae apparet, qui provinciam Bohemiae auctam conventibus Austriae et Hungariae formaret, quam ab anno 1569 Stephanus Robustello a Grosupto moderavit. Postquam 1589 ordinis magister Beccaria provinciam visitavit, 1608 conventus Austriae iterum provinciae Bohemiae subduntur, una cum conventu Egrensi e provincia Saxoniae. Inter 1569 et 1702 restauratio notanda in Bohemia facta est, concurrentibus patribus Italis aliarumque provinciarum. Ab anno 1673 e filiis Bohemiae Antonius Missenius propriae ditionis gubernium adeptus est. 1654 novitiatus Litomericensis pro natione Bohemiae et Brunensis pro natione Moraviae habebatur, dum studia Pragae, Brunae, Olomucii florebant. Ex restitutione conventuum Hungariae et Austriae in propriam ditionem anno 1702 provincia Bohemiae magnitudinem suam perdidit, at mox 1706 denuo ampliata est ex accessu conventuum Silesiae e provincia Poloniae separatorum. Conventibus pluribus Silesiae 1754 in congregationem B. Ceslai erectis, conventus duo Troppaviensis et Teschensis Bohemis manserunt[8].

Ratione politica motus Ludovicus XII illos conventus congregationis hollandicae, qui in gallica terra iacebant, in propriam congregationem formari obtinuit. Atque ex alia parte Alexandro Traiectino ingerente Carolus V a Leone X impetravit, ut pars congregationis hollandicae suae ditioni subiecta in provinciam *Germaniae inferioris*[9] erigeretur. Quod pontificio documento diei 2 iulii 1515 concessum est, conventibus, quos congregatio in Teutonia, Saxonia,

Polonia habebat, his provinciis restitutis. Ex conventibus 26 huius provinciae 13 iique nobiliores in Belgio, alii 13 in Hollandia siti erant. Provincia doctis patribus Lovanii, Coloniae, Rostoci, Parisiis magistris et scriptoribus variis laborem pariter et gloriam suam monstravit. Insuper indefessa vigilantia de erroribus religiosis ubique grassantibus cura nobilissima fratrum erat, sicut quoque propositio verbi Dei genuini. 1566 cum iconoclastarum furor et 1572 ac 1579 Geusorum vehementia in catholicos et ecclesiasticos maxime Hollandiae saeviret, conventus plures ruinae obviam ibant, 1594 capta civitate Groningensi ultimo conventu partium septentrionalium Hollandiae suppresso. At patres regiones hollandicas non deseruerunt, cum ibi stationibus missionariis providerent. Quae utique actio missionaria cum apostolico vicario ita est composita, ut ab anno 1627 praeter Iesuitas vel Franciscani et Dominicani in provinciis foederatis Hollandiae essent. Buscoduci Dominicani ab episcopo Michaele Ophovio O.P. c. 1630 protegebantur, dum Reginaldus Cools O.P., episcopus Ruraemundanus, 1695 confratribus seminarii sui moderationem concredidit, ut illud a veneno Iansenismi immune servaretur. Contra infectionem Iansenisticam provincia Germaniae inferioris anno 1719 Lovanii protestationem explicitam et fidelitatis catholicae signavit. At ex Ianseniana acerbitate in regulares iam ab anno 1730 timendum erat, ne missiones regularium destruerentur. Habuit provincia anno 1772 conventus per Belgium plurimos (e. g. Lovaniensem, Antverpiensem, Mechliniensem, Bruxellensem) et in terris hollandicis vel germanicis illos Mosae Traiectinum, Zittardiensem, Calcariensem, in quibus insimul fratres 696 et novitios 10 alebat.

Provincia *Daciae*[10] extensissima procellis reformationis Lutheranae periit. Daniae rex Fridericus I († 1533), Ecclesiae semper aversus, definitive 1536 Protestantismum suis regnis invexit, libertate fratribus concessa patriam relinquendi vel voluntate eis imposita in conventibus manendi, quorum tamen iura ad regem devolvebantur. Documenta conventualia saepe occasione festivitatum ope tormentorum bellicorum explodebantur. In Norvecia anno 1537 vita religiosa prohibebatur. Apud Suecos Gustavus Wasa sensim populum et ecclesiasticos ab unitate fidei abscidit, conventibus contributionibus oppressis. Alienis superioribus regularibus obedire velut crimen interdixit. Fratres exteri e Suecia abire debebant, super fratres Suecos vicario auctoritate regia anno 1525 constituto.

Etsi in ecclesia nationali Sueciae 1527 fratres Mendicantes relinquebantur, tamen ex eorum difficili vitae conditione conventus unus post alium claudebatur. In Finlandia autem fratres usque ad annum 1540 vivebant. Post fratres, qui vel e patria exsulabant vel alia officia vitae assumebant vel etiam ad ecclesiae protestanticae beneficia (ut Martinus Skytte episcopus Lutheranus Aboensis) ascendebant, sorores dominicanae in monasteriis (inter 1545 et 1584) emoriebantur.

Provincialem Ioannem Nielsen († post 1544), qui exorta scissione fidei fratres regebat, pluries sententiam catholicam defendisse constat. Versus finem vitae autem superior ipse hospitii S. Spiritus Aarhusani, e bonis conventuum suppressorum fundati, exstitit.

Sic provincia Daciae quae super conventus 45 numerabat, periit, in saeculo XVII varii Dominicani regiones antiquae provinciae Daciae visitarunt, r.mo p. Ripoll de resuscitanda illa provincia ope fratrum Polonorum 1739 aliquando cogitante.

§ 85. Provinciae insularum britannicarum.

Conditio *Angliae*[1] non solum ex deficientibus pinguioribus eleemosynis languere coepit, verum potius ex Henrici VIII dissidio cum curia Romana. Coetus nationalis anni 1529, quo legislatio schismatica inchoata est, apud fratres Praedicatores Londinienses convenit, quod utique nostris in culpam verti nequit. Schismate 1534 perfecto, visitatio regularium mandato regio locum habuit. Pulso provinciali legitimo, Ioannes Hilsey auctoritate regia in hoc munere apparet. Licet plurimi conventus suprematiae regiae verbo et facto restiterunt, alii (16 ex 53) eam professi sunt.

Abeuntibus pluribus fratribus in alias provincias Hiberniae, Scotiae et germanicas vel in familias suas aliquibusque sub inspectione generalis Mendicantium apud conventus degentibus, aedes religiosae paulatim claudebantur. Sic defectio provinciae retardari nequivit. Neque restaurationis tentamina sub regina Maria durabant. 1558 finis gloriosae provinciae Angliae advenit, spe quidem refloritionis futurae manente. Inter annum 1555/1685 vicarii generales quasi semper rei fratrum Anglorum praeerant, qui patriam suam ministerii sacri causa obibant ex refugiis Flandriae advenientes. Gandavi e. g. plures Dominicani ab anno 1626 et vestiebantur et degebant. 1657 autem conventus Bornhemensis per Tho-

mam Philippum Howard, e nobilissima stirpe ducum Norfolkiae, priorem pro confratribus Anglis receptus est. Postquam Howard 1662 velut confessarius reginae Catharinae de Bragantia uxoris Caroli II in Anglia vocatus et 1675 purpura Romana ornatus, est, Bornhemensis fundatio secura et pro Angliae re catholica fructifera exsistebat, donec 1795 per irruentes milites incendio tradita est. Howard fratribus Anglis Romae conventum SS. Ioannis et Pauli ad inhabitandum obtinuit. Instaurata anno 1685 provincia Angliae ab anno 1730 Londini curante provinciali Thoma Worthington capitula cum electione provincialium repristinavit.

Laudabiliter in capitulo generali 1518 reformatio observantiae in provincia *Scotiae*[2] a provinciali Ioanne Adamson perfecta approbatur. Eodemque tempore provincia illa primum et unicum monasterium sororum recepit. Industriae hae spirituales super medium saeculum XVI produci aegre potuerunt. Vel in annis 1536, 1546, 1549 concilia provincialia aut coetus nationales in ecclesia conventuali Edinburgensi celebrabantur. At animi iam agitationibus insolitis movebantur. Etenim penetrante ab anno 1543 doctrina novatorum in Scotiam, etiam duo Dominicani apostatarunt. Demum amplectente Scotia inter 1550/60 Calvinismum nostri ruinam communitatum et aedium religiosarum subierunt. E domibus eiecti sunt vel parvis pensionibus donati. Ioannes Black martyr 1565 obiit. Alii Scotiam reliquerunt Hiberniam Galliamve petituri, dum plurimi saltem exteriore specie statutis novis morem gerebant. E fratribus Edinburgensibus unus adhuc 1585 apparet. Missionis causa aliqui fratres Praedicatores aevo sequente Scotiam visitarunt, provincia autem anno 1559 dissoluta fuit.

Regimen fratrum per *Hiberniam*[3] multiforme saeculo XVI intrante vigebat, cum 1509 tres vicarii adessent, unus reformatorum, alius super totam nationem ex institutione magistri Bandelli, tertius dicens se vicarium provincialis Angliae. Re vera suppressa provincia Hiberniae anno 1491, unio conventuum non reformatorum cum provincia Anglia effecta est. Dum congregatio reformatorum Hibernorum 1518 de novo approbata fuit, conventus universi per Paulum III 1536, consentiente magistro ordinis, in propriam provinciam erecti sunt. Nunc autem locus provinciae ex 23., quem hobuit 1481, in 27. mutatus est. Propter religiosas persecutiones et connexas clades fratrum et conventuum Hibernorum, ratio provinciae iis mox iterum periit, quae autem 1622 restituta est.

Cum parlamentum Hiberniae 1541 bona domorum religiosarum coronae regiae adiudicavisset, conventus fere omnes perierunt. Fratres e sedibus pulsi pauci defecerunt, plures gloriose per duo saecula martyrio obierunt, alii absconditi vitam in patria ducebant in ipso persecutionis tempore a saeculari clero propter privilegia Mendicantium molestati, alii ultra mare refugia quaesierunt. Tum Summi Pontifices tum ordinis magistri capitulaque generalia fratribus Hibernis hospitia recipienda vel procurarunt vel praestiterunt. Ita domus receptae sunt una 1615 Ulyssipone, alia Matriti (1667), alia in civitate Marochii Tanger (1668/81), praecipue conventus novitiatus et studiorum Lovaniensis (1624), in quo inter 1627/1706 fratres 65 pro provincia Hiberniae vota emiserunt, et conventus S. Clementis et S. Sixti de Urbe (1677). Tandem Hannoverani principes regimen mitius attulerunt. Unde nostrates ad urbes remeare valuerunt, receptis Dublini, Limerici, Corcagiae alibique hospitiis et sacellis bene ornatis, « in quibus sacerdotes omnes quotidie missas celebrant, confessiones excipiunt, et diebus praesertim festivis conciones et catechismos ad populum habent, de eleemosynis ad sacelli portam erogatis et inter fideles collectis, honestum victum et amictum procurantes ». Bonus utique eventus, postquam tristissime 1656 relatum sit, ex 43 conventibus, quos provincia possidebat, nullum, atque ex fratribus circiter 600, qui 1646 numerabantur, ne quidem partem quartam superesse. Comitia provincialia 1720 Dublini repristinata sunt.

§ 86. Provinciae et congregationes Europae orientalis et Asiae vicinioris.

Provincia *Poloniae*[1] ex Lutheranismo et aliarum novatorum religiosorum saeculi XVI impietate, haud pauca patiebatur. Conventus desolatos fratres deserere potuerunt, ut 1553 a capitulo generali concessum est. Postmodum rebus catholicis stabilitis, provincia efflorescere coepit. At intestinae variarum regionum et nationum opiniones diversae causarunt tum dismembrationem Poloniae in provincias Russiae (1595/1612) et Lithuaniae (1647) tum segregationem conventuum Silesitarum (1706). Ad has divisiones congregatio observantiae B. Ludovici Bertrandi ex saeculo XVII et novae circumscriptiones politicae et regulares saeculo XVIII exeunte advenerunt. Provincia autem matrix Poloniae etiam scissionibus

factis conspicua remansit. In catalogo anni 1766 conventus domusque 45 registrantur, in quibus fratres universim 785 degebant. Provincia tunc conventus solemniores Sandomiriensem, Premisliensem, Luceoriensem, Lublinensem, Varsaviensem, Thorunensem, Gedanensem, Siradiensem, Cracoviensem possidebat. Capitulum provinciale anni 1788 in conventu Premisliensi indictum, ex attributione conventus Premisliensis ad provinciam novam Galiciae, ad conventum Plocensem translatum est.

Postquam magister Beccaria 1595 divisionem provinciae Poloniae perfecit, denuntiatur in capitulo generali Valentino 1596 «pluribus de causis mature valde ab ipso definitorio consideratis» provinciam S. Hyacinthi de *Russia*[2], institutam fuisse, dato illi Antonino Premisliensi provinciali. Capitulum primum haec provincia, continens in principio conventus 21, Leopoli 1598 celebravit. Triennio peracto Papa 1601 provinciam Russiae in congregationem mutavit. At Rutheni anno 1612 a capitulo generali Romano, pontificia auctoritate munito, erectionem in provinciam Russiae denuo obtinuerunt. Centrum huius provinciae conventus Leopoliensis exstitit. Inter eius provinciales, Fabianus Malisovius seu Premisliensis, qui gubernium inter 1632/36 exercuit, eminet. Provincia Russiae societati Peregrinantium propter Christum successisse aliquando asseritur, et iure quodam quoad partem. Missiones enim fideliter colebat. Ruthenorum territorio discerpto exeunte saeculo XVIII provincia Russiae divisionem passa est. Habuit provincia Russiae ante divisionem anno 1755 conventus domosque 60, fratres autem circa 570.

In partibus *Lithuaniae*[3] conventus Vilnensis 1494 fundatus, mandante capitulo generali Papiensi 1507 ad provinciam Poloniae pervenit. Aliis ordinis domibus per Lithuaniam et Samogitiam ortis, natio Lithuaniae in compagine provinciae Poloniae constituta est. Intra provinciam autem haec natio saepius lites causabat, quae tandem 1644 ad erectionem specialis congregationis Lithuaniae duxerunt finibus exacte circumscriptae. Numerabat tunc haec congregatio conventus 13, inter quos Vilnenses duos, Seinensem, Grodnensem, Caunensem.

« Petitionibus ac instantiis iterato ac iterato porrectis » capitulum generale 1647 congregationem Lithuaniae in provinciam instituit, limitibus apprime contra Poloniam et Russiam indicatis. Prospere procedens provincia Lithuaniae anno 1756 conventus 34 et

domos 7 possedit, in quibus fratres 570 et novitii 60 vivebant. Post decennium autem numerus iam dilabi coepit, cum 1766 fratres novitiique universim 600 numerarentur.

Consequenter ad alteram Poloniae divisionem Fridericus Guilelmus II ab ordinis magistro generali petivit, ut conventus dominicani in territorio sibi adiudicato administrationem specialem haberent. Quare 21 iunii 1797 r.mus de Quiñones Viterbii litteras patentes de formatione congregationis B. M. V. de *Seyna*[4], e Lithuania separatae, et conventu Plocensi e provincia Poloniae auctae, dedit. Thomas Pilsudski vicarius generalis institutus est.

Conventus Varsaviensis 1666 fundatus est in loco, quem exordienti congregationi *B. Ludovici Bertrandi*[5] Ioannes Casimirus Poloniarum et Sueciae rex ad instantiam magnatum dederat. Ampliatae pluries aedes sacrae huius conventus (in platea Nowy Swiat sitae). 1783 absoluto labore ab Antonino Malinowski O. P. episcopo suffraganeo Miednicensi consecratae sunt. Varsaviensis conventus caput congregationis habebatur, cui Lublinensis (novus 1672), Czastoricensis et Targovicensis (1674), Gorensis (1677), Wysokoliensis (1681), Terespoliensis (1697) addebantur, pro quibus maggistri ordinis varias ordinationes observantiae dederunt. Alebat haec observantiae congregatio 1759 fratres 78 et 1773 85 in suis septem conventibus.

Ex dismembratione provinciae S. Hyacinthi Russiae 1782 nova provincia *Galiciae Austriacae*[6] orta est, quae conventus Russiae rubrae post divisionem alteram Poloniae in ditione Habsburgica sitos continebat. Anno 1782 vicarius provinciae Paulus Duniecki exstitit, qui 1785 Leopoli provincialis prior electus est.

Anno 1806 « die 27 iulii de mandato Sac. Caesaerae Maiestatis cum interventu Ministri Regii habita sunt comitia in conventu Lublinensi pro unione conventuum *Utriusque Galiciae* et pro electione novi provincialis. Vocales fuerunt 34; et unanimiter electus fuit in provincialem A.R.P.M. Fr. Matthaeus Kozlowski, qui per litteras patentes r.mi magistri ordinis institutus fuit die 6. septembris 1806 ». Alia provincia e registro patris Concanen 1798 innotescit illa Poloniae in Prussia meridionali cum provinciali p. Kunkiewicz, quae eadem esse videtur ac provincia S. Hyacinthi in Prussia meridionali cum provinciali p. Przewtocki (1805). Ob rationes politicas iam 1777 rex Borussorum conventus polonicos suae ditionis in propriam administrationem formatos volebat.

Provincia *Dalmatiae*[7] anno 1508 nationes tres possidebat, quarum una Segniae in finibus Hungariae conventibus 3 constabat, altera Dalmatiae conventibus 16, tertia Ragusina conventibus 3. Ex hoc statu conspicuo Dalmatae nostri, etsi utiles semper se ecclesiasticis laboribus monstraverunt, versus finem saeculi XVI descenderunt, ita ut capitulum generale Valentinum 1596 provinciam Dalmatiae ad paucissimum numerum conventuum redactam esse denuntiaverit et rationem provinciae ei abstulerit, quae 1608 restituta est. Laborem tamen fratres non intermiserunt. Teste enim e. g. capitulo generali 1612 duo loca in districtu Cattarensi conceduntur « pro conversione schismaticorum et consolatione fidelium ».

Congregatio *Ragusina*[8] a magistro Caietano 1512 pariterque postea per magistrum Secchi in privilegiis confirmata, egregios zelo apostolico et scientia fratres producere non destitit. Quamobrem Urbanus VIII conventum Ragusinum arcem christianae fidei appellare minime cunctatus est.

Provincia *Graeciae*[9] saeculum XVI nonnisi gravibus sub difficultatibus superavit. 1596 ei titulus provinciae in vicariam mutatus et 1611 restitutus est. Imo 1622 illa facultas provincialem eligendi per duo fere saecula ablata, ei concessa fuit. E conventibus huius provinciae apparent illi Candiae Cydoniae, insulae Zacynthinae (ab anno 1564). Insuper Romae 1644 provinciali tributum est, ut ad amplificandam et propagandam religionem fidemque catholicam in his regionibus diversorum rituum loca quaecumque acceptare possit, quamvis duodecim fratres alere nequeant, dum supplicetur Sanctissimus pro brevi. Provincia haec fratribus Italis quammaxime formabatur, ut etiam promotionibus anno 1656 factis patet.

Dum anno 1533 Andreas Spina vicarius generalis super omnes partes Orientis nominabatur (exceptis conventibus provinciali Graeciae subiectis et conventu Chiensi) et insuper vicariatum provinciae Terrae sanctae[10] tenebat, vicevicarius Terrae sanctae Franciscus Famagustanus de Cypro auctoritate ipsius p. Andreae institutus est. 1571 adhuc haec provincia exsistere perhibetur. Titulus autem provincialis Terrae sanctae plerumque iam 1525 ad decorandum socium magistri ordinis assumptus est, nomine provinciae *Orientis novae* introducto.

Societas Peregrinantium inter gentes[11] aliquando provinciae Graeciae copulata exstitit, at in capitulo generali 1553 ab eadem seiuncta est. Confirmatur tunc eius vicarius Benedictus de Filicaria Florentinus usque ad aliud biennium et ultra ad beneplacitum reverendissimi generalis. In actis capitulorum generalium post hunc

vicarium alius nullus invenitur. Et vicariorum congregationis Orientis nonnisi primus « vicarius Peregrinantium » dicebatur. Quodammodo haec congregatio Orientis hereditatem antiquae societatis Peregrinantium adivit. Domus Constantinopolitana de Pera et statio missionaria (haec quidem adhuc in saeculo XVII medio) societatis Peregrinantium, respective congregationis Orientis erant.

Congregatio *Orientis*[12] etiam Constantinopolitana vocata, ab anno 1600 exsistens vicarium generalem primum Eustachium Fontana habuit, qui adhuc nomen vicarii congregationis Peregrinantium tenuit. Constabat congregatio praesertim domibus Constantinopolitanis, Smyrnensi, Chiensi. Fratres Itali plerumque congregationem componebant, praesentibus autem circa annum 1638 fratribus reformatis Gallis in conventu Chiensi. Chiensis residentia 1695 in expugnatione insulae dispersa est, Alberto de Via sub dira persecutione apostolatum prosequente. Episcopus Sirensis (ab anno 1607) Andreas Carga Venetus martyrio suo fratrum missionariorum animos roboravit. Anno 1739 Petrus M. Calometi (✝ 1775), scriptor notus, vicarius generalis pro hoc orientali coetu instituebatur. Demum res orientalis dominicana versus annum 1800 valde ingemuit.

Fratres Uniti *Armeniae*[13] ita cum ordine Praedicatorum assuefiebant, ut 1583 capitulum generale Romanum « provinciam Nesciovanensem Armenorum sub communi cura ordinis ac magistri generalis » acceptaverit. Quantum et ordinis et Sedis Apostolicae intererat, ut provincia haec floreret ex industriis congregationis Propagandae fidei de seminario in Abianer (ab anno 1614), ex brevi Urbani VIII 1637 atque ex actis capitulorum generalium ordinationibusque magistrorum generalium perspicitur. 1644 per capitulares generales statuitur, ut ex Armenis fratribus « magis apti et idonei eligantur et in conventu Ciauk litteris et moribus imbuantur et tempore debito in conventu Abianer ad habitum religionis admittantur et post annum probationis aptiores ad Urbem transmittantur, ut philosophicum et theologicum cursum absolvere possint ». Similia 1694 ordinantur. Interea iam 1644 fundatio ordinis in Isphahan, ubi rex Persarum residebat et alii tres ordines Mendicantium aderant, commendatur, quae postea recepta est. Qua occasione notatur benevolentia maior Persarum quam Turcarum audiendi de fide. Imo demortuus rex Persarum opera de fide tractantia habuisse dicitur, inter quae Ludovici Granatensis opus, in quo peccatores a malo revocantur et ad bonum diriguntur. Post ferissima

bella civilia per Kulikam promota inter annos 1736/47 provincia Armeniae, ut provincialis Eusebius M. Franzosini refert, ad numerum fratrum 28 redacta est, conventibus principali de Abaraner aliisque exstinctis. 1748 Benedictus XIV de recipiendis alumnis provinciae Armeniae in aliis provinciis, maxime Italiae, statuta dedit et congregatio Propagandae Fidei facultatem erigendi in civitate Smyrnensi hospitium cum oratorio fratribus Armenis concessit, ne in domibus saecularium vel alienis coenobiis ibi commorari cogerentur. Ita dispersa fuit Naxivanensis provincia in Asia minore et Italia. At omnis spes recuperandi conventus terramque Armeniae sublata non est, cum 1766 de habendis conventibus Ciauk, Kerna, Abraconis tractaretur vel sermo fieret.

§ 87. Statistica generalis.

Conspectus synopticus numeri conventuum et fratrum ordinis non tam facile dari potest ut pro hac aetate videretur. Et rei archivisticae neglectus in epocha hac interdum notatus ac deficientia superiorum circa hoc concurrerunt, ut tabulae statisticae perfectae exhiberi nequeant. R.mus quidem p. Seraphinus Cavalli[1] aliique magistri generales in suis registris schema conventuum affigere curarunt et pro opportunitate numerum existimatum vel accuratum fratrum adiecerunt, at multa in his desiderantur. Status iuxta registrum Cavalli ex anno 1573 speciminis causa publicantur. Deinde r.mus p. Secchi littera data 23 februarii 1613 a provincialibus indicationes statisticas ac administrativas postulavit[2]. Responsiones autem parce Romam venerunt vel in Urbe servatae sunt.

Quoad conventus duae tabulae circa annum 1620 conscriptae lucem optatissimam praebent, dum particularis «orbis dominicianus» de saeculis tribus, de quibus nunc sermo, reperitur[3]. Insuper p. Echard conventus anno 1720 recensuit, prout responsum ei fuit[4].

Quoad numerum fratrum res peior se habet. Iam r.mus p. Cavalli nonnisi paucarum provinciarum fratres numero indicare potuit. Dum provinciae septentrionales desolabantur pluribus millibus fratrum pereuntibus, aliae ditiones ordinis in Americis effulserunt validissime excrescentes, ita ut numero provincias deperditas compensaverint. Tempore r.mi p. Cloche fratres Praedicatores circiter 30000 fuisse dicunt[5]. A saeculo XVIII medio ad finem eiusdem saeculi numeri fratrum circa tertiam partem diminutio ubique fere notatur, quae cum ideis rationalisticis ac cum immixtione guberniorum in res ecclesiasticas et regulares cohaeret. Hoc per

Hispanias, Galliam, Germaniam, Bohemiam, Poloniam, Dalmatiam, Italiam aperte probatur.

Vergente saeculo XVIII provinciae linguae hispanicae circiter 7000, Lusitaniae 727, Galliae 1173, imperii germanici circiter 2300, provinciae linguae polonicae supra 2000 fratres aluerunt. Quibus fratres Itali, Dalmatae, Angli, Hiberni et missionarii plures annumerandi sunt.

Status ordinis
Generaliter, anno 1573[6].

Provinciae	Conventus (domus)	Monasteria	Fratres
Hispaniae	74	33	c. 2000
Tolosana	25		
Franciae	37	5	
Lombardiae	86	35	2000
Romana	23	25	c. 550
Regni	47		c. 500
Hungariae	(42)	3	
Teutoniae	18		
Angliae	(35)		
Poloniae			
Graeciae	3		c. 30
Aragoniae	40	8	
Bohemiae			
Provinciae	20		
Saxoniae			
Dalmatiae	9	1	c. 100
Trinacriae	65	2	c. 800
Portugalliae	21	12	
Scotiae	(15)		
Baetica	46	24	
S. Thomae	52	7	c. 500
Calabriae	74		c. 500
S. Crucis			
Hiberniae	(35)		
S. Iacobi de Mexico			
S. Ioa. Bapt. de Peru	17		
S. Vincentii de Chiappa			
S. Antonini de Novo Regno	7		
Occitaniae	22		
Congregationes			
Gallicana	27		
Ragusina	3	1	c. 40
Aprutina	14	2	
Indiar. Orientalium			
Angelorum (1577)	4		
Vicariae			
S. Dominici	13		
S. Petri Martyris	25		c. 200
Romana	11		c. 100
Terrae Peregrinantium	3		
Conventus immediati	7		

Status ordinis
Provinciarum et domorum, anno 1720[4].

Provinciae (Congregationes)	Conventus	Vicariatus	Monasteria
Hispaniae	86		
Tolosana	25	5	2
Franciae	36		10
Lombardiae utr.	77	12	33
(Congr. S. Sabinae	9		2
Romana	35		29
Regni	24	11	1
(Congr. Sanitatis	13		
Hungariae	13	7	5
Teutoniae	17	1	8
Angliae	2		1
Poloniae	43	3	10
(Congr. S. Ludovici	11	1	
Aragoniae	61		6
Bohemiae	25	3	5
Provinciae	21		5
Dalmatiae	12		1
(Congr. Ragusina	2	5	
Trinacriae	52	15	5
Portugalliae	26		13
(Congr. Orientis		c. 25	
Baetica	52		
Germaniae inferioris	16	3	7
Apuliae	40	27	
Calabriae	46	19	
Hiberniae	3		1
Occitana	32	1	7
Venetiarum	10	10	
(Congr. B. Iac. Salom.	7		
Naxivanensis	10		
S. Petri Martyris	19	4	
Aprutina	25		1
Russiae	69		3
Parisiensis	29		
Lithuaniae	32	4	
Canariarum	9		
S. Ludovici	11	1	3
S. Rosae in Belgio	10	1	5
Sardiniae	c. 10		1
Germaniae superioris	14		15
(Congr. Alsatiae	4		9
(Congr. SS. Sacramenti	6		
(Congr. S. Marci de Gavotis	13		

Tabulae etiam quaedam tum generalioes tum speciales apponuntur de statu ordinis:

a) *in Italia saeculo XVII exeunte*[7]

Provincia vel ditio	Conv.	Patres	Cler. prof.	Cler. nov.	Conv. prof.	Conv. nov.	Tertiarii
Siciliae	67	470	116	20	256	16	13
Lombardiae	99	1129	211	45	417	12	21
Regni	60	438	83	14	188	12	28
Apuliae	67	310	63	11	178	6	30
Calabriae	85	352	61	22	219	7	61
Romana	34	425	92	29	187	5	10
Aprutina	28	221	50	18	203	11	20
S. Petri M.	22	162	20	—	65	—	5
Veneta	12	123	29	10	50	2	—
Sanitatis	13	124	34	11	68	4	9
Extra prov.	7	28	2	—	16	1	2
	494	3836	761	175	1854	76	199

Ideo conventus 494, fratres vero et tertiarii insimul 6072.

b) *in Gallia*

Provincia (congreg.)	1670[8] Domus	1771[9] Domus	1771[9] Fratres	1790[10] Domus	1790[10] Patres Fratres	1790[10] Conversi	1790[10] Fratres Insimul
Tolosana	30			25	203	33	236
Franciae	36			36	183	12	195
Parisiensis	29			11	53	6	59
S. Ludovici	11			12	94	4	98
Occitana	31			32	112	19	131
S. Rosae	21			19	92	24	116
Provinciae	—			6	105	31	136
S. Sacramenti	—			4	17	9	26
Alsatiae	—			4	55	17	72
Britanniae	—			13	88	16	101
	158	172	1441	162	1002	171	1173

c) *In Europa centrali et orientali saeculo XVIII*

Prov. (Congr.)	Anno	Fratres	Anno	Fratres
Germaniae infer.	1772	696		
Teutoniae	1765	486	1794	327
Germaniae super.	1751	404	1787	315
Silesiae	1761	101	1766	85
Bohemiae	1755	524	1773	445
Hungariae	1750	476		
Poloniae	1760	785		
Russiae	1755	570		
Lithuaniae	1766	600		
S. Lud. Bertrandi	1773	85		
Dalmatiae	1706	61	1798	45
Ragusina	1799	27		

d) *in America centrali saeculo XVIII*

In visitatione p. mag. Ioannis Ubach 1786[11] peracta numerus fixus fratrum in conventibus quarumdam provinciarum ut sequitur, dum antea maior iam numerus fratrum interdum exsistebat:

Provincia	Conventus	Vicaria	Curatia	Fratres
S. Iacobi de Mexico	10	1		354
Angelopolitana	6			129
Oaxacensis	5	3	15	224
Guatemala	9		31	229
	30	4	46	936

V. Habitudo ad clerum utrumque.

§ 88. Relatio ordinis ad clericos et ordines alios.

Cleri saecularis membra quaedam occasione concilii Lateranensis V acerbe in Mendicantes instabant. Magister Caietanus noster et Aegidius Viterbiensis O.S.A. suam causam ita proponebant, ut aequum illud decretum conciliare 1516 editum et acceptum esset[1] Leo X pro suo favore in Mendicantes, 1517 privilegia eorum largissime firmavit[2]. « Demum concilium Tridentinum stabilem effecit ordinationem, iura parochorum accurate circumscribens et episcopis illimitatum ius inspectionis in curam animarum suae dioeceseos demandans. Solummodo cum eorum delegatione religiosi curam animarum exercere possunt »[3]. Ipsaque praedicatio in ecclesiis propriis Mendicantibus vetita fuit. Quam facultatem eis Pius V bulla « Etsi Mendicantium ordines » data die 16 maii 1567 restituit. Bulla sua velut commentarium decretorum Tridentinorum de Mendicantibus considerari potest[4]. Exinde theoreticae controversiae circa relationes fratrum Praedicatorum cum clero saeculari desinunt, dum in praxi ex unius vel alterius partis difficultatibus relationes concordes interdum impediebantur.

Aliis ordinibus fratres Praedicatores venerationem suam variis modis expresserunt vel auxilia praebuerunt. Interdum iura etiam propria in eos defenderunt. Monastico ordini Vallisumbrosae Ioannes Maria Canisianus O.P. per Leonem X abbas generalis datus est, qui a capitulo generali 1515 ad beneficia et suffragia ordinis recipitur et 1525 post bonam eleemosynam datam a capitularibus diligenter memoratur[5]. Cum Benedictinis Dominicani non solum in re Thomismi uniti apparent, sed etiam in artis et sacris ministeriis. Benedictus XIII basilicam Montis Casini 1727 consecravit[6].

Inter ordines mendicantes Dominicani mandato Pii V diei 27 augusti 1568 primum dignioremque locum ubique teneant[7]. Quod a Clemente VIII 1592 roboratum est, agnito ordini Praedicatorum post antiquos ordines monachales honorabiliore loco[8]. De praece-

dentia enim aliquando inter Dominicanos et Augustinianos ac Carmelitas disputatum est[9].

Fratres Minores saepe in missionibus et martyriis ad latus fratrum Praedicatorum steterunt. Mutuae caritatis testimonium in capitulo generali 1656 apparet statuens «pro seraphica nostraque germana religione sancti patris Francisci eiusque flore et incremento quilibet sacerdos unam missam»[10]. Quaestio de stigmatibus S. Catharinae Senensis a nonnullis Franciscanis agitata per Clementem VIII 1599 in favorem seraphicae virginis finita est[11].

Cum eremitis S. Augustini et Trinitariis quaestiones de habitu apud nostros oriebantur. Etenim capitulares generales 1656 rogant magistrum ordinis, ut apostolicam prohibitionem innovet, «qua rr. patribus eremitis S. Augustini vetatur, ne in habitu suo albo, qui nostro simillimus est, extra septa suorum coenobiorum prodirent in publicum. Item ne rr. patres Hispani ordinis ss. Trinitatis redemptionis captivorum deinceps utantur cappa nigra ad formam nostri ordinis, sed ex praescripto suae religionis iubeantur gestare cappas coloris albi vel bruni, vulgo dicti «buriel» sive « tane »[12]. Obscurus color capparum Trinitariis Hispanis 1561 pontificia auctoritate concessus est[13], dum antea saepe albas deferebant, sicut et postea adhuc eorum confratres gallici[14].

De Trinitariis capitulares generales anni 1670 denuntiant, « Alexandrum VII pro tuendo iure proprii nostri habitus.. breve [1666 dedisse], quo districte prohibet religiosissimis patribus ordinis sanctissimae Trinitatis de redemptione captivorum vestiri cappa nigri coloris»[15]. Cum Trinitarii Hispani et Galli regimine saeculo XVII exeunte dividerentur[16] r.mus p. Cloche ope confessarii regis Hispaniarum pro unitate ordini Trinitario reddenda ab anno 1699 adlaboravit[17].

Mercedariorum[18] sicut et Carmelitarum visitatores ex ordine dominicano Sedes Apostolica plures delegit.

Fratrum Praedicatorum cum ordine Carmeli habitudo praecipue nexu illo atque auxiliis exprimitur, quibus S. Teresiam eiusque opus iuvarunt. Etenim velut conscientiae moderatoribus et consiliariis ipsa plurimis Dominicanis usa est, cum apud eos et pietatem et illuminatam ac securam doctrinam aestimaret e. g. Vincentio Barron consultore S. Officii, Petro Ibañez, Dominico Bañez, Didaco Chaves, Bartholomaeo Medina, Didaco de Yanguas, Ferdinando de Castillo, Garcia Toletano, Didaco Alvarez aliisque tum professoribus tum provincialibus nostris Hispaniarum[19]. Sapien-

tiam et discretionem filiis S. Dominici unitas esse dixit[20]. Eius formationem mysticam, dubiorum reiectionem, instructionem in viis spiritus magna ex parte fratribus Praedicatoribus debet. Eximio prorsus affectu S. Teresia ecclesias conventuales plures dominicanas vel pia loca invisebat ibique interdum extraordinariis gratiis repleta est, aliquando in festo assumptionis B. Mariae apud ecclesiam S. Thomae Abulensis, vel apud S. Stephanum Salmantinum[21], vel apud cryptam Segobiensem, in qua die 30 septembris 1574 S. Dominicus ei apparuit et collocutus est[22]. Ex testimoniis, quae ipsa de fratribus Praedicatoribus reliquit, duo meminisse iuvat, de p. Bañez, cuius auctoritatem saepius relevat[23] et de p. Ibañez, quem caelum ingressum esse absque purgatorii paenis exantlatis et vidit et narrat[24].

Pro litterario suo opere incipiendo mandatum suae vitae scribendae (— 1562) primum a p. Ibañez et pro altera vitae redactione (— 1565) a p. Garcia recepit[25]. Contra denuntiationem huius vitae coram tribunali inquisitionis 1575 factam pp. Bañez et Fernandus de Castillo eam defendebant. Ut res orationis in «viis perfectionis» (Camino de perfección) illustraret, a p. Bañez licentiam habebat. De fundatione monasterii S. Ioseph Abulensis iubente Garcia Toletano nostro, de aliis fundationibus suggerente p. Ripalda S.I. scripsit. De cetero pp. de Yanguas, Bañez revisores scriptorum suorum aliorum adhibuit[26].

Demum in opere reformationis Carmeli summum subsidium p. Ibañez Abulae Teresia experta est, cum conventum S. Ioseph fundaret. Dominicus Bañez quoque prudentia ac diligentia suis eam auxit[27]. S. Ludovicus Beltran autem 1560 sicut precibus reformatrici Carmeli adstitit ita et prophetia eam erexit[28]. In fundandis conventibus sororum Methymnensi, Vallisoletano, Toletano pp. Bañez, Castillo, Barron e nostris eam promoverunt dum pro fratribus reformatis Carmeli stabiliendis alii Dominicani collaborarunt[29]. Tandem Pius V. Papa apostolicos visitatores pro ordine Carmeli Petrum Fernandez O.P. (1569) et postea Franciscum Vargas destinavit[30]. Patres Castillo et Fernandez rem Discalceatorum coram curia regia hispanica victoriose exposuerunt[31], sicut pro decreto separationis Discalceatorum ab aliis filiis Carmeli sub Gregorio XIII 1580 dato praecipue vota fratrum Praedicatorum audita sunt. Capitulo «separationis» Discalceatorum 1581 habito, de pontificio mandato Ioannes de las Cuevas O.P. praefuit[32].

Harum rationum pondus Carmelitanos maxime discalceatos cum fratribus Praedicatoribus iunxit. Accessit deinde et doctrinae sive mysticae sive thomisticae consonantia, ut ex scriptis S. Teresiae, S. Ioannis de Cruce, theologorum Salmanticensium Carmeli patet[33]. Ideo nil mirum si anno 1694 capitulum generale fratres monet, ut religiosos Carmeli « uti de ordine nostro et schola thomistica benemeritos, venerentur omnique benevolentiae officio prosequantur. Quod etsi omni retro tempore praestandum occurrit, ex qua die ardentissimo rev. p. Ioannis Feyxoo de Villalobos eiusdem ordinis praepositi generalis zelo ad suscipiendam docendamque D. Thomae doctrinam adducti sunt eamque suam in thomisticam scholam venerationem et observantiam speciali SS. D. N. Innocentii XII constitutione roborari et confirmari voluerit. Quibus propterea publicae venerationis nostrae mutuum signum conferamus, committimus rev. p. magistro generali nostro, ut coram Sancta Sede humiliter supplicet pro facultate recitandi per totum ordinem officium commemorationis B. Mariae de Monte Carmelo et B. Angeli Martyris »[34].

Cum S. Ignatio de Loyola (1491/1556) fundataque ab ipso societate Iesu summi momenti relationes ordo Praedicatorum habuit. S. Ignatius a primis diebus eius conversionem 1521 sequentibus influxum maxime salutarem Dominicanorum subiit eorumque beneficiis fruebatur. Nam a Monteserrato descendens in oppidulum Manresae se recepit, ut animum pacaret divinamque vocem audiret. E pauperum hospitali domo mox in conventum Manresanum transiit a patribus per menses plures dirigendus et instruendus. Sub forti pariter, suavi ac sapienti moderatione prioris Guillelmi de Pellaros, qui ei a confessionibus erat, multum in via Domini profecit. Mortificationes quasdam nimias a directore suo spirituali deserere coactus est. Dum per claustrum conventus viam crucis imposita humeris cruce peragere amabat, ante altaria ecclesiae nostrae Manresanae tum SS. Trinitatis tum Iesu Christi visiones habere dignatus est. Sermones et consilia quas a priore ceterisque patribus audiebat[35] absque dubio in compositionem libri exercitiorum spiritualium magis influebant, quam abbatis Garciae de Monteserrato[36] opera, praesertim habito respectu ad formationem adhuc defectivam ad Deum vehementer Manresae aspirantis viri, qui nonnisi legere et scribere potuit, et ad rationem, qua Deus dona gratuita solet dare correspondenter ad dotes vel occasiones naturales. Anno in conventu transacto ad cryptam quamdam secessit, ubi paenitentiae vaca-

ret. Prior id ei permisit ea conditione, quod semel in hebdomada in conventu confiteretur ac de actis scriptisque rationem redderet. Sic in via Domini firmatus fratres Praedicatores reliquit, quos postea iterum Salmanticae et Parisiis invisit. Dum ibi hospitio a fratribus Praedicatoribus receptus et doctrinis B. Alberti Magni et S. Thomae enutritus est, Parisiis scholas theologicas S. Iacobi frequentavit. Ad Urbem perrecturus ab iniquisitore generali Franciae Valentino Liévin O. P. litteras dimissoriales petiit et impetravit[37].

Iam Matthaeus Ory et Thomas Laurent O. P. inquisitores, quorum ultimus S. Ignatii confessarius exstitit, innocentiam Ignatii contra incriminationes professi erant. Laurent insuper copiam libri exercitiorum sibi procuravit[38]. Et Matthaeus Ory etiam Romae Ignatium coram Paulo III 1538 defendit[39]. Dein, cum Paulus III librum exercitiorum censoribus exhiberet, ex quibus Dominicani Aegidius Foscarari et Ioannes Alvarez, plene probatus est[40]. Salutis animarum augendae causa societatem suam instituens, S. Ignatius media noviter et finem assequendum aliter ordinavit ac S. Dominicus, cuius finis idem fuit[41] et de cuius intentione S. Ignatius iam ante ascensum ad Montemserratum aliquando cogitavit[42].

Tum asceticae tum historicae rei peritis comparatio utriusque fundatoris et ordinis graves atque utiles conclusiones innuit[43]. S. Ignatium plurimas ideas ex dominicana legislatione sumpsisse constat. Magistrum sacrarum disciplinarum S. Thomam de Aquino suis filiis dedit et commendavit[44].

Dum patres suae societatis Salmanticae collegium aperuerunt, fratres Praedicatores quidam resistere voluerunt, at per magistrum ordinis Franciscum Romeo pacati sunt, qui litteras commendatitias pro S. Ignatio eiusque opere scripsisse fertur[45]. Magistri generales Seraphinus Secchi et Ioannes Baptista de Marinis eximiam suam aestimationem societatis declarant[46]. Magister Nicolaus Ridolfi suum affectum patribus societatis semper servavit. Capitulares patres ordinis in comitiis 1596, 1644, 1656 eloquentem laudem atque amorem fratrum Praedicatorum in Iesuitas exprimunt[47]. Capitulum anni 1656 ordinavit: «pro commilitone nostra inclyta religione patrum societatis Iesu quilibet sacerdos unam missam[48].

Differentiae tamen haud paucae novam societatem ab ordine Praedicatorum separarunt, in quibusdam fundationibus novis vel domibus erigendis aut surripiendis[49], in conatu nostros arcendi a missionandis Philippinis, Sinensibus et Iaponiae partibus[50], in re rituum Sinensium[51], denique in quaestionibus scholasticis notissi-

mis[52]. Diversae quoque acceptiones vitae asceticae ac mysticae comprehensionem mutuam fratrum Praedicatorum et Iesuitarum difficilem saepe reddiderunt[53]. Coniunctio autem in laboribus pro Ecclesia Dei, martyria simultanea a membris utriusque ordinis in terris missionum perpessa unionem veram in re salutis animarum filiorum S. Dominici et S. Ignatii demonstrant.

Notissimi fundatores tum Oratorii tum congregationis a Somascha tum clericorum regularium S. Pauli, nempe SS. Philippus Neri, Hieronymus Aemiliani, Antonius Maria Zaccaria cum Dominicanis quoque nectebantur. Illius veneratio memoriae Savonarolae, commercium cum patribus Minervitanis et cum S. Catharina de Ricci praedicantur[54], dum duo alii consiliis fratrum Praedicatorum de institutione puerorum vel de vocatione sua edocti sunt[55].

Clerici regulares Scholarum Piarum intercedente magistro generali p. Cloche apud curiam Romanam obtinuerunt, ut et candidatos de cetero recipere et institutiones non solum humaniorum litterarum sed etiam philosophiae et theologiae tradere possent[56]. Filii S. Iosephi de Calasanz e sua parte gratissimi ordini Praedicatorum manserunt[57]. S. Paulus a Cruce fundator congregationis Passionis D.N.I.C. a Benedicto XIII non solum socios adunandi permissionem, verum et sacerdotalem ordinationem recepit. Fuit reginae SS. Rosarii et Aquinati devotus, lectionibus Taulerianis assuetus. Dum moribundus decumbebat r.mus p. Boxadors eum invisit ac confortavit[58]. S. Alphonsus de Liguori, in fundanda congregatione SS. Redemptoris iam sententia p. Ludovici Fiorillo firmatus, in ecclesia Minervitana episcopus consecratus est[59].

III. PARS AB ANNO 1805 AD ANNUM 1929.

I. Evolutio generalis.

E procellosa aetate Napoleonica divinae providentiae et benignitatis ope subducto ordine, animi fratrum nostrorum respirare coeperunt atque animum resumentes ad repristinandam religionem mentem applicabant. Quae quidem repristinatio non absque difficultate neque ubique eodem modo vel tempore fieri potuit. Etenim suppressae remanebant plures provinciae, aliae emoriebantur, aliae ut illae in ditionibus austriacis vel borbonicis a nexu vitali cum capite ordinis per decades annorum segregatae exsistebant. Gravissi-

mumque vulnus administrationi proficuae ordinis inflictum est ex dualismo hispanicarum et italicarum ditionum, qui tandem superatus est sub r.mo p. Jandel, sicut etiam nexus ordinis in pluribus provinciis ab eodem magistro generali restitui potuit.

Evenit nunc calamitas Italorum, dum fervor et incrementum Americanorum septentrionalium iam magis apparebat. Et iterum roborabantur Galli ab anno 1839 duce p. Lacordaire, Hollandi, Belgae, Hispani, Germani, dilabentibus autem fratribus in dominio russico.

Quod capitula generalia, in quarta decade annorum saeculi XIX saltem reviviscentia, sub optimo p. Angelo Dominico Ancarani incoeperunt, qui scripsit: « quod integrum est, consolidetur, et quod lapsum, robustius restauretur »,id actione vigorosa ad profectum et stabilitatem observantiae, vitae communis, studii sacrarum disciplinarum, praedicationis verbi divini apud fideles et infideles, propagationis confraternitatum nostrarum, omnisque laboris pro salute animarum suscepti promoverunt magistri generales validissimi ordinem fratrum Praedicatorum uniformem, promptum, conspicuum reddentes. Fratres apostolicam suam vocationem affirmant, maiorum suorum doctorum luce illuminati, praedicatorum suorum summorum verbo aestimati, martyrum et sanctitate illustrium honestati, ita ut plantatio dominicana hodiernis temporibus non solum adsit, sed etiam permagna utilitate prosit.

§ 89. Discrimen ordinis divisi.

Dum omnes terrae christianitatis sub bellorum ac calamitatum et destructionis iugo quaterentur, religiosa vita spreta et disiecta, regulares Hispani tranquille vivebant. Quam pacem sub argumentis zeli regii pro incolumitate regularium nanciscens, Carolus IV ad modum aliorum ordinum etiam fratres Praedicatores in suis regnis habitantes ab unitate regiminis perfecti avulsit. Consequenter ad constitutiones apostolicas in bulla « Inter graviores» a rege postulata expressas, duplex regimen super ordinem in duas partes administrationis practice distinctum anno 1804 positum est[1]. Dum provinciae linguae hispanicae, nempe 3 in Hispania, 11 in America latina, 1 in insulis Canariarum, 1 in insulis Philippinis, specialem ditionem provinciarum dominio hispanico subiectarum[2] sub proprio administratore sive magistro generali sive vicario generali formabant, alia pars ordinis ceteras omnes provincias complectebatur.

Duplex ideo series superiorum per ordinem imperantium considerenda occurrit, toto tempore, quo ordo retenta quidem unitate tituli magistri generalis in duos quadammodo ramos scindebatur, i. e. ab anno 1804 vel 1805 ad annum 1872.

R.mo p. Gaddi semper vicario generali exsistente a dominio totius ordinis ad partem sat desolatam[3] restricto, ditio hispanica die 15 martii 1805 ex institutione per Pium VII facta vicarium generalem recepit Iosephum Diaz e provincia Baetica[4]. Anno adhuc elapso breve pontificium diei 20 maii 1806 magistrum totius ordinis p. Gaddi nominavit. Qui tum suam institutionem et officium tum constitutionem vicarii generalis Hispaniarum omnibus provinciis communicavit. Hic nuntius quoad secundam partem velut immixtio in partes hispanicas ab aulicis viris maiestatis catholicae consideratus et non concessus est. P. Diaz die 22 iulii 1806 iuxta suam interpretationem bullae « Inter graviores » fratribus sibi subditis communicavit, nuntio electionis r.mi p. Gaddi in magistrum generalem inesse valorem solius notitiae, minime autem illum auctoritate vel iurisdictione in provinciis hispanicis frui[5]. Ad laudem fratrum Hispanorum dicendum occurrit, divisionem ordinis per voluntatem aulae regiae potissime incoeptam ac completam fuisse. Mens conciliativa patrum Hispanorum etiam ex capitulis provinciarum hispanicarum anno 1815 celebratis pro provincia Hispaniae Vallisoleti, pro Aragonia Valentiae, probatur. Nam cum r.mus p. Raymundus Guerrero, e provincia Hispaniae, die 24 novembris 1814 per nuntium apostolicum Matritensem velut successor r.mi p. Diaz vicariatum generalem super ditionem hispanicam accepisset, provincias in capitula congregari cupivit. Capitulum Vallisoletanum desiderium unionis perfectae ad curiam Romanam transmittendum ei significavit. Ipseque immediate ad Summum Pontificem recurrit, regem de sua postulatione informans. Dum Pius VII benignissime preces oratoris hispanici audivit, Ferdinandus VII unitatem perfectam ordinis denuo consummari renuit[6].

Cum ergo bulla « Inter graviores » abrogaretur, utraque pars ordinis eam aequae exsecutioni mandare studebat. In ditione hispanica usque adhuc vicarii generales gubernabant, nullo magistro generali ibi nominato, sicut et celebratio capitulorum generalium pariter ex instabilitate temporum differebatur. Tandem negotiis praehabitis nuntii Matritensis cum rege Ferdinando et cum Sancta Sede, Leo XII bulla diei 29 iulii 1825 magistrum generalem Ioachim Briz, e provincia Aragoniae, instituit[7]. Cuius magistri ditio

quidem iuxta tenorem bullae « Inter graviores» ita circumscripta est, ut contineret provincias universas linguae hispanicae tum in regno Hispaniarum tum in Philippinis atque in America latina. Remansit vero postestas magistri generalis hispanici super provincias Americae latinae quascumque theoretica prorsus, duplici ex ratione primo quia gubernia novorum statuum commercium suorum religiosorum cum superioribus extraneis prohibebant, deinde quia illae provinciae crisi interiore notabili opprimebantur.

Ad unitatem ordinis non solum nominalem, sed realem sincero passu et opere tendens r.mus p. Briz cum r.mo p. Jabalot, procuratore generali Romano, communicavit circa prolungationem suae potestatis die 29 augusti 1831 exspirantis et circa capitulum generale, quod Caesaraugustae habendum erat. Insuper hi viri circa capitulum generale in Romana parte faciendum et circa confirmationem vicarii hispanici per magistrum generalem apud Romanos eligendum sibi scripserunt. Ex quibus relationibus mutuis amor ordinis sincerus ac sollertissima unio spirituum apparent. Accedente nunc consensu regio et informato Papa Gregorio XVI, decretum pontificium diei 3 octobris 1831 firmatum est, quod unitatem ordinis Praedicatorum restauraret, eo servato modo, ut vicarius generalis ditionis hispanicae per magistrum generalem Romae residentem confirmaretur. Indicta eadem die 18 iunii 1832 in vigilia Pentecostes electiones unius et alterius ditionis habitae sunt. Caesaraugustae vicarius generalis Franciscus Usagre scrutinio designatus est, dum Romae examinatio et scrutatio votorum schedis transmissorum locum habuit, quibus r.mus p. Jabalot ad magisterium generale evectus fuit. Cum enim ob graves conditiones capitulum generale in Romana ditione congregari nequiverit, Papa electionem per schedas concesserat. Ita eodem die ordo Romae magistrum generalem et in Hispania vicarium generalem rite obtinuit. R.mus p. Usagre confirmationem petendo et zelum suum pro unitate ordinis et se ad consilia magistri generalis in rebus difficilioribus recursurum protestatus est[8]. P. Jabalot die 10 augusti vicarium generalem hispanicum in officio confirmavit, harmonia inquantum fieri potuit ex utraque parte effecta. Rebellio tamen in Hispania anno 1834 orta ampliorem regressum ad constitutionem ac regimen ordinis impossibilem reddidit. Loco vicarii generalis super Hispanos religiosos dispersos commissarius apostolicus constitutus deinceps invenitur. Postquam autem vita dominiciana per intrepidos patres

instauratione regulari ab anno 1860 in Hispania effloruit, quaestio unitatis ordinis discutienda denuo secuta est. Incessanter tum ex Philippinis tum ex Hispania conatus, vota, industriae acquirendae unitatis ordinis cum altera parte provinciarum formabantur. Patres in capitulo provinciali Manilensi 1863 adunati desiderium unitatis efficiendae ad r.mum p. Jandel porrexerunt, qui tanto operi proficuorum nil intentatum relinquens, personaliter in Hispaniam profectus est. Ab ea tamen sine fructu immediate obtento discessit. At viri religiosissimi, ut Andreas M. Solla Garcia, cuius applicatio in patria et in Urbe demonstrata a capitularibus generalibus anni 1868[9] congregatis summe laudatur, p. Romero commissarius Hispanorum, qui cum p. Jandel specialiter Parisiis Zamoram veniente de hac re instantius propter consensum reginae exspectandum tractavit[10], et Iosephus M. Larroca, unionem prae aliis promovebant, nova difficultate quidem propter iteratam rebellionem in Hispania mense septembri 1868 ortam impediti, licet non a proposito deiecti. Tandem ut capitulum generale anno 1885 denuntiat « gravissimo vulneri medendo, quod ineunte hoc saeculo, inviolatae prius ordinis unitati inflictum fuerat, quum plures scilicet florentesque hispanicarum ditionum provinciae a reliquo ordine distractae sunt per bullam «Inter graviores » quam Pius Papa VII, ad instantiam regis catholici, in magno illo rerum omnium certamine atque discrimine ad maiora mala vitanda emiserat, aptissimum remedium adhibitum esse, cum indeficienti nostrorum ex Hispania, atque ex Insulis Philippinis optimorum patrum sollicitudine atque supplicationibus, omnibus obstaculis tandem submotis, SS. D. N. Pius Papa IX per suas apostolicas litteras in forma brevis tamdiu exoptatam expetitamque ordinis unitatem restauravit »[11]. Quae litterae pontificiae datae fuerant die 12 iunii 1872. Patrem Larroca, unum e validioribus promotoribus unionis magister generalis inter socios suos mense septembri eiusdem anni assumpsit, cum titulo provincialis Graeciae[12]. Sic felicissime discrimen, per annos fere 70 protractum et ordinem discerpens, compositum est.

Ordinis divisio minime fuit illa sola constitutio specialis ditionis hispanicae, quinimo provinciae et conventus aliarum regionum legibus civilibus relate ad commercium cum supremo ordinis capite ita ligatae erant, ut ex hac quoque parte unio efficienda ac sollicitanda esset[13]. Ipsa hispanica ditio per rebellionem nationalem Americae latinae contra gubernium regis catholici dissolvebatur, ita-

ut una vel alia provincia Americae meridionalis per plures decades annorum fere nullum commercium cum quocumque supremo moderatore ordinis sive hispanico sive italico habuerit. Sensim autem praecipue ex anno 1860 dissitae illarum provinciarum reliquiae, praesertim cura et studio visitatorum, ad ordinis stirpem ac vivificam unitatem dirigi ac redire coeperunt[14].

In regno utriusque Siciliae regium *placet,* quod pro omnibus ordinationibus auctoritatum ecclesiasticarum requirebatur, cunctam administrationem regularem valde impedivit, licet eam non sustulit. In statibus austriacis et Hungariae communicatio ordinaria fratrum cum ordinis capite ex saeculo XVIII exeunte intercepta remansit, donec anno 1856 «nexus» iterum perfici potuerit. Pro imperio russico idem ac pro dominiis Habsburgicis valet. Imo in Russia inde a saeculo XIX litterae ecclesiasticorum ad Urbem directae per ministerium rerum exterarum transmittendae erant[15].

§ 90. Moderatores supremi 1804-1872.

In ordinis parte, quae ab Urbe dependebat, primum velut vicarius generalis et ex 1806 velut magister ordinis r.mus p. Gaddi gubernabat, saepe nimis ex tristissimis temporum conditionibus in regendo impeditus. Praecipue in Italia incursus Napoleonici regimen ordinis in dies difficiliores reddebant, libertate actionis atque administrationis intercepta, suppressis conventibus, una provincia Romana quodammodo regulariter per paucum tempus procedente. Cum autem anno 1809 Gallorum imperator pontificium statum suis dominiis aggregasset et Papam in Galliam deportasset, cardinales et ordinum supremi moderatores ab Urbe Parisios directi sunt. P. Gaddi die 12 augusti 1809 Romam reliquit[1], Parisiis vestes ordinis cum habitu saeculari mutando. Biennio fere Antisiodori transacto, annis 1811 et 1812 Mediolani et in patria sua Foroliviensi detentus est. Tempore absentiae magistri ordinis ab Urbe pp. Bartocini (— 1810) Molineri (— 1811) et postea Olivieri res moderabantur[2]. Recuperata urbe Pius VII ordines religiosos per decretum imperiale suppressos resuscitavit. Regiminis patris Gaddi plures osores ex serie maioris quidem notae patrum exsisterunt, eius depositionem postulantes sub specie conniventiae patris Gaddi cum regimine Napoleonico. Processu instituto et causa examinata, r.mo p. Gaddi honos restitutus est. Velut vicarius generalis ipse ordini ex mense octobri 1814 ad 23 decembris 1818 prospexit.

Successit ei Pius Mauritius Viviani antea procurator generalis per Pium VII die 3 ianuarii 1820 sub titulo quidem pro-vicarii generalis ordinis, sed auctoritate et potestate omnibus instructus, quae capiti unius partis ordinis iuxta bullam « Inter graviores » competebant[3]. Cum apoplexia tactus Viviani ab officio recessisset, novusque vicarius generalis partis Romanae r.mus p. Iosephus M. Velzi, quem Leo XII die 23 octobris 1823 nominaverat adhuc in visitatione apud Siculos peragenda detineretur, r.mus p. Bardani secretarius Indicis ordini nuntium de novo moderatore Romanae partis et de sua propria potestate ad interim sibi concessa dedit[4]. Velzi per quinquennium regimen suum exercens 12 iulii 1828 vicariatum ordinis deposuit unice magisterium S. Palatii, quod per annum unum et dimidium cum suo munere super ordinem duplicaverat, retinens, ad cardinalatum et episcopatum ascensurus.

Vicariatu generali trium annorum per Thomam Ancarani († 1831) habito Gregorius XVI 1831 r.mum p. Franciscum Ferdinandum Jabalot, tunc procuratorem generalem, pro-vicarium super fratres extra ditionem hispanicam exsistentes constituit, qui die 18 iunii 1832 schedis ad magisterium generale electus est. Eruditione sua et fama in Urbe conspicuus maiora promisit, cum mense martio 1834 obierit. Post regimen transitorium Iosephi Rosarii «superioris generalis», r.mus P. Benedictus Mauritius Olivieri, administrationis rebus in curia Romana et ordinis iam assuetus, institutione pontificia ad magisterium generale promotus fuit.

At officium biennio nondum elapso dimisit, succedente r.mo p. Hyacintho Cipolletti († 1850) viro dignissimo et doctissimo per annos tres (1835/38)[5]. Magister Cipolletti accuratum regimen ordinis restaurare desiderans pro die 2 iunii 1838 capitulum generale electivum in Urbe conveniendum (in Hispania iam desolatio inceperat)[6] edixit, quo capitulo Dominicus Angelus Ancarani († 1849) electus est[7], cuius intenta optima per statuta comitiorum generalium annorum 1838 et 1841 corroborata mire praecedunt ac coincidunt cum actione providentiali Dei in ordinis magnas partes per p. Lacordaire exsequenda. Eum r.mus p. Ancarani die 9 aprilis 1839 habitu donaverat[8].

In electione anni 1844 non p. Cipolletti sicut multi sperabant, sed Vincentius Ajello († 1854) magister generalis renuntiatus est. Per seditiosos Romanae reipublicae anno 1850 ab Urbe pulsus, Neapoli sexennium suum finivit, p. Gigli vicario generali Romae relicto[9].

Viduato ordine post magisterium generale r.mi p. Ajello Pius IX de moderatore prospicere ipse cupivit. Receptis informationibus[10] a marchione de Narp, a cardinali Orioli praefecto congregationis Episcoporum et Regularium, a patribus Buttaoni et Palmeggiani, a nuntio Parisiensi pluribusque episcopis Galliae exeunte mense maio 1850 patrem Jandel Romam accersivit, et composita quaestione circa insidiosam accusationem liberalismi in patres Jandel et Lacordaire prolatam, qui ultimus et ipse ad Urbem venerat, decreto diei 1 octobris 1850, capitulo generali illo anno habendo supersedendum esse declaravit et in vicarium generalem ordinis ad beneplacitum S. Sedis r.mum p. Vincentium Jandel instituit[11].

Qui postquam decretum die 30 septembris recepit, die 2 octobris litteris circularibus ordinem de institutione et regimine suo instruxit. Programma autem suum nonnisi epistula data die 25 decembris 1850 a se suisque sociis signata ordini aperuit, referens ante omnia longe de cultu observantiae, praesertim per speciales conventus in unaquaque provincia ope fratrum voluntariorum condendo. Deinde etiam in illa epistula breviter p. Jandel de zelo missionibus exteris impendendo loquitur. Huius programmatis, in pluribus methodum B. Raymundi Capuani redolentis, apologiam p. Cormier large confecit[12].

Seriem conventuum observantiae, in quibus disciplina integra regularis observaretur cum servitio chorali ac recitatione matutini nocturni, cum abstinentia et perfecta vita communi, apud S. Sabinam de Urbe r.mus p. Jandel auspicatus est. Visitationes in Italia, Gallia, Anglia, Germania, Bohemia, Austria, Hungaria, Polonia plures ipse perfecit, ceteris regionibus (ut Americae diversis provinciis) visitatores, vicarios generales ac commissarios destinans. Ut fratres ad missionum amorem incitaret, non solum novos campos operariis implevit, verum etiam conventum Corbariensem ad formandos missionarios erigendum cogitabat[13]. Rationem studiorum anno 1852 edidit, capitula generalia tria celebravit. Libros liturgicos curare, fraternitates ac tertium ordinem promovere non desiit. Die 17 decembris 1855 auctoritate apostolica in magistrum generalem institutus est. Eamdem dignitatem electione obtinuit (et quidem abrogata lege de sexennio) die 7 iunii 1862 ad duodennium. Quod autem non explevit, cum 11 decembris 1872 Romae apud hospitium generalitium diem supremum obierit.

Tempore sui regiminis ordo Praedicatorum vires maxime internas vehementius colligens, patribus egregiis ubique collaborantibus, vitalior procedere incoepit.

Pro hispanica ditione Pius VII r.mum p. Iosephum Diaz († 1809) in vicarium generalem primum die 15 martii 1805 instituit[14], qui hospitium generalitium Matriti paravit, secum habens 11 personas, ut ipse in litteris mensis septembris 1805 testatur: duos secretarios, procuratorem generalem, vicarium, duos amanuenses, tres fratres conversos et duos famulos laicos.

Post p. Diaz nullus immediate superior maior in Hispania successit, donec mediante nuntio in Hispania die 24 novembris 1814 per S. Sedem vicarius generalis factus est r.mus p. Raymundus Guerrero qui industria generosa ordinem ad unitatem perfectam perducere conabatur († 1828)[15]. Misit Romam patrem Sopena, qui postulatorem sanctorum pro hispanica parte ordinis ab anno 1816 et ab anno 1818 etiam procuratorem generalem Hispanorum apud S. Sedem ageret. Attamen Sopena viam conciliationis sui superioris non amplexum esse videtur. Quare hic eum in Hispaniam remeare anno 1825 iussit[16].

Magister generalis in Hispania residens Ioachim Briz a Leone XII vi specialis bullae datae die 29 iunii 1825 institutus est[17]. Eius regimen ex nuntiis rebellionem hispanicam anni 1834 praecedentibus obnubilatur. Sui magisterii sexennio aliquantulum aucto usque ad capitulum generale anni 1832, ipse mense februario 1832 ad episcopatum Segobiensem promotus fuit. In illis comitiis Caesaraugustae habitis vicarius generalis Hispanorum evasit Franciscus Usagre, provinciae Aragoniae filius et provincialis, in vicariatu a magistro ordinis confirmatus[18]. Post biennium vita functo r.mo p. Usagre († 1834), vicariatus generalis per breve tempus ad Vincentium Bernaldo de Quiros (†1853) transiit. Quem in gubernandis fratribus dispersis Hispaniae tamquam commissarius Ioannes Genis secutus est, qui Romae, ubi longius vivebat, mense novembri 1856 mortuus est[20].

Ipse ex anno 1851 post conclusum inter S. Sedem et regnum Hispaniae concordatum, feliciores dies pro suis confratribus oriri videre valebat. Ad eum, institutione die 7 novembris 1856, successit in commissariatu hispanico Antoninus Orge[21]. Post cuius obitum commissariatus ab anno 1867 usque ad unionem ordinis per r.mum p. Vincentium Romero, a Pio IX nominatum, gerebatur[22].

§ 91. Moderatores supremi 1872-1929.

Defuncto r.mo p. Jandel vicariatus ordinis provinciali Romano Iosepho M. Sanvito in cuius ditione proximum capitulum generale indictum erat obtigit[1]. Quem Sanvito per septennium tenebat, in cuius primo tempore ob difficultates utique inquieti aevi capitulum congregare nequivit.

Extra capitulum generale per schedas ad Urbem transmissas ibique 3 octobris 1879 inspectas ad magisterium generale destinatus est Iosephus M. Larroca, tunc Manilae velut visitator ac vicarius generalis degens. In Europam et Urbem reversus, munus in templo Minervitano kalendis februariis inchoavit, quod prudentia, vitae regularis studio, gravitate ac suavitate gessit. Tamquam magistrum generalem primum post ordinem unitum per vota omnium provinciarum elevatum, eum cura movit ad visitationes non solum remotiorum Europae, sed etiam dissitissimarum Americae partium ordinis. Capitulo Lovaniensi 1885 praefuit, auxit pietatem rosarianam, studia fovens conventum rei biblicae dedicando Hierosolymis et domum professorum ordinis nostri apud Helvetios Friburgi suscepit. Animi et corporis afflictationibus percussus, die 8 ianuarii 1891 in Urbe quievit[2].

Uti priori provinciali provinciae Lugdunensis, in qua capitulum generale erat celebrandum, Iosepho A. Laboré vicarii generalis munus advenit. Eique nil sanctius erat, quam capitulum electionis convocare. Ita vocales, Lugduni die 19 septembris 1891, in magistrum generalem Andream Frühwirth, provinciae Imperii provincialem, elegerunt[3]. Qui seriem comitiorum generalium per varias ordinis partes successive indictorum ad ordinis inaestimabile incrementum instauravit, splendidis litteris circularibus, praesertim illa de sacra praedicatione, ordinem totum pascebat, editiones liturgicas et Leoninam operum Aquinatis promovit, ephemeridem officialem Analectorum ordinis publicare iussit atque iuri nostro et pariter historiae prospiciens acta capitulorum generalium immenso cum fructu in serie historicorum monumentorum etiam ab ipso inchoatorum, edenda curavit. Causis beatorum nostrorum absolvendis efficaciter subvenit. In tuendis ac vindicandis iuribus opprimentia pericula a variis conventibus, ut illis S. Sabinae et Quercensi, elisit. Vitam communem sollers introduxit. Exiens anno 1904 e mu-

nere, summum affectum ordini conservavit ac postea cardinalis exsistens venerabili sua praesentia fratrum coetus et solemnia in Urbe distinguere non cessat[4].

In capitulo electivo apud Viterbiensem conventum S. Mariae de Quercu habito r.mus p. Hyacinthus M. Cormier die 18 maii 1904 magister generalis designatus fuit, qui provincialatu Tolosano ter expleto, procurator generalis exstitit, Romanis moribus et administrationi iam assuetus. Qui dum adhuc potuit, visitationes canonicas per Italiam ac centralem Europam suscepit. Postea visitatores ubique misit. Pietatis exemplum et doctrinam devotionis omnibus modis et scriptis et exercitationibus inculcans, sacrae scientiae fautoris tum ex compilatione rationis studiorum tum ex fundatione collegii Angelici de Urbe laudem sibi comparavit. In hoc quoque collegio curiam suam magister generalis ac dignam sedem centralem ordinis instituit. Sui officii muneribus non exhaustus, zelum dirigendarum animarum in viam Domini ultra fratres extendit ad sorores proprii et aliorum ordinum necnon et ad saeculares. Postquam aestate anni 1916 e magisterio discessit, Romae apud conventum S. Clementis die 17 decembris 1916 animam suam Deo reddidit[5].

Dum bellum immane Europam ac mundum pervaderet, in pace religiosae fraternitatis patres capitulares Friburgi Helvetiorum adunati, die 3 augusti 1916 r.mum p. Ludovicum Theissling Hollandum suffragiis ad magisterium generale evehebant, qui tesseram suam edixit esse studium et ministerium apostolicum[6]. Apprime de statu totius ordinis informatus, quippe qui plures ditiones ex visitationibus sub r.mo p. Cormier a se perfectis noverat, proprio iudicio quaestiones difficiles administrationis dilucidare et componere valebat. Italiam, Americam, Asiam cum omnibus missionibus extremi orientis inspexit, postea orientalem, centralem, occidentalem Europam semel et iterum, Asiae minoris, Palestinae, Turchiae, Dalmatiae plagas etiam visitans. Studiorum praeparantium, novitiatui, cursus philosophiae et theologiae Italorum egregia cura donare uniformi et observanti disciplina nisus est. Centenaria solemnia ordinis confirmati, obitus S. Dominici, canonizationis Aquinatis celebravit. Capitula generalia annis quaternis instituit. Congregationem tertii ordinis ad ordinem accepit, reformationem liturgiae nostrae, regulam tertii ordinis saecularis, summaria indulgentiarum plura ac codificationem nostrarum legum tum fratrum tum sororum parare curabat. Superato miro labore capitulari anni 1924, viribus fractus die 2 maii 1925 Romae in Domino obdormivit[7].

Cum generale capitulum proximum Occaniae celebrandum esset, vicariatum ordinis mortuo generali magistro provincialis Philippinarum r.mus p. Serapius Tamayo assumpsit. Qui die 15 iunii Romam perveniens, litteras circulares datas die 4 augusti ad ordinem de sui officii ratione atque de obitu r.mi p. Theissling scripsit[8] et alia epistula diei 1 decembris 1925 capitulum electivum convocavit[9].

In vigilia Pentecostes die 22 maii 1926 primo electorum scrutinio r.mus p. Bonaventura Garcia de Paredes, exprovincialis Philippinarum, ad magisterium generale elatus est. In festo Nativitatis Domini 1926 litteris encyclicis ordinem salutavit suique gubernii principia expressit[10]. Postquam aedes proprietatemque monasterii SS. Dominici et Xysti de Urbe in commodum ordinis emit[11], a supremo magisterio verno tempore anni 1929 se abdicavit[12]. Generalem vicariatum ordinis usque ad capitulum generale r.mus p. Ioannes Casas antea socius tum r.mi p. Theissling ad tempus, tum r.mi p. Paredes obtinuit[13].

Die tandem 21 septembris 1929 electores Romae congregati suffragiis suis ordini praefecerunt r.mum p. Martinum Gillet, antea provincialem Franciae, doctrina, sermone scriptisque egregium[14]. Cuius directioni res dominicana commissa, faustos felicesque dies continuo videat. In Nativitate Domini litteras primas dedit.

§ 92. Acceptiones observantiae.

Non favebat initium saeculi XIX quaestionibus et praxi accuratioris observantiae, cum spiritus dissolutionis ligamina vitae socialis, politicae, religiosae disgregaret. Inter varias ordinis provincias nonnisi illae Hispaniae et modulo suo etiam italicae observantiam adhuc exercebant, aliis provinciis desolatis vel periclitantibus. Perturbata deinde re civili in Hispania, Italia unica terra remansit, in qua spes cultus observantiae servari et efflorescere potuit. Ita et fratres Pedemontani, ex quo restaurationem suae provinciae exsecuti sunt, observantiam colebant[1]. Et mox postquam vel aliae provinciae italicae consolidatae, sensim ad disciplinam ordinatiorem adspiraverint, videmus r.mum p. Ancarani, « virum quanta pietate, quanta doctrina, quo religionis zelo ac praedicandi studio insignem neminem latet »[2] in capitulo generali, revocatis in memoriam, quae saluberrime statuta circa disciplinam regularem et ob-

servantiam per constitutiones et capitulorum ordinationes ac monitiones fuerunt, e. g. de uniformitate in exteriore habitu, de modo disponendi diem in communitate religiosa, de promovenda et amplectenda vita communi « statui religioso adeo consentanea »[3]. Per p. Buttaoni dein apud conventum Quercensem vita obsarvantiae instituta est[4].

Maiore cum notorietate res disciplinae regularis et observantiarum cum nomine r.mi p. Jandel connectuntur. Cuius viri zelantissimi et fortissimi voluntate inclinatio ac cogitatio in restaurandam regularem disciplinam et observantiam speciali gustu ferebatur. Recte eum hominem rerum internarum appellavit p. Lacordaire, qui seipsum hominem actionis apostolicae nominabat[5]. « Nostram ideo (scribit ipse p. Jandel in litteris ad ordinem die 2 octobris 1850 datis[6]) consolationem et gloriam reputabimus, quoties in aliquo conventu regularem disciplinam... confirmare nobis dabitur et ita eorum votis obsecundare, qui spiritu S. P. N. Dominici animati collapsam temporum calamitate observantiam deflentes et charismata meliora aemulantes ad perfectiora feruntur et vitae suae formam ad normam constitutionum nostrarum instituere satagunt». Ideas suas clarius et plenius die 25 decembris 1850 in longiore epistula expressit. Systema conventuum observantiae apud S. Sabinam in praxim deducere coepit, ubi fratres praecipue ex iis in Quercensi coenobio formatis congregavit[7], instituto super eos priore p. Hyacintho Besson. Remedium enim aliud ad completam praxim totius observantiae pro ordine iuvando non agnoscit. «Cum iuxta nostrum institutum, apostolicae curae praecipuum sint, et legitimum inter omnia dispensationis motivum, vidimus tamen solas provincias, ubi vita magis activa et indefessus labor, eas esse quae severiorem disciplinam retinent, dum conventus minus observantes sunt etiam minus occupati »[8]. Confirmabatur haec propensio observantiae ex decreto per cardinalem Orioli initio anni 1851 publicato pro religiosis Italiae quibuscumque valente, cum eo praeciperetur omnes domus novitiatuum et studiorum etiam domus observantiae et vitae communis esse debere. Quod decretum rumorem et agitationem causavit. R.mo p. Jandel apud exteros versante, ipse cardinalis Orioli suum praeceptum colendi observantiam et vitam communem, in permissionem talis vitae generis mutavit. Insuper instantiae ad diminuendam rationem observantiae conventus S. Sabinae de Urbe fiebant et sequebantur. Quare magister ordinis ex Anglia subito Ro-

mam vocatus, Pio IX memoriale moderatione plenum submisit, ad quod die 17 martii 1852 responsum venit, quod sensum patris Jandel confirmabat, eo excepto quod extra conventum S. Sabinae chorus nocturnus non constitueret conditionem, sine qua non, admissionis ad habitum[10].

Per hanc pontificiam decisionem acceptiones quaedam[11] optimorum pp. Jandel et Lacordaire discrepantes de eodem puncto bene compositae fuerunt.

Sicut conventum observantiae in Urbe r.mus p. Jandel statuit, ita conventus observantiarum Lugduni, Gaecii, Cracoviae aliisque in locis laudavit. Dum in provincia Franciae, Imperii, Galiciae conventus observantiae a corpore provinciarum separavit et sub sua immediata iurisdictione sumpsit, alibi (ut in Sicilia) multitudinem administrationis repressit, ut facilius ordinatam vitam regularem roboraret. In visitationibus suis spiritum et cultum observantiae pandidit et plantare non omisit.

Quoad observantiam choralem, ut ita dicatur, in puncto chori nocturni, quem ipse quidem fundamentum dominicianae observantiae habuit[12], vincere nequivit, sed in partibus essentialioribus, nempe in digno cantu chorali plurimos conventus dignissime ad missam, vesperas, completorium occupari, praecipue post statutum capitulare Gandavense anni 1871[13], cum satisfactione vidit.

Particulare momentum in re disciplinari et observantiae conceptui ac praxi *vitae communis* competit. Eam Pedemontani in sua provincia restaurata ac pp. Viviani et Buttaoni in conventibus S. Sabinae, Reatino, Querquensi plantaverant[14]. Eius inculcatio in capitulis generalibus reflorentis ordinis ab anno 1838 notatur. Haec vita communis magis commendatur anno 1868[15], inquantum novae fundationes nonnisi sub conditione amplexandae huiusmodi vitae rationis concedi posse dicuntur. Dein Leo XIII magna vi in exercenda vita communi institit, amantissimis aeque ac urgentissimis verbis ab ipso magistro generali 1889 introductionem vitae communis ubique postulans. Ideo hortationes ad magistrum generalem modo defunctum suscipientes, patres capitulares Lugduni 1891 adunati, vitae communis praxim ordinaverunt[16] et r.mus p. Frühwirth intrepide omnia movere non destitit, ut hanc viam regiam quae vita communis est et dicitur commendaret, inculcaret, introduceret. Deinde capitulum Gandavense anni 1901[17] ea, quae de hac vita enuntiata fuerunt, confirmavit et renovavit. Tandem anno 1907[18] capitulares

patres iis, qui de vitae communis perfectae in aliquibus provinciis collapsae restauratione bene meruerunt, gratias exhibent et addunt: « admonentes omnes in Domino, ut caveant ab omnibus iis, quae.. hanc vitae communitatem ac spiritum paupertatis S. P. Dominico adeo carum paulatim debilitarent ».

Huic vitae communi, ut patet, sicut omnibus indigentiis nostrarum observantiarum ac plenae vitae regularis conventus maiores maxime favent, dum domus minores ei obstant. Ideo multiplicatio incauta domorum, a capitulis annorum 1871, 1898 aliisque prohibetur et r.mus p. Theissling scitissime sui decessoris ideam repetebat dicentis: « ad quid.. canales et rivulos multiplicare, si ipse fons aquarum inde rarior et deterior efficeretur »[19].

Forma apparentiae exterioris fratrum in habitu pleno et patenter delato variis vicibus in capitulis regulatur[20]. Velut exceptio consideretur vestimentum, quod habitus religiosus non est.

§ 93. Progressus codificationis legum.

Ordini Praedicatorum in nova hac periodo necessarium erat, leges suas in forma apta praeiacentes habere. Fuit punctum unum summi momenti, ut ordo, qui sub r.mo p. Jandel vitalitatem magis ostendere coepit, novam post annum 1690 editionem constitutionum aggrederetur. Ideo capitulum generale anni 1862 hanc commissionem desiderabilem ac prorsus naturalem dedit generali magistro[1]: « .. ut per viros ordinis nostri doctiores iurisque nostri peritiores a se delectos revisionem constitutionum nostrarum curet infra quinquennium absolvendam; quo futuri capituli generalis deliberationibus subici rite possit ». Impigre magister ordinis hanc revisionem perficere desiderans, epistula diei 28 octobris 1863[2] ad priores provinciales directa, ab eis eorumque consilio lumina efflagitabat circa methodum in reordinandis constitutionibus adhibendam. Quaestiones praecipue erant, utrum conservari debeant distinctiones et capitula qualia exstant varias materias declarationum sub capitibus ad eas spectantibus referendo, abrogatas ordinationes tollendo eisque recentiores dispositiones substituendo vel potius «servato semper ut patet integro constitutionum textu alio tamen ordine, quam nunc » materias distribuere sub tribus distinctionibus de regulari observantia ac disciplina, de officiis fratrum, de fundationibus, electionibus ac regimine ordinis et quidem sub maiore nume-

ro capitum. Secundam viam magis r.mo p. Jandel arisisse haec phrasis ostendit: « Rev.mus p. Genis (bonae memoriae), quo neminem legum nostrarum peritiorem novi, in favorem ultimae methodi totis viribus propendebat, et, ut verum dicam, ipsi plane cum multis aliis et praesenti materia versatis assentior ». Addit autem «graves in ordine nostro non deesse viros, qui praefatam innovationem fortiter impugnent». Quorum votis praevalentibus, p. Jandel cum adlaborantibus patribus volumen constitutionum disposuit secundum distinctiones et capita consueta assumptis novis ordinationibus in loco respectivo[3]. Cuius codicis provisorii Pictaviis anno 1867 impressae copiae tres unicuique provinciae transmittebantur. De eo quaestio et examen instituta sunt in capitulo generali anni 1868, cuius principalior scopus[4] in revisione constitutionum situs erat. Decretis quinque normis editionem definitivam libri constitutionum moderantibus, magister generalis — auditis patribus nationum diversarum — commissionem revisorum destinavit, qui erant sub praeside p. Raymundo Bianchi procuratore generali, Ambrosius Potton, Thomas Tosa, Thomas Anselmi, Thomas Burke. « Quibus quintum pro hispanicis adiungere sibi reservavit, si et postmodum ipsas unitati ordinis Deo donante tandem redditas visitare potuerit»[5] Studia laboresque commissionis in capitulo generali Gandavensi 1871 iterum discutiebantur. Intactis tum fine ordinis tum mediis capitulum generale auctoritate propria utens et dispensationibus ab Apostolica Sede concessis inhaerens, in observantiis moderationes parvas apposuit[6].

Ad volumen constitutionum fratrum ordinis Praedicatorum velut editionem approbatam a capitulo generali anni 1871 r.mus p. Jandel die 5 maii 1872 praefationem signavit, ipseque liber eodem anno 1872 Parisiis apud Poussièlgue fratres bibliopolas prodiit, anno 1886 insertis ordinationibus capituli generalis Lovaniensis 1885, per r.mum P. Larroca novam publicationem sortiens. In titulum ultimae editionis vocem *sacri* (O. P.) assumpserunt.

Decennio post hanc editionem constitutionum nondum elapso iterum de codificatione legum sermo redivit. Neque de sola reeditione libri agebatur, quod in capitulo generali anno 1895 his verbis petebatur[7]: « Ne igitur pietas fratrum multitudine legum potius obruatur quam iuvetur, committimus r.mo magistro generali, ut instituat commissionem aliquorum doctorum ordinis rei theologicae et iuris apprime peritorum, qui universas leges nostras attentissima

revisione introspiciant... simulque novam constitutionum editionem statui praesenti ordinis et constitutionibus apostolicis aptius accomodatam, titulis, distinctionibus, capitulis et articulis iuxta materiarum ordinem, capitulo generali proxime futuro vel alteri examinandam saciendamque proponant ». Capitulum Gandavense anni 1901[8] amplius desideravit deputationem 4 fratrum, qui editionem constitutionum redigerent. Eiusdem capituli Gandavensi definitorio quidam « codex constitutionum fratrum S.O.P. » oblatus est ut idea codificationis legum nostrarum facilior redderetur. Deinde r.mum p. Cormier dicunt « fratrum desideriis praeeuntem novae editioni codicis constitutionum manus iam apposuisse»[9]. Quod quidem initium parvum fuit. Nam ipse a capitulo generali 1907 rogatur, ut adhibeat fratres magis idoneos qui « optatam constitutionum nostrarum editionem, revisam, auctam et melioratam praeparare, suoque tempore publicare satagant ». Cum sermo circa tale opus sub r.mo p. Cormier obmutuisset, provinciae variae accuratam notitiam tenoris legum habere cupientes, specialibus libellis ordinationes et constitutiones recentiores comprehenderunt, e. g. pro Hispanis Iacobus Messeguer, pro Anglis Humbertus Everest, pro Germanis Amandus Möllenbrock.

Vigente demum codice iuris canonici Piano-Benedictino, revisio constitutionum atque earum conformatio cum iure ecclesiastico novo urgebat. Ideo cura et zelo summis r.mus p. Theissling codificationem iuris et legum nostrarum molitus et prosecutus est. Capitulum Caurii anno 1920[10] celebratum normas generales pro codificatione commissionemque specialem statuit, quae Romae convenit praeside Ioanne Casas, patribus Alberto Zucchi provinciali Romano, Alphonso Langlais exprovinciali Canadensi, Thoma Crotty Hiberno, Dominico Ratnik Hungaro formata. Ob infirmitatem recedente patre Casas, p. Zucchi praesidium commissionis obtinuit, suffecto in gremio huiusmodi virorum patre Sabino Alonso. De horum patrum labore et provinciarum collaboratione r.mus Theissling die 29 iunii 1923 dixit et desideravit: «Quinque illi patres assiduo studio et laudabili zelo indefessam operam dederunt, ut arduam commissionem sibi factam ab bonum finem perducerent. Quod pro votis ipsis cessit. Etenim collatis consiliis cum patribus nostrae curiae generalitiae novum textum nostrarum constitutionum composuerunt », in provinciis examinandum[11].

Provinciarum iteratis responsionibus Romae inspectis novum schema capitulo generali anni 1924 praesentatum est ac in eo disscussum, ut haec exaratio constitutionum duobus sequentibus capitulis subiceretur. In hac constitutionum redactione, ad modum codicis iuris ecclesiastici divisione quina assumpta, in numeris 1228 ius nostrum codificatum est, editum in volumine actorum capituli generalis Romani anni 1924 et in libro anno 1925 et 1930 in Urbe prodeunte.

Dum capitulum generale Occaniense opus legislativum continuavit, novis exinde commissionibus praeside Iosepho Noval in Urbe annis 1926 et 1928 congregatis[12], Romanum capitulum ordinis anni 1929 rem constitutionum non tetigit.

§ 94. De habitudine ordinis ad alios ordines et congregationes.

Si respectus est ordinis Praedicatorum ad monachalem, subito relationes, quas Lacordaire in suo statu praeparatorio ad vitam dominicanam cum Benedictinis Solesmensibus habuit[1], menti occurrunt. P. Jandel deinde velut moderator ordinis tum abbati Sublacensi, tum aliis monachis devotus et adiutor exstitit[2], dum ex tempore splendidae evolutionis ordinis benedictini a fine saeculi XIX notatae, ratio doctrinae utrumque ordinem amice legavit. Cum ordines religiosi ad Leonis XIII epistulam de religiosorum sorte sui temporis responderent, post venerabilium abbatum nomina r.mus p. Frühwirth nomine fratrum Praedicatorum signavit, quem secuti sunt ordinum franciscalium aliorumque generales[3].

Quoad fratres Minores Dominicani ex communicatione officii S. Francisci et S. Dominici[4], ex sepultura mutua summorum suorum moderatorum (qui mos e s. XIX repetendus esse videtur), ex plausu de Leonina unione Franciscanorum[6], ex plausu de Leonis XIII commendatione Thomismi pro ordine Minorum[7] et ex continuata actione pro populi christiani bono iuncti fideliter cernuntur.

Cum inclita societate Iesu pp. Lacordaire et Jandel personales relationes colebant[8], quae a confratribus saepissime iterabantur. Demum Leonis XIII litterae « Gravissime nos » diei 30 decembris 1892 societatis Iesu studiorum intentionem in sequela Aquinatis fixerunt et roborarunt, quod a fratribus Praedicatoribus ex sincero veritatis catholicae amore notatum est[9]. Solemnia denique mortuaria pro praeposito generali societatis Iesu ab ordinis dominicani magistro celebrari solent[10].

Congregationes variae sive SS. Redemptoris sive a venerabilibus vel beatis viris Cottolengo, Claret, Eymard, Bosco aliisque institutae aut ex rosariana devotione[11] aut ex opitulatione diversa[12] cum fastis praedicatoriis cohaerent. Clarissimus institutor societatis Verbi Divini Arnoldus Janssen, cum sociis suis degens in Steyl 1875 a p. Rouard de Card tertio ordini cooptatus est, imo ad suae fundationis in tertium ordinem regularem dominicanum formationem vehementer anhelavit[13].

Generatim cultus studiorum S. Thomae de Aquino, praesertim in Urbe[14], Friburgi, Manilae, ad Salices[15], Bononiae alibique, plures religiosos viros diversorum coetuum cum ordine Praedicatorum particulari nexu unit.

Magna quoque propinquitas pastoralis Dominicanos electis animabus feminarum religiosarum saepius adiutores, directores, consiliarios constituit, ut exempli gratia ex vitis r.mi p. Jandel[16] episcopi Blanco[17], r.mi p. Cormier patet.

II. Constitutio ordinis.

Duplici nunc ex causa consideranda constitutio ordinis huiusve augmenta, mutationes, ambitus potestatis et officiorum, commendantur, quia periodus nostra et fuit ordinis divisi et habet pro sui maiore parte characterem aevi restaurationis.

§ 95. Magister (Vicarius) generalis. Eiusque adiutores.

Profundissime in ius ac supremum moderamen ordinis statuta Pii VII per apostolicam constitutionem «Inter graviores» die 15 maii 1804 edicta[1] influxerunt. Etenim «supremum magisterium ordinum in Hispaniis existentium, qui usque adhuc a generali seu vicario generali natione Hispanis atque in Hispania commorantibus gubernati non fuerunt, alternatim deinceps erit gerendum; nimirum erit una vice penes hispanicae nationis religiosum virum, altera vero vice apud virum exterae nationis ». Magister generalis et vicarius generalis in eodem capitulo generali eligi debent, si adest opportunitas celebrandi comitia generalia. Magister ab omnibus, vicarius generali a respectivae vocalibus ditionis eligitur. «Vicarius generalis in capitulo generali.. statim post electionem summi magistri electus se ab eo confirmari postulabit ac facultatibus muniri,

quae ad munus gerendum pertinent, quorum utrumque sine dilatione ei summus magister tribuet. Quod si vicarius generalis extra capitulum generale eligeretur.., ei... facultates impertimur, quibus provincias, quae eius regimini subiacent, regere valeat per tempus illud intermedium, intra quod nulla mora interposita certiorem summum ordinis magistrum de sua electione faciet ab eoque se confirmari postulabit ac necessariis facultatibus muniri.. Facultates vero vicariorum generalium eaedem ipsae erunt, quas summus magister habet: itaque vicarius generalis in provinciis, quae ab eo regendae sunt, libere omnem iurisdictionem sibi delegatam exercebit, quam ante ibidem summus ordinis magister exercebat.

In negotiis vero, quae maioris momenti sunt... vicarius generalis... summum magistrum consulere debebit».

Omnia quidem prorsus particularia ad *electiones* in utraque parte faciendas pertinentia pontificio documento ita regulantur, ut essentialis unitas ordinis, quae in unitate capitis consistit, servetur et unum caput, titulum et potestatem supremam habeat. Potestas vicarii generalis a iurisdictione magistri generalis dependebat, in quantum magister generalis vicarium alterius ditionis et confirmare et facultatibus muniri debebat. Magistri generalis auctoritas, nisi ipse fuerit Hispanus, in provinciis Hispaniarum et Indiarum catholico regi subiectis, eliminata exstitit, attamen in tantum erat agnoscenda, in quantum magister generalis vicario generali alterius ditionis institutionem canonicam concedere debuit. Quod ius, per hispanicum gubernium mox elusum, postea restituebatur.

Quoad durationem muneris magistri generalis maxima innovatio per bullam « Inter graviores » causata est, cum illud non iam ad vitam sed ad sexennium concedatur[2]. Subito quidem attentis circumstantiis temporis calamitosi atque agitati Summus Pontifex anno 1806 magisterium generale ordinis Praedicatorum, quod r.mus p. Gaddi tenebat, ad vitam seu ad nutum S. Sedis prorogavit, iterumque anno 1808 hanc prorogationem (— 1814) confirmavit[3]. R.mus p. Gaddi exinde in ditione non hispanica vicarium generalem egit[4]. Nonnisi plusquam peractis 50 annis muneri supremi magisterii iterum longior duratio, ad duodennium permissa est. Etenim anno 1862 imminente capitulo generali electivo r.mus p. Jandel a Summo Pontifice, ut veniam capitulo generali magistrum generalem ordinis ad vitam eligendi tribuere dignaretur enixe expostulavit. Pius IX die 4 aprilis 1862 respondendum decrevit, «ut

tam in proximo capitulo generali, quam in subsequentibus magister generalis eiusdem ordinis ad annos duodecim eligeretur »[5].

Quoad potestatem generalis magistri ordinis, ea vi constitutionis «Inter graviores» limitata apparet, cum de facto praeter confirmationem et delegationem facultatum ad vicarium generalem alterius ditionis dandas magister generalis de altera parte ordinis curare non debuerit.

Propter facilitatem, qua in prima medietate saeculi XIX magistri generales augebantur, quaestiones honoris et gratiarum quaedam componendae erant, nempe de loco ex-magistri[6] et de suffragiis[7].

Quoad sigillum magistri generalis r.mus p. Jandel innovationem introduxit, dum magnum sigillum muneris magistri generalis per tot saeculorum usum sacratum, non amplius assumere solebat, sed suum privatum adhibuit[8].

Particularem auctoritatem ac dignitatem connexam cum crisi interna anno 1814 habita r.mus p. Philippus Anfossi obtinuit, qui mense augusto 1814 per Pium VII «superior generalis» ordinis institutus invenitur[9]. Mense insequente amplius non sermo de tali officio fit[10]. Iterum mortuo r.mo P. Jabalot, eodem titulo superioris generalis r.mus p. Alberti decoratus apparet[11].

Vicarii generales durante tempore divisi ordinis, post obtentam confirmationem a magistro generali supremi moderatoris super suam ditionem exsistere debebant, ea omni pollentes amplitudine potestatis, qua olim generales magistri ordinis tam ex vi constitutionum nostrarum quam ex concessionibus apostolicis potiebantur. Liberum eis ex iure erat petendi consilium magistri ordinis[12]. Ex rebellione hispanica officium vicariatus generalis hispanici in commissariatum apostolicum mutatus est.

Adiutores immediati et ordinarii tum magistrorum tum vicariorum generalium, socii in hac epocha esse pergunt. Tempore ordinis, ab unitate seiuncti, in Urbe plures socii exsistebant, qui et litteras circulares a supremo moderatore ordinis missas contrasigabant. Horum sociorum unus titulo provincialatus, nempe Daciae, insignitus apparet, quem 1807 p. Molineri tenet, 1838 p. Airenti[13], et mox p. Giammartini[14]. In ditione hispanica pariter plures socii erant[15], quorum unus titulo provincialis Terrae sanctae fruebatur. Ita 1806 p. Theran tamquam provincialis et socius[16] sub litteris vicarii generalis signat. Cum sub r.mo p. Jandel variae provinciae

praesertim Galliae, Belgii, Hollandiae, Americae septentrionalis efflorescere coeperint, pro commercio litterarum socii nationis italicae non amplius sufficiebant. Potius aequa ponderatio diversarum nationum erat introducenda vel restauranda. Anno 1850 die 25 decembris sequentes patres ad latus magistri ordinis nominantur: Marianus Spada pro provinciis Neapolitanis et Siciliae, Hyacinthus Cambiaso pro reliqua Italia, Augustinus White pro lingua anglica et missionibus, Hyacinthus Besson pro Francia, anno 1872 p. Larroca socio Hispanorum constituto[17]. Pro Europa centrali et orientali anno 1855 Iosephus Dominicus Lentz pro-socium egit. In capitulo generali 1862[18] iura et privilegia sociorum repetita et sancita sunt. Novis deinde indigentiis in administrando ordine exortis r.mus p. Frühwirth quintum socium adscivit[19]. Qui status quinti socii petente[20] r.mo p. Cormier ex rescripto s. congregationis de Religiosis diei 20 decembris 1910 ita ordinatus est quod magistro generali facultas fit «quintum socium instituendi in provincialem titularem Lithuaniae, eum ad magisterii gradum promovendi eique omnia iura et privilegia concedendi, quibus alii quatuor provinciales socii magistri generalis gaudent »[21]. Primus provincialis titularis Lithuaniae renuntiatus est Gabriel Horn, provinciae S. Ioseph filius[22]. Provinciae Americae latinae socio Hispano utuntur[23]. Sunt hodie socii Hispanus, pro Gallis, pro Italia, pro Europa centrali, pro lingua anglica.

Sociorum nomen ac dignitas in elenchum locorum «de ordine fratrum inter se» in codificatione anni 1924 assumebantur[24], sicut et de consilio generalitio iuxta magistrum ipsum generalem sermo est, quod sociis constituitur, adscito etiam procuratore generali[25].

Unus e sociis vicarium domus generalitiae agit. Absente magistro ordinis ab Urbe velut vicarius generalis super ordinem quidam delegatur. Particularia statuta valde transitoria decernebant ex auctoritate apostolica patribus Anfossi et Olivieri speciales collaboratores in supremo officio. Etenim nominantur hi fratres in circulari epistula diei 30 octobris 1814 «pro consilio et adsistentia in gubernatione ordinis a SS. D. N. Pio Papa VII specialiter deputati »[26]. Peractis deinde viginti annis aliquorum patrum scientia Gregorium XVI ad imponendum ordini Praedicatorum definitorum induxisse videtur. Cum p. Olivieri aliam viam effugiendi non cerneret, magisterium reliquit. Eius successoris peritia ac habili-

tate propositum pontificium declinavit, libera administratione ordinis per magistrum generalem vindicata[27].

Secretarius magistri generalis adest sine interruptione ex initio regiminis r.mi p. Cormier. Eiusque mentio in recenti legislatione fit.

Conceptus curiae generalitiae tempore novissimae codificationis nostris legibus invectus est[28].

§ 96. Capitulum generale.

Eloquentius aliis factis de repristinatione spiritus constitutionalis genuini apud nos reassumptio celebrationis comitiorum generalium testatur. Atque beneficus influxus capitulorum generalium ordinem de se ipso conscium valde iuvit. Iuxta determinationes bullae «Inter graviores» capitula generalia in Hispania vel Romae habenda statuta sunt secundum quod ordinis magister ex Hispanis vel ex aliis nationibus eligendus erat. «Evocari, accedere atque admitti ad generalia comitia debebunt vocales tam ex Hispania quam ex aliis nationibus». Quae statuta autem dispositione Gregorii XVI anno 1831 ita mutata apparent, «ut.. celebrentur in Hispaniis capitula generalia ad magistrum ordinis vel eius vicarium generalem alternatim quolibet sexennio eligendum»[2]. De facto in capitulo Caesaraugustano anni 1832 electio vicarii generalis pro ditione hispanica locum habuit. Propter exortam rebellionem civilem in Hispania alia comitia huiusmodi non sequebantur. Sed extra Hispaniam optimus p. Ancarani iudicio rectissimo ad ordinis elevationem summe necessaria esse duxit regularia comitia. Si r.mus p. Jandel ea continuare nequivit, tamen bene meritus est de capitulis generalibus introducendo seriem deliberationum per commissiones faciendarum[3]. Sub eo Pius IX anno 1862 capitula generalia. in quibus provinciales definire solent, i. e. capitulum tertium in serie normali comitiorum ad duodennium distributorum Romae celebranda esse decrevit[4]. Quae quidem norma saepius servata non fuit.

Series continua coetuum generalium per r.mum p. Frühwirth inaugurata exinde currit. Ratio gerendorum negotiorum in comitiis generalibus et redactio actorum praecipue sub r.mis pp. Frühwirth et Theissling magnopere exculta est et perfecta.

Pro capitulo Romano 1924 et illo Occaniensi 1926, utpote quibus diuturnior labor codificandi leges nostras incubuit, ex pontificia dispensatione spatium temporis a iure nostro pro capitulis generalibus celebrandis determinatum prorogari potuit[5].

Quae emolumenta ordini produxit series continua capitulorum generalium regulariter institutorum per ultimas decades annorum haud uno verbo dici potest. Rite r.mus p. Frühwirth vel de sociali functione talium coetuum anno 1898 scribit[6]: « Scitis, carissimi, quam opportune, quam perite, et rursus quam amice nova veteribus conciliaverint viri sapientes, aviti moris pie tenaces, dierum tamen quos ipsi vivebant, intelligentissimi ». Ad illustranda haec verba nomina fratrum, qui uni iam commissioni ultimorum capitulorum intervenerunt, legere sufficit.

Capitula generalia annis 1850, 1874, 1889 indicta obstantibus temporum iniuriis celebrari nequiverunt, dum comitia annorum 1904, 1907, 1916 non in locis praenuntiatis (nempe S. Maximini, in Huissen, in Hispania) agi potuerunt. Quapropter aliter provisum est.

§ 97. Provinciae et congregationes. Earum regimen et status.

Quia nostra periodus primum aetate desolationis et postea aevo restaurationis in pluribus regionibus consistit, ideo quammaxime dignitati provinciarum tum exsistentium tum resurgentium prospiciendum erat. Quia ordo provinciarum inter se ad hanc rem spectat, notandum est, capitulares anno 1868 controversiam inter provincias Dalmatiae, Trinacriae, Hiberniae circa respectivum locum, quem in serie provinciarum occupare debent exortam dirimentes declararunt, vi praescriptionis legitimae trium saeculorum locum Dalmatiae e capitulo generali Romano 1558 datum conservari debere[1].

Pulcherrime deinde visum est, varias provincias quasi de tumulo suo resurgentes de novo crescere et florere, et fructus facere. earum restauratio et repristinatio cordi et curae erat capitularibus comitiorum generalium[2] et ipsis summis ordinis moderatoribus[3]. Et magistri generales modo vi officii, modo auctoritate adhuc apostolica muniti, id praestiterunt[4]. Caute etiam Venlonae statuerunt, ut in circumscribendis finibus provinciarum termini provinciarum exactissime definirentur[5].

Praesidum provincialium officium usque super saeculi XIX medietatem non eamdem durationem ubique habebat. Ideo, ut uniformitas per provincias vigeret, in capitulo generali 1862 patres quadriennium provincialatus servandum vel introducendum esse resolverunt, Sede Apostolica hanc decisionem specialiter confirmante. Ideo biennia provincialium praesertim apud Italos observata in quadriennia extensa exinde rite et iuste apparent.

Residentia provincialium Abulae eo consilio vel in parvioribus domibus vel vicariatibus concessa est, ut liberius et efficacius administrandae ditioni vacare possent. At capitulo generali anni 1907[6] placuit decernere provinciales nonnisi in formalibus conventibus sedem suam habere posse et debere.

Qualitates eligendorum in provincialem a capitulo generali 1898[7] distinctius ponuntur nempe oportet eos fuisse exprovincialem vel priorem vel esse lectorem[7].

Potestati provincialium ex statutis recentioribus nominatio directorum generalium rosarii vivi et perpetui, sicut de cetero promotorum confraternitatum in sua ditione attribuitur[8].

In gravioribus negotiis et decisionibus provinciales ad *consilium* provinciae attendere oportet. Quod quidem ineunte hoc saeculo novam compositionem partim ostendit. Nam Viterbii 1907 declaratum fuit «quod si aliqua provincia careat numero sufficienti patrum provinciae.. ad r.mum p. mag. generalem recurrendum est, qui instituat patres aliunde maturos et prudentes, quotquot necessarii erunt pro consiliis provinciae quoties occurret habendis, quin tamen titulum et iura patrum provinciae proprie dictorum... habeant» Venlonae autem inchoando ordinatum est ut his patribus ad complendum numerum in paternitatem provinciae elevandis omnia iura sicut aliis patribus provinciae competant. E contra disiunctio facienda inter dignitatem magistri in theologia et paternitatem a consiliis aliquando proposita, postea relicta est[9].

Capitula provincialia pro aliquibus provinciis, quae biennalia comitia habebant, singulis quadrienniis celebranda pro universali more praecepta sunt. Circa terminum vero temporis paschalis, quod plurimae provinciae pro instituendis hisce adunationibus observabant, Friburgi concessa est libertas provinciis habendi sua capitula tempore opportuno, dummodo hoc tempus inposterum servetur[10]. Gremium capituli provincialis ex ordinatione capituli generalis Cauriensis 1920[11] augetur delegatis, electis per fratres aliunde condi-

tiones iuris habentes in vicariatibus aut missionibus degentes. Quod iam in aliquibus provinciis ex peculiari licentia introductum fuit, nunc ad ordinem extensum apparet. Ad potestatem capituli provincialis accesserunt inter alias hae facultates, nempe dirimere quaestiones, quae in aliquo conventu exortae sunt vel in posterum oriri possent circa concordantiam inter prioris et parochi iura[12].

Quoad officiales provinciarum observandum, quod superior forsitan super provinciam aliquam titulo vicarii constitutus de cetero non vicarius generalis sed provincialis vocetur. Ex anno 1895 sequens ordinatio[13] summe proficua edicta est, quae ubique novum officialem in provinciis, nempe syndicum statuit.

Congregationes intermediae anno 1862 ubique respristinandae a patribus capitularibus desiderantur[14], dum in nova legislatione constitutionum huiusmodi congressus intermedii simpliciter delentur.

Iuris provinciarum innovatio vel incrementum valde augebatur ultimis decadibus annorum per introductionem affiliationis ad provinciam. Intime connectitur cum perfectiore vita communi observanda. Ideo et Pedemontani post restaurationem suae provinciae sub initio saeculi XIX tum vitam communem tum affiliationem ad provinciam assumpserunt. In capitulo generali anni 1895[15] notandus passus de affiliatione ad provinciam invenitur.

Ut autem propensio affiliationis ad provinciam roborata magis exsisteret[16], vita privata apud nos exstincta est. Pius X in epistula die 4 augusti 1913 data ad capitulares Venlonenses[17] auctoritate apostolica decrevit, «consuetudinem hanc, sodales ad provinciam adscribendi, iam nunc vim habere et naturam induere constitutionis ordinis propriae contrariis quibusvis non obstantibus». Et capitulares patres coram Summo Pontifice respondentes aperte professi sunt[18]: «Affiliationem ad provinciam, non iam ad conventum, tuo munere iuris nostri plene factam, animose amplectemur, quatenus omni proprietatis spiritu exspoliati, ad militandum pro Christi nomine in acri bello, quo ubique terrarum premitur Ecclesia magis expediti atque alacriores inveniamur». Ad normam huiusmodi dispositionum variae quaestiones proprietatis Venlonae et in sequentibus capitulis regulantur. Imo anno 1916[19] corollarium hoc enuntiatur: « Cum universalis nunc sit fratrum affiliatio ad provinciam ordinamus ut nullus frater ab una provincia ad aliam provinciam transfilietur nisi praeter beneplacitum apostolicum et consensum

magistri ordinis, habeatur approbatio utriusque prioris provincialis cum consensu consiliorum provincialium respectivorum ».

De congregationibus seu de adunationibus non complete normalibus conventuum sub praelato delegato constitutis, varie sermo fit in secunda medietate ultimi saeculi, cum modo provinciae a perfecta ratione provinciae deiectae, modo adunationes fratrum et conventuum in terris noviter occupandis in congregationes formarentur donec rationi perfectae provinciae restitutae fuerint. Ita congregationes Columbiae, Teutoniae, S. Dominici, SS. Nominis Iesu. Praeter has congregationes transitorie exsistentes, ad congregationem S. Marci, ex aggregatione tertiariorum regularium ad ordinem ipsum Praedicatorum anno 1923 obtenta, altera congregatio in serie ditionum ordinis adducta est.

§ 98. Conventus et domus. Administratio et filii.

Conventuum forma per actionem restauratorum disciplinae regularis in ordine Praedicatorum singillatim apud Pedemontanos aeque ac Romanos ex primis decadibus saeculi XIX, atque ex actione r.mi p. Jandel in pluribus provinciis antiquis repristinata est et reflorentibus provinciis exinde ubique praescripta. Et pleno iure sicut anno 1871 Gandavi, ita etiam in capitulo generali Venlonensi 1913[1] inculcatum fuit, non esse recipiendos locos, in quibus conventus formalis erigendi spes maxima desideratur. Iure et merito idea vere digna de conventibus nostri ordinis in moderna codificatione exprimitur[2].

Fundatio conventuum perfectorum seu domorum prioralium iuxta decreta recentiora facilior est, cum ad formandum conventum deinceps fratres 10, quorum 8 sint clerici et 6 vocales computato priore, sufficiant[3].

Iuxta conventus ad compagines provinciarum pertinentes, alii conventus seu domus vel ex ratione observantiae vel ex desolatione provinciarum vel propter penetrationem terrarum novarum vel etiam ex restrictione potestatis civilis in variis regionibus oriri solebant. Huiusmodi conventus plerumque subsunt immediatae iuris-
dictioni magistri ordinis, et gubernantur vel per priorem secundum leges nostras ordinarias vel per vicarium aut commissarium. Aliae demum residentiae fratrum nonnisi vicarialium domorum nomine et iuribus potiuntur, prout ex paucitate fratrum vel propter obstantes leges civiles evenit et explicatur.

Reverentiam erga auctoritatem localem sive conventuum sive domorum augere cupierunt plura capitula, sensim ad praxim antiquissimae conformem et naturae rei consentaneam redeundo. Iam anno 1898 axioma invenitur, quod « qui auctoritate pollet et loco praesit» et saltem pro vicariis, qui in dissitis locis aut missionibus non intra sed extra terminos provinciae munere plenarie vice provincalis gerunt, ordinatur, iis competere, ut dicant Fidelium et habeant privilegium loci ante priores conventuales in sua vicaria, sed tamen post exprovinciales et magistros in theologia. Demum in nova codificatione auctoritas quoad seriem locorum et in domibus parvioribus vel in praesentia vicariorum praestat magisterio[4].

Ingressus ad novitiatum et admissio ad professionem duobus apostolicis decretis, sicut apud alios ordines vota solemnia nuncupantes, ita apud nos determinati sunt. Etenim decreto curiae Romanae diei 25 ianuorii 1846 speciales litterae testimoniales ab ordinario ad notitiam superiorum regularium conscribendae impositae sunt, quae iuridicas informationes important quibus ordinarii de libertate canonica candidati ad ingressum religionis testantur ideoque in verum commodum communitatum religiosarum cedunt[5]. Ingressum ordinis pro fratribus conversis ex nova iuris codificatione nonnisi sex menses praecedunt, sublato tertiariatu[6].

Aliud decretum professuros respicit et cum debilitationi morali ac respectu ad spiritum libertatis aevi recentioris connectitur. Est illud diei 18 martii 1857, quo Pius IX mediante s. congregatione super statu Religiosorum ordinavit pro omnibus ordinibus religiosis in quibus vota solemnia Deo nuncupantur, ut deinceps post annum probationis perpetua quidem, sed simplicia vota emitterentur, quibus post triennium solemnia succedere deberent[7]. Insuper post codicem iuris canonici duplex est professio.

Prior simplex et temporanea, ad triennium vel ad longius tempus nuncupatur. Altera solemnis, quae nonnisi post completum triennium votorum temporaneorum emitti potest[8].

Quoad singulos fratres ordo eorum applicationem in provinciis harumque missionibus naturalem existimat. Attamen ex iudicio magistrorum generalium vel ex diversis particularibus necessitatibus candidati ad ordinem vel ad conventus assumi solebant, qui fratres extra compagines provinciarum manentes filii talis conventus aut filii generalis magistri aut iuxta codificationem novam « filii ordinis » denominati sunt[9].

Singulorum fratrum iura per derogationem Pii XI circa maiores annos ad electiones necessarios aucta sunt[10] Ita in eligendis tum active tum passive, non amplius 12, sed 9 anni post primam professionem requiruntur[11].

§ 99. Visitatores. Commissarii. Protector ordinis.

Officium visitationum canonicarum in ordine per supremos moderatores vel eorum delegatos in prima medietate saeculi XIX aliquantulum obsoletum est. Tamen et ex illo tempore praeclariores visitationes exstiterunt, ut illae r.mi p. Velzi[1] in Pedemontio et 1823 in Sicilia et r.mi p. Jabalot in partibus Neapolitanis 1833. Sub magisterio r.mi p. Jandel beneficium visitationum ubique et ligamen mutuae cohaesionis texit et firmavit. Ipse 1851 iter ad visitandas provincias suscepit Angliam, Hiberniam, Italiam meridionalem, Belgium, Neerlandiam, Germaniam, Poloniam semel vel pluries inspiciens[2]. In alias terras visitatores a se vel desiderio S. Sedis constitutos misit, ut in Dalmatiam 1852 (p. Acquarone)[3], in Franciam 1858 (p. Besson)[4], in Americam latinam (p. Pierson)[5], ad Status foederatos (p. Burke)[6]. R.mus P. Sanvito gyrum perlustrationis conventuum et provinciarum sibi auferri nolens, vicariatu suo generali ad finem vergente in ditiones Habsburgicas et gallicas se contulit[7]. Et r.mus p. Larroca immediate ante suam electionem in magistrum generalem visitatoris munus in Philippinis explens[8], velut caput ordinis debito visitandorum fratrum ipse vel per alios satisfecit, in Dalmatiam p. Cicognani 1886[9] et ad conventum Venlonensem p. Anselmi[10] 1887 destinavit. R.mus p. Frühwirth — praeter suas proprias visitationes — plures ad ordinis rationem redeuntes regiones Americae latinae visitari voluit[11]. Dein r.mus p. Cormier iam in initio sui regiminis varias regiones ordinis suis oculis vel alias per delegatos[12] perstringere cupivit. Petentibus patribus capitularibus Venlonensibus[13], viri probi in totum ordinem per annos 1913/14 inspicientes exierunt. Quae visitationes in aliquibus terris ex bello magno interceptae, nonnisi anno 1915 cessarunt.

In provincias et regiones Italiae visitaturi abierunt ipse ordinis magister, pp. Ricagno, Horn, Zucchi, qui et Melitenses adivit[14]. Galliam et Belgium r.mus p. Desqueyrous, Neerlandiam et Poloniam p. Hansen, Teutoniam p. Szabo[15], partes Danubianas Galiciam et partes utriusque Americae[16] p. Theissling, Angliam et Hiberniam Constantinopolim et Hierosolymas p. Horn, visitarunt[17].

Profecto autem r.mus p. Theissling eximium visitatorem se praebuit, tum rerum experientia, tum linguarum et nationum cognitione tum physica habilitate donatus, qui post electionem suam visitationem generalem perfecit.

Cum visitationibus interdum connectebatur officium vicarii generalis in variis partibus ordinis. Ita Vincentius Acquarone 1859 vicarius generalis in Calabria, p. Quaglia in Sicilia, p. Larroca in Philippinis, p. Dempflin in America centrali, patres illi qui ordinem in plagis Columbianis, Aequatorianis, Peruvianis, in Europa centrali et orientali resuscitarunt, summo ordinis bono prospexerunt. Saepissime his patribus titulus et officium commissarii generalis cum amplis facultatibus concessum est. Ita Iosephus Dominicus Lentz hoc munere functus est super regiones Poloniae, Danubianas, Germaniae, p. Rouard de Card super Belgium, Neerlandiam, Germaniam [18], p. Hansen in Galicia[19], p. Theissling super provinciam Peruvianam, Dominicus Fernandez et Franciscus Vasquez in partibus Americae meridionalis[20].

Protectoratus in ordinem pro hac historiae epocha varie ab ipsis Summis Pontificibus gestus est. Ita Pius VII[21] et deinde, defuncto cardinali protectore Dominico Bartolini, Leo XIII suique in Sede Apostolica successores hoc munus accipere voluerunt.

III. Vita et actio ordinis.

Pietate comite sub lumine scientiae sacrae, praesertim sub aurea S. Thomae doctrina, Dominicani postremae periodi id, quod receperunt, prosecuti sunt et id, quod temporum iniuria dilapsum fuit, restituerunt atque auxerunt, non omittentes novis necessitatibus temporis merita novorum operum opponere. Multiformis actionis divini verbi proponendi sedulum sanctumque laborem ac benignitatem Dei dona quaecumque largientis miramur et satis eloqui non possumus.

a) VITA ET ACTIO RELIGIOSA.

§ 100. Liturgia. Preces conventuales et privatae.

Sacra praxis liturgiae post calamitates ineuntis saeculi XIX sensim reflorebat atque in decursu temporis tum editionibus aptorum librorum liturgicorum tum introductione reformationum liturgicarum in dies crevit.

Publicationes librorum usui liturgico et chorali destinatorum frequenter prodierunt[1]. Inter has publicationes ponderationem specialem merentur tum libri musicali notatione aucti tum editiones liturgicae ex reformatione liturgica Pii X causatae. Si in ditione hispanica Ludovicus de la Puente (✝ 1834)[2] de libris liturgicis edendis bene meruit, Pio Bernard (✝ 1899) provinciae Lugdunensis alumno, r.mus p. Jandel — ut defectum librorum ad cantum solemnem requisitorum auferret — editiones apposite faciendas demandavit. P. Bernard quidem codicem archetypum liturgiae dominicanae consulens, missarum cantus seu graduale lithographice publicavit, deinde processionarium et antiphonarium, retinens modum curatorum Romanorum editionis «Medicaeae», qui neumas, a syllabis dactylibus ablatas, in accentibus accumulaverunt. Quem modum in nova editione gradualis anni 1890 p. Bernard emendavit, cum accuratiore modo notationem prototypi sequeretur. In capitulo Gandavensi 1901 p. Bernard velut «verus caerimoniarum et cantus ordinis instaurator et vindex merito praedicatur»[3]. Consideratis tandem plenius eruditorum de rhythmo argumentis, Vincentius Laporte (✝ 1924)[4] musicalem notationem plurium librorum liturgicorum ad normam codicis Humbertini castigavit, in quo summa eius laboris consistit.

Interea Pius X constitutione sua «Divino afflatu » 1911 necnon et motu proprio « Ab hinc duos annos»[5] in Romano aliisque ritibus reformationes liturgicas varias introduxit eo fine praecipue, ut psalterium in hebdomada integre recitaretur, dominicarum ac feriarum officium reassumeretur, translationes festorum importunae cessarent. Quamobrem ex apostolico praecepto etiam ordini nostro dispositio nova psalterii, kalendarii, rubricarum imposita est. Ad studia praeparatoria commissio prima 1914 Romae convenit, et alia 1920 de eadem re deliberavit. Urgente capitulo generali de Corias r.mus p. Theissling negotium perficiendum Brunoni Hespers commisit, qui ex anno 1908 saepe pro editionibus liturgicis ad Urbem vocatus fuerat. Dispositio rubricarum, kalendarii, psalterii ad normas a S. Sede praescriptas exarata, per s. congregationem Rituum die 10 augusti 1921 probata est, dum continuo multi generis publicationes librorum liturgicorum sequebantur[6].

Adiumenta pro exsecutione cantus liturgici varie prodierunt, e. g. cantus « Passionum » (1896, 1927), Cantus pro benedictionibus (p. Barge), Organum comitans ad cantum liturgicum (13 volumina p.

Hespers)[7], regulae canendi per pp. Hespers et Bonniwell confectae, Cantus liturgici (1925). Ad liturgiam nostram explanandam scripto contribuebant Cassitto 1804 et — velut morem gerentes capitulo generali 1910 — Cormier, Mortier, Colunga, Guerrini, Rousseau, Verwilst. Quibus universis industriis factum est, ut in centris ordinis restaurati praecipuis laus choralis Deo oblata magnifica evaserit. In conventibus novitiatuum ac studiorum, maxime septentrionis tum Europae, tum Americae, non solum diebus dominicis, verum etiam ferialibus duo vel tria officia (missa, completorium, imo et vesperae) in nota ordinis cantari solent.

Quo opere desiderium a capitulo generali 1871 expressum expletur[8], quod fratres contemplatione magis imbuuntur, fideles qui sponte his pulcherrimis piisque officiis assistere cupiunt aedificantur, Deus ipse benigne orantes respicit.

Variationes vel augmenta in tenore officii liturgici ex festis, devotionibus, beatis sanctisque noviter approbatis secutae sunt. Ita introducta sunt festa Passionis D.N.I.C. (1838; postea in reformatione Piana deleta), Iesu Christi regis (1926), Immaculatae Conceptionis B. M. V., apparitionis B.M.V. de Lourdes[9], patrocinii B.M.V., patrocinii S. Thomae, translationis S. Catharinae Senensis, S. Ioannis Coloniensis (cum speciali stropha a r.mo p. Jandel de ipso sancto nostro composita «Inter hos noster»). Alia festa ad altiorem gradum evecta sunt, ut festum SS. Cordis Iesu[10], S. Ioseph[11], S. Francisci, cuius officii textum ditio hispanica 1816 et totus ordo 1852 a fratribus Minoribus assumpserunt[12], atque S. Theresiae (1897)[13]. Hymni particulares quatuor pro festo SS. Rosarii in ordine 1825 recepti sunt[14]. Occasione iubilaris anni septies saecularis a transitu S. Dominici (1921), praefatio de ipso patriarcha ordini concessa est[15].

Obligatio canonica recitandi officium mortuorum (extra quatuor anniversaria) 1922 sublata est, manente tamen obligatione constitutionis[16].

In pluribus maioribus conventibus prima cuiusque mensis feria sexta, cum peculiaria pietatis exercitia mane in honorem SS. Cordis Iesu peraguntur, missa votiva de eo, servatis rubricis, in usum venit. Pro laicis et tertiariis missalia dominicana per Hollandos, Germanos, Gallos, Anglos, Italos fratres edi solent[17].

Ad vitam orationis extra functiones liturgicas ducendam conduxerunt statuta capitulorum 1838 et 1871, quae meditationem quotidianam respiciebant necnon declaratio capituli Viennensis 1898 de

testimonialibus litteris circa peracta conventualiter exercitia spiritualia coram comitiis provincialibus exhibendis[18].

§ 101. Devotiones et confraternitates.

Confraternitas *SS. Sacramenti* in editione constitutionum anni 1886 nec nomine affertur. At re tam salutifera in capitulo Venlonensi ponderata praedicatores admonentur, ut adlaborent in diffusione «confraternitatis SS. Sacramenti, salvis episcoporum iuribus»[2]. Et Minervitana archiconfraternitas anno 1929 pontificia gratia roboratur[3]. Participatio ordinis in congressibus internationalibus eucharisticis, qui ab anno 1881 certis positis intervallis et locis celebrari solent[4], honorifica apparuit. Nec minore cum reputatione nostri in congressibus nationalibus sive regionalibus[5] eucharisticis claruerunt. Occasione coetus eucharistici italici anni 1927, cuius sessiones apud basilicam S. Dominici Bononiensem instituebantur, Pius XI fidelibus quibuscumque tertiam partem rosarii ante SS. Sacramentum recitantibus post alias conditiones expletas, indulgentiam plenariam toties quoties die 4 septembris concessit[6].

Devotio erga *SS. Cor Iesu* in saeculis XIX et XX maiorem extensionem ac vim manifestissime ostendit. Praeclara exempla huius devotionis habentur non solum in moniali Josepha Kümi († 1817)[7], verum etiam in p. Lacordaire, qui causam primae ecclesiae S. Cordi dicandae in Moulins 1837 peroravit[8], necnon in zelantissimo animarum pastore Richardo P. Miles, qui eam sub forma sodalitii in dioecesis de Tennessee paroeciis introductam voluit[9]. Postquam vero festum SS. Cordis apud nos insimul cum festis Passionis Domini sub Gregorio XVI receptum est, et Pius IX idem festum in kalendarium universalis Ecclesiae inseruit, et Leo XIII anno 1889 id ad altiorem gradum elevavit, intra ordinem haec devotio in dies increscebat. Imo r.mi pp. Jandel et Frühwirth ordinem Praedicatorum SS. Cordi Iesu consecrarunt. Ille quidem, cum cl.mi d. Rohault de Fleury tertiarii nostri petitionem de templo in honorem SS. Cordis in Monte Martyrum Parisiensi erigendo Summo Pontifici die 26 februarii 1871 praesentavisset benedictionemque papalem obtinuisset, ideam concepit, de ordine Cordi sacrosancto Salvatoris dicando[10], quod et fecit, die 7 martii 1872 in circulari epistula ordini nuntium dans[11]. Suo tempore in prima littera, quam ad ordinem direxit, p. Frühwirth post visitationem sanctuarii Parei Moniaci, die 29 septembris 1891 consecrationem totius ordinis amatissimo Cordi divini

pastoris expressit[12]. Pensandae rationes horum magistrorum generalium circa has consecrationes in capitulo generali Abulensi plene agnitae sunt, ut ex statuto patet, quod nempe superiores « singulis annis in ipso SS. Cordis festo, hanc consecrationem in omnibus domibus nostris solemniter renovent spe moti, quod Christus Iesus in nos effundet donum pie colentibus Cor suum repromissum efficaciam verbi ad conversionem peccatorum »[13]. Talibus exemplis et praeceptis inducti, fratres et sorores ordinis copiosissime in hac devotione exercebantur eamque fructu propagarunt. Ita pp. Monsabré, Ray, Janvier praecipue in connexione cum ecclesia Montis Martyrum testimonia devotionis et dictorum de SS. Corde dederunt[14]. Fratres Germaniae conventum Venlonensem, qui tempore litis « Kulturkampf » refugium eis erat, SS. Cordi gratissimi dicabant. In reipublicae Venezolanae civitate Caracas patres magnificum templum SS. Cordi erexerunt. Sub ipso hoc patrocinio multae congregationes sororum opera sanctificationis ac ministerii aliorum explent[15].

Dum capitulum generale 1838 propagationem societatis *SS. Nominis Dei* commendabat[16], anno 1862 magister generalis, ut rei et conscientiarum securitati provideret, in omnibus ecclesiis nostris usque ad initium anni 1862 societatem hanc de novo erexit et fundavit[17], ac de cetero speciali littera circulari data die 5 novembris 1869 de re SS. Nominis ordinem allocutus est, iniungendo superioribus nostris processionem in secunda dominica cuiuslibet mensis ac triduanam praeparationem ad festum circumcisionis Domini[18]. Anno 1871 per capitulum generale novae indulgentiae huic sodalitati concessae denuntiantur[19].

In Americae septentrionalis Statibus foederatis cultus SS. Nominis inopinatam prorsus evolutionem obtinuit. Iam p. Stephanus Byrne in frequentissimis praedicationibus hoc argumentum populis proponere consuevit. Idem ipse anno 1868 Neo Eboraci primam societatem SS. Nominis apud ecclesiam S. Vincentii erexit, pro qua quidem decretum erectionis nonnisi anno 1871 concessum fuit. Pressius deinde Carolus Hyacinthus McKenna (†21 febr. 1917)[20] societatem SS. Nominis in America pro viris ordinavit eodemque anno «The manual of the Holy Name Society» edidit. Cum anno 1882 in civitate Neo Eboracensi societates quinque de SS. Nomine erectae invenirentur, pietate atque ingenio patris Dinahan unio dioecesana harum societatum effecta est, McKenna huic vitali in-

cremento omni modo saluberrime prospiciente. Ad eius instantiam personalem apud curiam Romanam Leo XIII anno 1896 concessit, ut erectiones atque institutiones societatum SS. Nominis in America per hierarchas regionales ita fierent, ut exinde non solum unaquaeque paroecia, sed et unaquaeque ecclesia campestris sive missionis, imo capellae, hanc societatem possidere libere et rite valeant[21]. Ab anno 1900 ad 1906 p. McKenna felicissime ac concivibus catholicis necnon praesulibus annuentibus societatibus SS. Nominis se devovere potuit, merito titulum apostoli SS. Nominis sibi vindicans[22]. Episcopi ut archipraesul Bostonensis O'Connel et 1913 cardinalis Farley Neo Eboraci[23] in singulis paroeciis suae ditionis hanc societatem fundandam statuerunt. Ex augmento mirabili ac progressu totius rei SS. Nominis tum unio particularis tum moderatio superior ac directio stabilem formationem acceperunt. Non solum anno 1907 cura patris Fitzgerald « The Holy Name Journal» in publicum prodire coepit sed et mox sedes centralis pro Statibus foederatis per Ioannem Timotheum McNicholas formata est et gesta. Benedictus XV societatem SS. Nominis libenter Americanis commendavit et, ut ipsa magis efflioresceret ei protectorem cardinalem Boggiani die 18 septembris 1917 constituit[24]. Tandem in immensum crescens anno 1924, cum memoria annorum 650 a statuto concilii Lugdunensi de veneratione SS. Nominis ageretur, Washingtonii coitio delegatorum societatum splendidissime indicta et cum ipsius capitis reipublicae Calvini Coolidge praesentia celebrata est. Numerabat tunc societas SS. Nominis Americana uniones dioecesanas 42 sectiones 1600, membra 1500.000[25]. Quae multitudines Catholicorum virorum SS. Nomini devotorum occasione eucharistici congressus 1926 in Chicagoensi civitate habiti admirationem excitarunt[26].

Certe haec motio mirifica non ubique tali impulsu instaurari potuit, praesertim non in terris, ubi religiosae uniones satis iam excultae ac complicatae sunt. Nihilominus successus, quos Cornelius Böle pro refloritione rei SS. Nominis in Hungaria obtinuit[27], alios semper quoque ad imitationem evocare possunt. Scripta recentiora de SS. Nomine pp. Schwertner, Ripple, Wilms ediderunt.

Rosarianae preces et uniones sensim evigilantes, in saeculi XIX decursu modo miro quodam ubique auctae sunt, usque dum vergente eodem saeculo ad instar triumphi culmen attigerunt.

Petiit quidem magister generalis Gaddi anno 1808 gratias spirituales in favorem recitantium rosarium, nec Summi Pontifices vel

eorum legati erectiones confraternitatum approbare aut congregationes Romanae rosarium augere omiserunt[28]. Imo anno 1825 pro officio festi SS. Rosarii hymni, mysteria vitae Salvatoris ipsiusque Deiparae proprie commemorantes, assumpti sunt. Hymni quidem *Caelestis Aulae, In monte olivis, Iam morte victor* patrem Ricchini, ille alius *Te gestientem* Eustachium Sirena auctores habent[29]. Capitulum generale 1838 praedicatores ad promotionem rosarii incitavit[30]. Deinde sub Pio IX, qui iam 1849 devotionem quindecim sabbatorum consecratorum in honorem mysteriorum rosarii gratiis ditaverat (quod exercitium a Leone XIII erat ampliandum[31]), apud fideles usus invaluit, mensem octobrem velut mensem rosarianum habendi (saltem ab anno 1868)[32]. Insuper instante concilio Vaticano pro rei christianae emolumento idem Papa gratias particulares recitantibus rosarium die 3 decembris 1869 attribuit[33]. Magister ordinis hunc « faustum nuntium » ordini communicavit et ineunte anno 1871 aliam circularem epistulam edidit, ut filios filiasque ad memoriam victoriae de Turcis 1571 reportatae simulque ad preces rosarianas pro Ecclesia excitaret[34]. Dum ordo in magistro generali et membris pro rosarii ornamento petitione et assecutione indulgentiarum[35] providebat, pariter iura huius precis vindicabat, in capitulo generali 1862 notandas admonitiones de re et erectione confraternitatis rosarianae apponens[36]. Eademque occasione magister ordinis ad securitatem et cautelam societatem SS. Rosarii in ecclesiis ordinis usque ad annum 1862 de novo erexit, instituit, fundavit[37]. Atque anno 1871 a Summo Pontifice edictum est, omnes fratres et sorores, « ex quo professionem religiosam emittant, et sint sodales societatis SS. Rosarii B. M. V., et indulgentias omnes confratribus concessas lucrari queant »[38]. Pio IX favores suos in rosarium concessione illa de bina septimanali missa « Salve radix » pro ordinis Praedicatorum sacerdotibus (1877) complente[39], sub eius successore magnifica Summi Pontificis et ordinis Praedicatroum circa cultum coronae Marianae aemulatio inchoata est.

Etenim Leo XIII non solum praeclarissimas litteras encyclicas de Mariali devotione rosarii augenda numero decem edidit[40], sed etiam brevia quamplurima et hortamenta congregationum Romanarum[41], ita ut eius enuntiationibus encyclopaedia de re universa rosariana contineatur ac re vera prostet. Adde dein commendationes incessantes, quibus Leo XIII rosarium praedicavit pro recitatione publicae precis, in ecclesiis simplicibus et cathedralibus[42], et

quomodo processiones rosarianas summopere laudavit[43]. Postquam ipse flagitante r.mo p. Larroca invocationem « Reginae SS. Rosarii » in Lauretana litania assumendam (1883) decrevit[44], exercitia pia rosariani mensis apostolica auctoritate sancivit[45], neque a commendandis his precibus desistebat, laetitia ac consolatione affectus ob pietatem rosarianam populorum[46]. Anno autem 1888 officium in festo SS. Rosarii apud Praedicatores adhibitum ad breviarium Romanum extendit[47] et 1898 constitutionem apostolicam «Ubi primum» de legibus, iuribus, privilegiis sodalitatis SS. Rosarii publicavit[48]. His meritis perpensis et consideratis favoribus in particulares institutiones rosarianas elargitis, nil mirum si patres ordinis iam anno 1885 de Leone declararunt, quod ipse « praeconio devotionis Sanctissimi Rosarii omnes praedecessores suos superavisse videatur »[49]. Et erat nonnisi incoeptio Leoniana de inculcatione rosarii[50]. Papae exempla prae primis imitabantur fratres Praedicatores. Etenim non solum iussu r.mi p. Larroca Acta SS. Rosarii dignis voluminibus iuris publici fiebant[51], sed etiam r.mus p. Frühwirth tum diploma novum facultatis pro erigendis confraternitatibus rosarianis tum summarium indulgentiarum precibus multigenis rosarianis annexis edi 1899 curavit[52], dum capitulares in comitiis 1891 et 1924 statuerunt[53] usum tertiam partem rosarii in communi quotidie recitandi, ubi exsistit retinendum, ubi vero non exsistit introducendum esse.

In omnibus quoque fere provinciis ordinis directiones propagando rosario destinatae formabantur, quibus et facultates erigendarum confraternitatum ex delegatione dare commissum[54] est et folia rosariana libellosque inter fideles spargere.

Ex iure recentiore rosariano animadvertendum est, 1906 membris confraternitatis et 1908 indistincte omnibus fidelibus concessum esse, unius rosarii mysteria sive quinque sive quindecim separatim recitandi[55], anno 1907 Pium X potestatem fecisse, indulgentias Crucigerorum apud recitantes rosarium cumulari cum indulgentiis rosarii, si rosarium utramque benedictionem habeat[56]; deinde rescripto S. Paenitentiariae anno 1918 formulam breviorem in benedicendis coronis rosarii datam fuisse[57], ius canonicum[58] statuisse benedictionem rosariorum non amitti ex transitu ad alios; deinde usum ex initialibus temporibus rosarii in regionibus plurimis repetendum vetustateque sicut et ecclesiastica probatione sacrum, quo nempe post salutationem angelicam ad vocem « Iesus » expressio mysterii edicitur, roboratum, imo ad propagationem commenda-

tum fuisse[59]. Gratias insignes et quasi inexspectandas Pius XI iis lucrandas voluit, qui coram Sacramento sanctissimo rosarium B. M.V. recitarent[60].

Praecipue zelatores rosariani erant patres Galli Chardon, Lataste, Ribon, Pradel, Chéry, Itali Celle, Ghilardi, Granello, Becchi, Belgae Braeckman, Moulaert, Vermeersch. Iweins, Portmans, Rousseau, Angli et Hiberni Augustinus Procter, Reginaldus Walsh, Americanus McKenna, Germani et Austriaci Leikes, Esser. Pflugbeil, Vordermayer, Meisloch, Dalmata Miskov, in hispanicae linguae regionibus Moran, Peralta, Coll, Paulinus Alvarez, missionarii plures.

Post primam ephemeridem de rosario per fratres Lugdunenses anno 1860 coeptam (Couronne de Marie), folia per Parisienses in lucem venerunt, sed mox 1870 suspendebantur[61]. Sequebantur periodica belgicum, germanicum, neerlandicum, americanum, italicum, hispanicum ceteraque plura. Anno 1885 erant 12 folia rosariana[62], 1925 eorum numerus tribus vicibus se multiplicaverat[63].

His generaliter enarratis in specie nunc quaedam formae precationis rosarianae considerentur. Imprimis Rosarium vivens, quod anno 1826 a Maria Paulina Jaricot († 1862) Lugduni originem habuit. Haec femina « sodalitates, quarum socii, non singuli totum sed omnes, in unum congregati, integrum recitarent rosarium instituit, ut personae vel occupationibus deditae vel pietate adhuc debiles per faciliorem viam sub tutela reginae rosarii pervenirent ». Istae sodalitates sociis 15 constabant, quorum unusquisque quotidie unam recitabat decadem[64]. Cardinalis Lambruschini, antea nuntius in Gallia, primus protector super Rosarium vivens 1835 institutus est[65], qui pontificiam approbationem atque indulgentias huic pio operi anno 1832 procuraverat[66]. R.mus p. Cipolletti 1836 directoribus primariis Rosarii viventis aliisque vel futuris sodalibus sacrorum participationem cum ordine Praedicatorum concessit[67]. At capitulum generale anno 1838 eumdem magistrum generalem obsecravit, ut apud Papam ageret, ut «Rosarium vivens dictum subiectum reddat ordini nostro, ne quidquam vel veri rosarii... devotioni detrahatur vel privilegium, quo ordo noster.. insignitus fuit, detrimentum patiatur»[68]. Huius consilii ratio explicatur ex intentione eorum, qui domum Lugdunensem sororum a rosario vivente dictarum tamquam centrum huius operis haberi voluerunt[69]. Cum vero nec domina Jaricot nec S. Sedes iura dominiciana in rem rosarii turbare intenderit, mox tres provinciales Galliae Pio IX supplica-

runt, «ut supremum Rosarii viventis regimen magistro generali ordinis, singulorum autem sodalitatum seu societatum huiusmodi curae moderatoribus SS. Rosarii» committeret. Quod ipse per breve «Quod iure hereditario» anno 1877 praestitit[70] r.mo p. Sanvito declaratione de rosario vivente ordini dante[71] Paulinae Jaricot memoria benedicta remanente in Ecclesia[72] et in ordine[73]. Rosarium vivens propagantibus Dominicanis feliciter exinde florescebat.

«Rosarium infantium», p. Body in Gallia tam felici successu inchoavit, ut intra 5 annos iam 15000 infantes hac precum unione congregaverit. In Italia 1909 Rosarius Bianchi albam legionem rosarium recitantium puerorum fundavit. Quam institutionem episcopus Scapardini publice palavit, cum novenam SS. Rosarii apud ecclesiam S. Dominici Taurinorum praedicaret. Die 25 decembris 1909 operi eiusque periodico Papa benedixit. R.mus P. Cormier pariter omnia fausta moderatori huius legionis adprecatus est[74]. In italica natione quoque tentamina plantandi Rosarium vivens inter iuvenes operarias[75] et inter milites[76] facta sunt.

Sub Nomine Rosarii perpetui alius ramus devotionis rosarianae novo tempore novo impulsu instauratus est. Per Timotheum Ricci antea excultus, industria patris Chardon (+ 1862) ex anno 1858 Lugduni resuscitatus est[77]. R.mus P. Jandel hanc associationem, quae quadriennio elapso iam 100.000 sodales adsciverat summe commendavit[78]. Pontificiam approbationem cum dispositione nova gratiisque indulgentiarum permagnis Rosarium perpetuum die 12 aprilis 1867 obtinuit, rapidissime[79] per terras Galliae, Belgii[80], Helvetiae, Germaniae, Angliae, Hispaniae, Sinarum se diffundens. Patres capitulares anni 1916 ius servant et utilitatem asserunt, quod Rosarii perpetui est, habendi centra promotionis et directionis in singulis ordinis ditionibus[81].

Rosario aurorae[82], quod in universis fere Hispaniarum provinciis antiquitus fundatum et propagatum fuit, sub Leone XIII novum decus ac robur ex indulgentiis affulsit, quas petente Iosepho Martines provinciali Hispaniae mense iulio 1887 largitus est. Consistit haec precatio in eo, quod «primo diluculo aliquis sacerdos O.P. cantorum choro comitante, e templo egressus, in urbibus oppidisque Mariales Rosarii preces concinendo vicatim procedat, coactumque in itinere populum maxime operarios ad templum ducat, ubi SS. Rosarium recitatur, sacrum fit, et aliae piae exercitationes peraguntur» Hodie huiusmodi praxis in parvulis vicis interdum

servatur. Institutio dicta « rosa sacrificii » (Opferrose) per zelantissimum rei rosarianae in Germania promotorem p. Leikes 1877 coepta est, ut ope quotidianae missae per sodales oblatae benedictio caelestis super Ecclesiam vocaretur. Quae tamen institutio postea cessavit[83]. « Rosae aureae» i. e. uniones sodalium quindecim ad recitandum quotidie 15 mysteria ad obtinendum triumphum Ecclesiae anno 1902 a parocho Lendosek in Styria propagatae et postea in Germania per p. Stadtmüller aliquandiu promotae, speciales indulgentias receperunt, non autem in associationem abierunt[84].

Cultus imaginum B.M.V. de Rosario in sanctuariis ipsius ordinis coronationum solemnitatibus exprimebatur, e. g. in locis Fontanellato 1925 et Manaoag 1926[85]. Aliud sanctuarium rosarianum e fundamentis Prulii in partibus Tolosanis excitatum est, prout p. Larroca[86] ordini 1887 palam fecit.

Digne evocari debent augmentum devotionis rosarianae per supernam actionem a medietate saeculi XIX in orbe catholico notata. Ita Lapurdi in Gallia, ubi Immaculata B. M. V. ad manum nectens rosarium apparuerat, basilica a SS. Rosario nuncupata approbante Pio IX mense februario 1875 erecta et sub Leone XIII mense augusto 1889 publico cultui data est, per innumeros exinde fideles visitata. Eodem fere tempore ortum habuit sanctuarium rosarianum, quod vulgo de Pompei appellant. Eius fundator ac propagator advocatus Bartholomaeus Longo (1845/1926)[87] salutatur. Qui iurisprudentiae studiis expletis per p. Radente tertio ordini nostro adscriptus imaginem veterem rosarii[88] exposuit die 13 februarii 1876 et die 8 maii insequente fundamenta templi rosariani iecit. Quod per cardinalem Monaco La Valletta consecratum est, qui et postridie 8 maii 1887 iconem coronavit[89]. Leo XIII, postquam indulgentias visitantibus ecclesiam illam concesserat[90], 1890 ecclesiae operibusque annexis cardinalem protectorem[91] constituit, imo specialem legationem pro rebus Pompeianis formavit. Fratres Praedicatores ad spirituale servitium tanti sanctuarii adlecti ex voluntate Papae augeri debebant[92]. At 1920 a sanctuario recesserunt[93]. Ab anno 1926 Pompeiana basilica centrum est « praelaturae nullius », a dioecesi Nolana seiunctae[94]. Per regiones Italiae et coloniarum italicarum immensa veneratio B.M.V. Pompeiana viget, sicut et iisdem in locis supplices preces, vulgo « supplica », ab advocato Longo quondam compositae atque ab Ecclesia probatae, die 8 maii singulis annis recitantur. Quod exercitium supplicationis Pompeianae etiam a familia papali peragitur.

Dum ecclesia rosariana Patris (Patrasso) erigenda in memoriam victoriae super Turcas infecta remansit, B.M.V. sub specie reginae SS. Rosarii favores mense octobri 1918 in Lusitania prope Fatima fidelibus exhibere coepit, peregrinationibus exinde eo multis convenientibus[95].

Immaculata Conceptio B.M.V. apud nostrates ferventissimos devotosque theologos habuit, ex quibus episcopus Canubio et p. Blanco suis petitionibus et adiumentis in praeparatione oraculi pontificii anni 1854 partes notandas sumpserunt[96]. Et reccurrente anno 50 a definitione huius dogmatis fratres Praedicatores commemorationes splendidas egere[97].

Devotio in S. Ioseph particulari modo inter nos a saeculo ultimo invaluit[98].

Circa piam unionem[99] Militiae angelicae summopere et nostris diebus semper commendata, notentur duae concessiones pontificiae: summarium indulgentiarum[100] et usus numismatis loco cinguli[101].

Ex quo Imeldae de Lambertinis cultus ecclesiasticus anno 1826 per Leonem XII approbatus exstitit, piis mentibus visum est, ipsam beatam ceu optimam patronam infantium ad mensam eucharisticam appropinquantium colendam esse. Monuerunt suo tempore capitulares Abulae congregati quoscumque superiores domorum et provinciarum, ut « non praetermittant commendare fidelibus piam sodalitatem B. Imeldae, quae cum fructu animarum Bononiae et alibi iam instituta fuit pro puellis, quae prima vice ad sacram communionem accedere intendunt ». Ac Leo XIII hanc piam unionem 1895 indulgentiis plenariis ditavit, Pio X alias indulgentias 1911 eidem causae elargiente[102]. Interea archiconfraternitas pro bona prima communione et perseverantia sub patrocinio B. Imeldae apud monasterium Prulianum orta est. Quae quidem Romam translata magistrum generalem tamquam moderatorem supremum agnoscit[103]. Omnibus in re Imeldiana praeibant fratres Hiberni, qui 1911 specialem ephemeridem « The Imeldist » nominatam edere incipiebant et tot agmina adulescentulorum atque adulscentularum congregarunt, ut in centenario Imeldiano (1926) zelus directorum rei Imeldianae in fructibus et festis admirandis effulserit[104]. Occasione eucharistici congressus Italorum Bononiae 1927 habiti infantium turmae ad laudem eucharisticae virginis Imeldae productae sunt, dum Romae ab ultimis annis oblatio floris in honorem B. Imeldae apud Minervitanum templum invaluit[105].

§ 102. Fratres pietate vel martyrio illustres.

Pietate et martyrio illustres fratres veram internam vim sanctificantem a filiis S. Dominici non recessisse in saeculis XIX et XX ostendunt. Martyria in Europa primitus enumerare praestat. Die enim 17 mensis iulii 1834[1], dum Hispani quidam rebellionem contra patriam et Ecclesiam agebant, apud conventum S. Thomae Matritensem Ludovicus de La Puente, Iosephus Fernandez de Narayo, Sebastianus Diaz Sanseca, Iosephus Rodriguez, Ioachim Garcia Carantoña, Gregorius del Moral, Iosephus Luesma occisi sunt, aliis adhuc feritis. Pergit deinde series testium sanguinis pro fide Christi ad terras Anamitarum ducibus Ignatio Delgado vicario apostolico Tunquini orientalis in carcere 12 iulii 1838 mortuo et Dominico Henares praefati vicarii coadiutore die 23 iunii 1838 pro fide decollato. Quibus successerunt annis 1838/40, uno excepto omnes Anamitae, socii 24, quorum sacerdotes ordinis nostri 6[2], universi postmodum beatificati. Novae persecutiones novos martyres creaverunt, dum causae fuerunt de Iosepho Maria Diaz Sanjurjo Vicario Tunquini centralis die 20 iulii decollato, Melchiore Garcia Sampedro vicario Tunquini centralis 28 iulii 1838 membratim secto, Hieronymo Hermosilla vicario Tunquini centralis die 1 novembris 1861 decollato et de eorum sociis tum ex ordine Praedicatorum religiosis, tum saecularibus viris ac feminis plerisque tertii ordinis S. Dominicis sodalibus, numero quadringentis super mille[3].

Iuxta temporis rationem spectantibus nunc in Gallia fratres Praedicatores tertii ordinis terram testimonio sanguinis rigasse apparent, cum in seditione communistarum Parisiensium aliqui in Arcoleensi collegio magistri corona gloriae cingerentur. Quorum agmini praefuit Ludovicus Raphael Captier, sociis exsistentibus Thoma Bourard e provincia Franciae tertiariisque Henrico Cotrault, Constantio Delhorme, Pio Chatagneret et pluribus sacerdotibus vel familiaribus saecularibus. Qui Parisiis ante carcerem in via Italica die 25 maii 1871 in confessione occubuerunt[4].

Inter eos, qui etsi non re vera — uno quidem excepto — fieri martyres, attamen passiones pro fide in corpore sustinere dignati sunt, nominentur Hevia Campomanes episcopus Novae Segobiae et comites super centum, qui ludibria, nuditatem, deportationem, aliasque afflictationes eis per rebelles Philippinos anno 1899 irrogatas pertulerunt.

Venerabilium fratrum, qui virtutum odore fragrabant et magis innotescebant, corona haec praesentetur: Franciscus A. Gonzales († 1820) amicus B. Didaci Gaditani, Ioannes Perez de la Cerda (1761/1826), Emmanuel Amado († 1846) Emmanuel Sanchez de Porrua († 1871), Franciscus Coll († 1875), Iosephus Moran († 1884), Felicianus Moncalian († 1893), Emmanuel Ugarte († 1896), Cyprianus Saenz de Burnaga († 1907), Norbertus Del Prado († 1918)[6], clara hierarchiae lumina Dominicus Canubio († 1864) antistes Segobricensis[7], Michael Calderon († 1883) pastor gregis in Sinis. Quibus accedunt Bernardus Sapelli († 1829)[9], Vincentius Acquarone († 1874), Hyacinthus Celle (1872)[10], Albertus Radente (1884)[11], Iacobus Gerbino (1890), Pius Lorgna (1928)[12], conversus Albertus Concordia[13], praesules Thomas Ghilardi (1873)[14] et Pius Albertus Del Corona (1912)[15]. Sequuntur Hyacinthus Besson 1861), pp. Lacordaire et Jandel, Emanuel Manuel (1893), Reginaldus Colchen (1914)[16], Hyacinthus Cormier. Si tandem adiungantur Apollinaris Niettermayer (1820)[17], Ludovicus de Stolberg (1888)[18], Raymundus de Löwenstein (1921)[19], Albertus M. Weiss (1925)[20], Bertrandus Wilberforce, Reginaldus Buckler (1927)[21], episcopus Fenwick, Matthaeus A. O' Brien (1871), Hyacinthus McKenna (1917) nomenclatura perfecta est, quae uberiore commentario additionibusque facile instrui potest.

§ 103. Cultus sanctorum et beatorum.

Si causarum beatificationum vel canonizationum materia consideratur, maior numerus e triplici familia religiosa S. Dominici ad honores altarium ex anno 1804 usque hodie evecta est, ac in toto tempore praecedenti[1]. Unica erat canonizatio S. Ioannis de Colonia, socii martyrum Gorcomiensium, die 29 iunii 1867 per Pium IX peracta[2]. Formales beatificationes obtinuerunt 1818 Franciscus de Posadas, dein 1837 Ioannes Masias et Martinus de Porres, 1888 Lud. Grignon, 1867 (1893, 1900, 1906) martyres ducibus Alf. Navarrete, Petro Sanz, Ignatio Delgado, Hieronymo Hermosilla ad coronam pervenientes, 1909 Franciscus Capillas protomartyr Sinensis[3]. Cum huiusmodi causis ultimis postulatores pp. Ligiez († 1898)[4] et Kaiser (†1916)[5] nomina sua ligarunt, dum in confirmationibus cultus praecipue Italorum septentrionalium petendis p. Tosa[6] valde successit.

Ut ceterae causae pendentes feliciter suo tempore absolverentur, capitula generalia 1901, 1904, 1907, 1916 particulares contributiones capsae causarum huiusmodi a provinciis annuatim dandas censuerunt[7]. Elogium particulare in largitate contributionum[8] monstrata provinciae Philippinarum anno 1898 decernitur. Neque ommittantur merita p. Faucher pro variis causis et p. Walsh pro re martyrum Hibernorum[9].

Cultus legiferi patris S. Dominici elapsa periodo durante culmina quaedam habuit haud spernenda. Etenim anno 1870 apparitio ipsius, quam ecclesiastica auctoritas tamquam prodigiosam declaravit, apud Surianum evenit[10]. Leo XIII saepius cum filiis S. Dominici, quos diligebat, memoriam fundatoris ordinis Praedicatorum evocabat. Et 1884, dum anni 650 a canonizatione S. Dominici effluxerant, ecclesiam Bononiensem titulo basilicae minoris insignivit[11]. Specialis devotio feriarum 15 in honorem S. Dominici institutarum denuo anno 1891 commendatur, sicut et 1898 diffundenda pia unio S. Dominici ad modum illius Bononiae exsistentis[12]. Promovente r.mo p. Cormier, scapulare S. Dominici piis hominibus imponendum consulitur[13]. Maiore cum apparatu solemnia pro confirmatione ordinis Praedicatorum septies saeculari celebrare in animo fuit[14], attamen in calamitosis belli temporibus pompae exteriores condignae desierunt. Benedictus XV tum anno 1916 tum anno 1921 pulcherrimis litteris laudes S. Dominici cecinit[15]. Occurrente centenario septimo ab obitu S. Patriarchae ubique terrarum splendidae commemorationes institutae sunt (1921/22), quae in Urbe et Bononiae gloriam particularem induebant. Processionis ingentis Bononiae factae, cum ordinis magister reliquias gloriosi nostri fundatoris deferebat, ecclesiasticorum virorum et fratrum et piorum fidelium comitatu, indelebilis memoria apud adstantes et in chronica Bononiensi remanebit[16]. Ad agnitionem gloriae ipsius patris legiferi redundare debent industriae, quibus provincia Lombardiae insimul cum magistris generalibus ad instaurandum conventum prope basilicam S. Dominici laborat[17].

Doctoris Angelici devotio cum incremento eius doctrinae ex saeculi ultimi medietate magis invaluit, fota per centenaria iubilaea obitus (1874) et canonizationis (1923), quae occasiones ubique terrarum magno cum plausu fidelium, clericorum et sapientum celebratae sunt[18]. Anno 1878 locum habuerat recognitio, ossium S. Thomae per r.mum p. Sanvito, adstante provinciali Tolosano p.

Cormier[19]. Libellus patris Esser « S. Thomae monita et preces»[20] et introductio sex dominicarum ad festum S. Thomae praeparantium[21], et specialis patrocinii solemnitatis[22], peregrinationes thomisticae et unio thomistica[23] a Collegio Angelico promotae cultum tanti sancti auxerunt. S. Ludovicus Bertrandus patronus novitiatuum ordinis a r.mo p. Paredes datus est[24].

De S. Catharina adhuc specialius notandum est, eius Romanas exuvias solemni ritu anno 1855 ad altare maius templi Minervitani translatas fuisse[25] et Pium IX eam compatronam almae Urbis 1866 declarasse[26]. Paucis abhinc annis in Italia virgo Senensis praeclarissima patrona feminarum actionis catholicae est agnita, sicut et Itali nunc eam magis in unionibus operum et studiorum colunt[27].

b) VITA ET ACTIO SCENTIFICA.

§ 104. Rationes studiorum.

Inter arma et agitationes ineunte saeculo XIX nostrates obligationem tradendi doctrinas philosophicas et theologicas quoad melius poterant impleverunt. Capitulum generale 1832 habet, quod « tam lectores quam studentes sua munia perficiant absque aliqua dispensatione vel praetextu »[1].

Imo 1838 in ratione studiorum pro philosophia triennium, pro theologia formali unus annus de locis theologicis iuxta textum Cani et quinquennium de Summa S. Thomae, dum theologiae breviori anni tres dogmatici et morales et duo vel tres morali practicae atque eloquentiae sacrae assignantur. Linguarum graecae et hebraicae cursus colendi memorantur. Lectores institutiones philosophicas patris Roselli in philosophia, tractatum Cani de locis ad litteram, in theologia formali Summam Aquinatis ad litteram pariter sequi iubentur, id quidem sub paena absolutionis[2].

Deinde r.mus p. Jandel studiorum ordinationem die 14 iulii 1852[3] edidit a s. congregatione Episcoporum et Regularium probatam. Ad eam conflandam usus fuit praecipue consiliis pp. Gaude, Degola, Modena. Statuuntur octo anni studiorum, distributi in biennium philosophiae scientiarumque naturalium et in sexennium theologiae. Huius sexennii annus unus de religione, alter de locis habebatur, historia ecclesiastica toti biennio huic immixta. Lectores futuri per annos quatuor studio Summae theologicae et sacris litteris incumbebant, dum minoris theologiae tum elementaris dogmaticae

tum praecipue moralis practicae et sacrae scripturae cursus biennalis vel triennalis praeparabant confessarios et concionatores vere utiles. Prohibetur admissio ad lectoratum vel decoratio titulo lectoris « dummodo non legat ». In provinciis principalibus cursus eloquentiae sacrae instituendi praecipiuntur. Studia cuncta disseminate dispersa non permittuntur. Linguarum sacrarum studium facultativum relinquitur. Ius peculiare pro collegio D. Thomae de Urbe vigere pergit.

Cui quidem studiorum dispositioni capitulum generale anni 1862[4] quoad examen lectorum emendationes parvas apposuit, vacationes melius ordinavit, lectoris titulum iterum aliquibus concessit, qui a docendo arcentur. Qui demum « lector dummodo non legat » anno 1885 sublatus est. Ad fovendum studii impetum capitula generalia 1868 et 1898 litteras, a r.mo P. Boxadors datas, in omnibus conventibus et domibus ordinis annuatim legendas imposuerunt[5].

Dum ratio studiorum specialis in provincia Hispaniae restauranda per p. Larroca tunc visitatorem constitutum anno 1877 data est[6], in ordine toto ad novas necessitates implendas vocante plura circa officiales vel modum et formationem studiorum decerni non omittebant, ita e. g. ut dissertatio scripto exaretur, quam candidati ad lectoratum admittendi praeter orale periculum exhiberent[7], ut fratres ad legendum destinati specialibus supplementariis cursibus « in magnis universitatibus, in quibus eminenter scientia coli tradique potest, publicis institutionibus vacare et gradus academicos, qui certe ad copiosius et altioris scientiae zelum fovendum aptissimi sunt, post serias probationes assequi valeant »[8].

Ut profectui doctrinae et honori genuino officialium studiorum consuleretur, titulus magisterii theologiae ratione praedicationis anno 1907 abrogatus declaratur[9]. Et anno 1913 pro examine ad gradus praesentatio praevia alicuius dissertationis typis mandatae vel collectio scientificorum articulorum pressius postulatur[10].

Desideriis capitulorum[11] r.mus p. Cormier obsecundans, rationem studiorum per patres Dummermuth, Coderch, Belon, Buonpensiere, De Groot, Weiss, Lagrange, Gardeil, de Loe optime elaboratam die 6 aprilis 1907 communicavit et imposuit[12], quae luciditate, sobrietate pariter atque utilitate excellens, studendi cultum et sapienter moderatur et promovet. In quantum praesupponit formationem litterariam et scientificam pro accedentibus ad philosophiam, progressum certum super praecedentes dispositiones studiorum ostendit et insuper altiorem culturam iam ad studia philosophica et

theologica a studentibus afferendam denotat. Praeter cursus ordinarios alii cursus, nempe complementarii, iuxta quatuor series diversas per futuros lectores frequentandos praescribuntur. Lingua hebraica obligatoria in cursu ordinario fit, notitiis linguae graecae inter praesupponenda relegatis. Ad normam huius studiorum rationis statuta collegii Angelici de Urbe quoad res philosophicas et theologicas in initio redacta sunt.

Ad series seu facultates quatuor, quae pro studiis complementariis in dispositione studiorum anno 1907 assignantur, ex voluntate capituli generalis anni 1913 saltem in collegio Angelico introducenda additur illa historica[13]. Insuper ab anno 1920 pluries saltem in maioribus centris studiorum nostri commendantur seminaria exercenda[14], quorum utilitas methodologica et realis ex universitatibus constat.

Ut progressus scientificae formationis magis foveatur, patribus capitularibus anni 1916 placuit statuere[15], ut regentes ad sexennium munere fungantur, quod statutum in recentiorem legislationem transiit. Atque anno 1920 decisum est[16], ut ubi in studio provinciae numerus studentium 15 non attingitur, ibi studium provinciale deficiat, et ubi numerus 20 studentium non habetur, ibi studium generale non exsistere possit.

Cura et vigilantia ordo providit, ut libri textuum adessent, quibus clericalium disciplinarum alumni proficue imbuerentur. E manualibus philosophiae illud Roselli resumptum est ex decreto capituli generalis anni 1838[17], et alia pp. Gonzalez[18], Zigliara, Lepidi, Hugon, diffusissima evaserunt. Pro re apologetica institutiones auctoribus Gatti[19], Puig et Xarrié, De Groot, Garrigou-Lagrange, Schultes in manibus ubique suo tempore teruntur. Dum Mancini, Buonpensiere, Lottini, Fei, Hugon tractatus theologicos proposuerunt, p. Prümmer manualia tum de morali practica tum de iure canonico confecit.

Plura manualia a variis capitulis desiderabantur[20].

Semper quoque remansit sacrum, textum et sapientiam theologicam ex littera S. Thomae haurire. Modo constanti tum pro lectoribus, ne quaestiones moralis practicae praetermitterent[21], tum pro quibuscumque fratribus, maxime studentibus, cautum est, ne theologia dogmatica et moralis separarentur, cum « meminerint omnes fratres nostri, se numquam satis studio theologiae utriusque incumbere posse ».

§ 105. Domus et collegia studiorum.

Instituta et collegia studiorum initio saeculi XIX nonnisi in aliquibus provinciis italicis et hispanicis esse pergebant.

Collegium Divi Thomae de Urbe, quod ex dispersione curiae ordinis et interitu Romanae provinciae anno 1810 desolatum fuit, 1816 restauratum, influxum suum in ordine resumpsit. Exterarum provinciarum resurgentium primitiae eo fontium institutionum cupidae vel ex Hollandia, Hibernia, Anglia, America septentrionali, Polonia convenerunt[1]. Incrementum maius ei ex resuscitato Thomismo affulsit clarissimique viri pp. Guidi, Gatti, Spada, Frati, Guglielmotti, Nardini, Zigliara, Pierotti profundam doctrinam tradiderunt. Urbe a Pedemontanis militibus capta, scholae collegii Divi Thomae successive primum in seminarium gallicum e propriis aedibus eiectae translatae sunt, postea asylum apud palatium marchionis Berardi atque academiam ecclesiasticam deinde apud conventum Minervitanum in via dicta Pié di Marmo, demum in palatio Sinibaldi in via dicta Torre Argentina petentes. Ultimi regentes tanti collegii Lepidi et Buonpensiere[2] salutantur. Huic collegio centrali ordinis advenit anno 1882 facultas conferendi gradus in philosophia[3] et 1896, ad petitionem capituli generalis per r.mum p. Frühwirth a Sancta Sede obtenta facultas iuris canonici[4], magisterio praecipue pp. Esser et Noval illustrata.

Collegio Divi Thomae de Urbe in omnibus Collegium Angelicum erat successurum. In centro christianitatis Romae studium generalissimum, de quo iam capitula generalia 1871, 1901, 1904 cogitaverant per r.mum p. Cormier ordini et Ecclesiae datum est. Die 6 aprilis 1907 ordini scribens nuntiavit « desiderium a sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X Nobis saepius expressum de studio generalissimo in Urbe quantocius instituendo, iuxta votum capituli Viterbiensis, pro ampliore diffusione doctrinae thomisticae, non solum inter nos, sed et in clero saeculari». «Ad quod perficiendum indubiam spem habemus obtinendi aream vastam, in loco centrali, salubri, tranquillo, facilisque accessus »[5]. Ad delineamenta architecti Basarelli aedificatae aedes anno 1909 absolutae sunt, ipsique instituto concessione Pii X data die 8 novembris 1908[6] titulus Collegii pontificii et iura legesque particulares fiebant. Die 24 octobris 1909 per magistrum generalem nominato regente[7] studiorum novi collegii

Sadoco Szabó (— 1927) et professoribus institutis, audientia pontificia die 4 novembris moderatoribus collegii Angelici patuit, qua Pius X benedictionem apostolicam operibus studiorum large impertivit. Scholas alumni dominicani primo anno scholastico 1909/10 frequentarunt 62[8], saecularis cleri autem 58, anno elapso 1928/29 studiosi 490[9], fama doctrinae[10] instituti Angelici per orbem et ordinem digne sparsa.

Habitationes in collegio ipso pro communitate dominicana die 18 maii 1910 per cardinalem vicarium Petrum Respighi benedictae sunt, dum die 21 maii 1910 prior Gabriel Horn et ceteri officiales domus constituti sunt[11].

Nostri insuper tum apud universitatem Romanam repraesentabantur, e. g. per pp. Faraldi inter cuius auditores futurus Gregorius XVI numerabatur[12], Galleani[13], Olivieri[14], tum apud collegia Propagandae Fidei et Seminarii Romani[15]. Accedit magisterium in pluribus studiis tum provinciarum, (Perusino, Bononiensi, Cheriensi), tum seminariorum episcopalium. In Perusina universitate[16], quae erat una ex academiis minoris gradus status pontificii claruerunt Rinaldi, De Maurizi, Acquarone, Carbó. In universitate Maceratensi vi statutorum anno 1802 confirmatorum cathedra theologiae thomisticae a Dominicano occupanda erat[17]. Apud universitatem Neapolitanam in pluribus facultatibus aderant Salzano, Balsamo[18]. Mediolani in universitate, quam catholici Italiae honori SS. Cordis Iesu erexerunt Marianus Cordovani ad lectiones philosophicas et morales adscitus est (1921/27)[19]. In Taurinensi[20] et Calaritano[21] athenaeis pariter nostri saeculo XIX docebant. Apud Melitenses studiorum cultus non intra conventus clausus remansit, sed etiam ad publicam universitatem traici pergit, ut Inglott, Ferroni, Callus rectores aut professores probant[22].

In hispanicis ditionibus gloriose adhuc traditiones scholasticae continuabantur usque dum in rebellione civili studia dissolverentur et professores aut ad seminaria aut ad exteros abirent. Sed ex instauratione ordinis facta ab anno 1860 studia florere coeperunt, protecta et fota per specialem rationem studiorum. Caurii, Iriae Flaviae (Padron), Salmanticae studiorum centra exinde pro provincia Hispaniae creabantur[23], provincia Baetica et postea illa Aragoniae suis industriis in hoc campo addentibus. Valentiae cura patris Urbano vastissimum collegium studiorum universitariorum e fundamentis eductum est[24].

Manilae actio docendi semper quidem servata est, etsi non semper eodem successu et fructu. Nam ineunte saeculo XIX pauciores studentes apud universitatem S. Thomae in matricula scribebantur[25] et vergente saeculo eodem occasiones politicae[26] universitati nocumenta plura attulerunt. A Leone XIII et Pio X roborata[27] indefessis laboribus rectorum pp. Noval, qui anno 1911 iubilares trium saeculorum collegii S. Thomae celebrationes moderavit[28], et Tamayo qui statuta et methodum novis conditionibus conformavit, veneranda illa institutio progressus magnos perfecit. Anno 1928/29 alumni numero 1788 (2982) universitatem illam frequentant[29].

Galli fratres gloriam suae scholae subito ordine restaurato repristinarunt, primum Flaviniaci, deinde variis in locis pro situ diversarum provinciarum. Fama gaudent in ordine toto studia generalia Sancti Maximini, Ryckholti, maximeque illud ad Salices. Patres enim Parisienses studiorum traditionem e conventu Flaviniacensi anno 1880 ad locos Volders et Belmonte transtulerunt, deinde Corbaram, Flaviniacum, 1903 autem philosophos ad Luxemburgense oppidum Aubange et theologos Gandavum constituerunt, 1904 conventu ad Salices in belgica parte recepto, qui operositatis fama clarescit[30].

De cetero, cum post liberam institutionem universitariam in Gallia anno 1875 datam Instituta catholica creata fuissent, in unoquoque Dominicani adsciti sunt et excelluerunt[31]: et Tolosae p. Guillermin, Lugduni pp. Belon et Hedde, Andegavi pp. Ruby et Hyvernat, Parisiis pp. Lebreton, Sertillanges, Gillet, Insulis p. Ledos. Galli quoque initia provinciae canadensis iacientes, doctrinam in terra illa nova apud nostros radicarunt, quae mox ab ipsis Canadensibus tam impigre culta est, ut non solum 1909 studium generale moderatorem proprium habere potuerit, sed etiam fratres duo ad universitarias sedes implendas ab anno 1920 Marianopolim vocati sint[32].

Gallica deinde sunt et initia et perductio scholae biblicae Hierosolymis constitutae[33], cuius cursus die 15 novembris 1890 instaurabantur, Iosepho M. Lagrange lectore primario nominato. Ab anno 1892 currunt ephemerides Revue biblique notissimae ubique terrarum, serie studiorum biblicorum indefesso labore publicata et summo successu coronata. P. Lagrange ipse plausum eruditorum tantum recepit, ut velut caput scholae exegeticae salutatus sit, doctoris titulo ad honorem ab universitatibus Wratislaviensi, Lova-

niensi aliisque honorificentiis auctus. In schola biblica Hierosolymitana nostra exegeseos professores plurimi formati sunt, qui suae disciplinae innumera merita ad Ecclesiae ornamentum protulerunt. Ex die 15 octobris 1920 cum ipso instituto biblico unitur sectio archaeologica, a gubernio gallico fundata et continuata[34].

In Belgio studium generale Lovaniense[35] ex magistris maioris nominis, ex vicinitate catholicae universitatis affluxu studentium propriae et aliarum provinciarum claritatem haud parvam et auctoritatem sibi comparavit. Apud Hollandos in solidis cursibus studiorum, qui primum collocabantur in Huissen ac postea sicut et nunc divisi in Huissen et in Zwolle inveniuntur, boni doctores et praedicatores formari non desierunt. Insuper Vincentius De Groot in universitate publica tamquam primus professor catholicus Amstelodami philosophiam (1894/1922) explicavit[36]. Eius successor in cathedra Amstelodami mox et ad illam Lugdunensem Batavorum vocatus est. Praeterea cathedrae in universitate catholica Neomagensi necnon in universitate commerciali a fratribus nostris tenentur[37].

Celebre centrum doctrinae ordinis universitas Friburgensis Helvetiorum[38] evasit, quae sub Leone XIII per cl.mum d. Python maxime promota, directionem thomisticam cupiens, Dominicanos ad cathedras theologicae facultatis et quasdam in facultate philosophica ab anno 1890 allexit. Docendi verbis et scriptis, publicatione librorum et ephemeridum patres Friburgi assignati rei catholicae et thomisticae et studentium ordinis incrementa produxerunt.

Ad universitatem catholicam Lublini[39] in restituta Polonia fundatam nostrates duce Hyacintho Woroniecki partes contulerunt (1919/29).

Vindobonae in publica caesarea et regia universitate[40] pp. Guidi et Pellegrinetti successive docuerunt. Studia generalia tum Graecii tum Vindobonae in conventibus nostris saeculo XIX instaurata, non proprios modo fratres ex Austria et Hungaria, sed etiam Bohemos, Dalmatas, Germanos, imo Americae utriusque filios educarunt. Provincia efflorescens Teutoniae mox studiis solidis omnem considerationem applicans studium generale in civitate Düsseldorf die 10 decembris 1897 erectum salutavit[41], visitatum postea vel ab exterarum provinciarum studentibus. Conventus Venlonensis per plures annos adhuc partem cursuum vario tempore retinebat donec apud Walberberg prope Coloniam anno 1926 facultas philosophica

locum obtinuit. Academiae philosophicae honori B. Alberti Magni dicatae Coloniae adlaboratum est[42], 1912/18 nostris apud Benedictinos Ettalenses docentibus[43].

Provincia Angliae post varia tentamina domum studiorum apud Hawkesyard 1898 erexit et postea in civitate Oxoniensi studia theologica locare 1929 statuit[44], dum fratres Hiberni tum Romae tum in Tallaght prope Dublinum formationem suam hauriunt.

In Statibus Foederatis provincia S. Ioseph collegio in Somerset, 1834 concesso et 1841 incoepto, successit anno 1903 domus studiorum B. M. V. Immaculatae Washingtonii[45], cuius regentes pp. Kennedy et Waldron celebriores fuerunt. Auctis fratribus atque actione et zelo doctrinali non solum plures ad cathedras catholicae universitatis Washingtonii constitutae professores adsciti sunt, sed et plurimi studentes academicos gradus in ea habere meruerunt[46]. Prae multitudine alumnorum diviso studio, philosophi magnificum collegium D. Thomae in River Forest prope Chicago anno 1925 intrarunt[47].

Status de diversis ordinis studiorum collegiis et institutis in Analectis Ordinis praebentur[48].

§ 106. Thomismus. Editiones operum S. Thomae.

Numquam obliviscendum est nostros professores maxime Italos Hispanosque fideliter, prout pro temporum ratione eis licebat, thomisticam sapientiam ex saeculo XVIII ad novum transmisisse quam Leo XII et Gregorius XVI egregie ponderabant[1]. Praesertim autem refloritio sub Pio IX inchoavit, cum in Italia Caietanus Sanseverino, Portanova, Prisco, Liberatore, Perrone, Cornoldi et nostri magistri collegii Divi Thomae, inter quos p. Carbò, in Hispania varii patres ut Zephyrinus Gonzalez, in Germania Plassmann, Kleutgen, Stoeckl, Werner, in Gallia viri egregii profundius res thomisticas repristinarunt.

Ita nil mirum, si tempore pontificatus Pii IX[2] restauratio Thomismi percipitur. Particulari modo Paulus Carbò, ex Aragonia pulsus in Italia receptus et plurium virorum maiorum etiam patris Zigliara praeceptor effectus, cardinali Pecci archiepiscopo Perusino haud ignotus exstitit[3]. Maximo cultu hic pontifex doctrinam thomisticam prosecutus est[4]. Etenim ad instar «luminis de caelo» in celsitudine Apostolicae Sedis constitutus die 21 aprilis 1878 Angelici doctoris nomen praeprimis commendavit et anno 1879 die 4 au-

gusti solemnissimam, doctissimam, percelebrem, meritoque ab omnibus laudandam, immo et laudatam Constitutionem edidit, cui initium Aeterni Patris, quasi ex integro mentem suam manifestans sicut et comprobans de instauranda christiana philosophia sub forma doctrinae Aquinatis. Qua re contra dissolutionem theoriarum infundatarum tum scientificarum tum philosophantium aggerem solidum principiorum et conclusionum rationabiliter probatorum erigendum et ratus est et erexit[5].

Mox etiam ad firmandos et formandos spiritus uno scripto diei 15 octobris 1879 non solum Academiam Romanam[6] S. Thomae Aquinatis instituit sed pariter collegium edendis operibus sancti doctoris destinatum convocavit[7]. Deinde efflagitantibus Ecclesiae cardidinalibus, praesulibus, doctoribus - die 4 augusti 1880 - litteris sub forma brevis emanatis S. Thomam de Aquino patronum academiarum, universitatum, scholarum catholicarum renuntiavit[8], neque amplius ab impositione studii et laude Aquinatis destitit. Gloriosis imaginibus ad superiorem partem in musaei Vaticani parte, quae vulgo Galleria dei Candelabri nuncupatur, per Ludovicum Seitz triumphum S. Thomae eiusque doctrinarum depingi voluit[9].

Dum Leo XIII in Italia motum thomisticum per Zigliara, Lorenzelli aliosque continuatum confirmavit, in Belgio cl.mum d. Mercier adlaboratorem nactus est. Per Austriam et Germaniam praelatus E. Commer[10] Thomismum per ephemeridem ab anno 1886 pandidit. Summusque theologus Germaniae saeculi XIX Matthias Scheeben thomisticis acceptionibus favit.

Centra in quibus genuinus spiritus et textus Aquinatis explicabantur, collegia ab ordine directa[11] efficiebantur et velut seminaria, per quae professores etiam ad publica athenaea mittendi formarentur.

Ex necessitate tuendi depositi fidei in doctrinis novatorum huius saeculi ineuntis Pius X pariter ad S. Thomam doctorem communem recursum habuit. Ipse potius theologicas partes thomisticae doctrinae pressit. Sic in procelloso tempore discriminis modernistici sub Thoma magistro sacrarum disciplinarum moderatores colligere et proficere libenter vidit et voluit. «Menti ac hortamentis SS. D. N. Pii Papae X adamussim obtemperantes» capitulares generales anni 1907[11] suis fratribus fidelitatem et perseverantiam in caelesti doctrina Aquinatis optant atque inculcant. Suasque fecerunt monitiones et directiones pontificias in litteris, decretis et motu proprio

datis «Pascendi», «Lamentabili», «Sacrorum antistitum» quibus semper norma, doctrina et lux Aquinatis celebratur. Clausit Pius X per suam impositionem thomisticae doctrina, per commendationem Summae theologicae tamquam manualis in seminariis Italiae[12] et recensione thesium 24 fundamentalium[13].

Benedictus vero XV ordini Praedicatorum in laudem dari confessus est, «non tam quod Angelicum Doctorem aluerit, quam quod nunquam postea, ne latum quidem unguem, ab eius disciplina discesserit»[14]. Sub ipso ius novum Ecclesiae promulgatum est, cuius canonis 1366 § 2 haec habet: « Philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant»[15].

Recurrente anno septies saeculari, ex quo Aquinas caelitibus fuit adscriptus, ubique terrarum in academiis catholicis solemnitates et commemorationes dignissimae fiebant (1923/24). Per Gallos Societas thomistica studiorum edendorum et in Hispania series librorum (Bibl.de los Tom Españ.) ortum vidit. At culmen celebrationum locum Romae habuit in academia S. Thomae et in collegio Angelico. Pius XI in encyclicis litteris die 29 iunii 1923 datis magistris et studentibus ad Thomam recurrere iubet atque egregia laude nominat « Pontificium Collegium Angelicum, ubi Thomam tamquam domi suae habitare dixeris »[16].

Leo XIII postquam thomisticam philosophiam renovavit, litteris datis idibus octobribus anni 1879 cardinali De Luca s. congregationis Studiorum praefecto significavit, se editionem novam cunctorum scriptorum Aquinatis curare velle cum clarissimorum interpretum Caietani et Ferrariensis in utramque Summam commentariis. Die 18 ianuarii 1880 «motu proprio» cardinales De Luca, Simeoni, Zigliara designavit, qui quidquid ad editionis negotium pertineret statuerent[18]. Imprimis cardinalis Zigliara impigre manum operi admovit, adiutus per adscitos ex anno 1880 fratres quosdam ordinis qui ex 1882 sub Hyacintho Frati tamquam superiore regulari congregabantur[19]. Patre Frati aliis potius detento, cardinalis Zigliara omnia inspexit et direxit[20]. Pro festo S. Ioachim 1882 primum volumen Summo Pontifici porrectum fuit. Urgente Papa volumina priora satis prompte prodierunt. Defuncto cardinali Zigliara, Leo XIII per suum breve diei 4 octobris 1893 magistro generali providere de editoribus et de continuitate laboris iniunxit, postquam

iam 1892 r.mus p. Frühwirth paratum ad suscipienda haec opera se declaravit[21].

Partes maximas in ratione edendi ex tunc Constantius Suermondt (✝ 1925)[22] obtinuit, qui sapientia atque acumine pollens criteria scientifica plene in exhibitione textus applicari potuit, quibus Leonina editio exinde merito praestat. Principia et animadversiones, quae ipse in praefatione ad tomos VIII ac sequentes edixit, a doctissimis viris in admiratione habentur sicut et ea, quae de re petiarum, de unico apographo patre communi traditionis manuscriptae aliisque punctis profunde invenit et disseruit. Aliae editiones textuum thomisticorum practicae a Faucher, Cathala, Mandonnet, provincia Parisiensi, Pègues[23] luci donatae sunt.

Speciali modo notetur ex tempore Leonis XIII versiones textuum operumque S. Thomae in linguas vernaculas haud semel susceptas fuisse, ut petitioni atque indigentiae populorum et laicorum satisfieret. Ita versiones totius Summae ipsius Doctoris Angelici[24] hispanica, gallicae, anglica, neerlandica, germanicae publicatae sunt.

§ 107. Fratres doctrina et litteris clari.

De disciplinis circa sacras litteras vel rem orientalem versantibus Hyacinthus Hintz (✝1812), Benedictus Olivieri (✝ 1845), Philippus Aminta (✝ 1829) suo tempore auctoritate pollebant[1]. Eidem facultati valide contribuerunt Zephyrinus Gonzales (Biblia y Ciencia)[2], p. Zanecchia (de inspiratione)[3], Vincentius Scheil professor in schola Parisiensi dicta studiorum superiorum qui legem Hammurabi legit et exscripsit[4]. Magnopere fratres cholae biblicae Hierosolymitanae doctrina et studio sacri textus impulsum et thesauros attulerunt novam generationem scripturistarum in ordine formantes[5]. Duce cl.mo p. mag. Iosepho M. Lagrange[6] lectiones et ephemeris et collectiones scriptae prodierunt in successus mirandos ab ea. Vincentius Zapletal[7], Marcus Sales, Hugo Pope, Iacobus Vosté exegetae, et orientalistae Vincent, Jaussen, Savignac[8] magni habentur.

Theologi varii in initio saeculi XIX occubuerunt, e. g. Thomas M. Soldati (✝ 1807), Petrus Antonissen, Dominicus M. Federici (✝ 1808), Bernardus Lambert (✝ 1813). Alii vero doctrinae traditionem praecipue in studiorum domibus italicis et hispanicis con-

tinuarunt. Ex quibus Valerius Marsili († 1843) regens Querensis[9], deinde regentes collegii S. Thomae de Urbe ac theologi Casanatenses et magistri S. Palatii recensentur[10]. Sed minime in enumeratione desint tum p. Wilson († 1824), cui elogium fit eum ex versatissimis theologis fuisse qui in Status foederatos Americae septentrionalis immigrarunt[11], tum Alemany et Carbò, qui ex Aragonia pulsi in Italiam venerunt. Sequuntur Spada[12], Gaude[13], Guidi, Pellegrinetti, Quaglia[14], Zigliara[15], Lepidi, Dummermuth, Toggenburg[16], Szabó, Schultes[17], Horváth, Keller, Kennedy, Buonpensiere († 1929)[18], Lottini[19], de Langen-Wendels[20], Fei, Del Prado[12], Marin Sola[22], Gardeil[23], Hugon († 1929)[24], Lemonnyer, Garrigou-Lagrange[25].

Speciatim in morali theologia auctoritatem atque aestimationem invenerunt Faustinus Scarpazza (*reed.* Theol. mor.[26]), Iosephus Moran scintissimus moralista et scriptor[27], Michael Saralegui († 1912)[28], Beaudouin[29], Merkelbach[30], Dominicus M. Prümmer[31], cuius manuale theologiae magnam considerationem sibi comparavit sicut et suum Vademecum. Neque obliviscendum, quid pp. Potton[32], Llaneza[33], Callan, McHugh[34] pro morali scientia fecerunt neque id quod liberioribus expositionibus pp. Janiver, Sertillanges, Gillet, Wilms, McNabb praestiterunt. De re mystica a Ioanne Arintero († 1928) et Reginaldo Garrigou-Lagrange egregie tractatum[35] est.

Numero eorum qui ordinem supernaturalem, religionem christianam ecclesiamque catholicam litteris illustrabant et eam ab impugnationibus vindicabant, adscribuntur Iosephus Montaldi Senis docens († 1816). In tempore desolationis provinciae suae Ludovicus Brittain provincialis Angliae apologetica de divinitate Iesu Christi aliaque scripto consignavit († 1827), Antonius Diaz Merino episcopus Minoricensis († 1831) opus Biblioteca de religión t. 25 (1826/29) collegit atque ecclesiae iura adversus usurpationes regiminis quoad negotia ecclesiastica defendit in Collección eclesiastica Española t. 14 (1823/26). Nominat Hurter virum solide doctum Angelum Vincentium Modena († 1827), qui Romae apud Sapientiam egit professorem locorum fundatissimum[36]. Clarissimae exstiterunt Vincentii M. Gatti († 1882) Institutiones Apologetico-polemicae[37].

Successerunt Puig et Xarrié, qui Institutiones theologicas ad mentem Doctoris Angelici formarunt (1861/63)[38], Thomas Zigliara (Propaedeutica ad s. theol)[39]. Apologeticae methodum perficere cupientes, Gardeil et Garrigou-Lagrange[40] apologeticam ad theolo-

giam dogmaticam reducere conati sunt. Ioachim Iosephus Berthier (✝ 1924) tractatum locorum theologicorum composuit[41], qui per summam apologeticam patris De Groot superatus est[42]. Modernus textus noster de Ecclesia patri Schultes debetur[43].

Extra formam scholasticam summi apologetae exstiterunt p. Lacordaire eiusque in pulpito Parisiensi successores alibique patres nostri. Aeque sanctus, eruditissimus et ornatissimus professor et scriptor rei apologeticae Albertus M. Weiss[44] nominatur, qui inter alia inclite scripsit Apologie des Christentums. Inter Italos Zacchi (✝ 1927) et Cordovani[45] in campo apologetico eminent, inter Gallos p. Schwalm, inter Anglos p. McNabb.

E coetu canonistarum citentur pp. Gainza, Fuixà[46], Thomas Michael Salzano[47], Meynard, Potton, Mothon, Van den Acker[48], Prümmer[49], Tamayo[50], Blat[51], Iosephus Noval[52].

De re pastorali bene meruerunt pp. Illa[53], Callan, McHugh, Merkelbach, de homiletica Monsabré[54], Conway[55].

Philosophorum ordinem texendo memorentur Philippus Anfossi (✝ 1825)[56], Gonzalez[57], Zigliara[58], Lepidi[59], Coconnier[60], Rohner, Manser, Feldner, de Munnynck, Hugon[61], Garrigou-Lagrange, Del Prado. Philosophiam naturalem colebant atque excolunt Dominicus Pino (✝ 1807)[62] Petrus de Medio, Ludovicus Urbano, Emmanuel Barbado[63]. In re oeconomica et sociali doctrina et scriptis pp. Salzano, Gonzalez[64], Weiss, Schwalm, Rutten[65], Horváth inclaruerunt.

Rebus acti temporis consignandis excelluerunt Federicus Vincentius Poggio (✝ 1810)[66], Thomas Salzano (✝ 1891), Albertus Guglielmotti (✝ 1893)[67] historiographus pontificiae classis, Franciscus Rivas (✝ 1884)[68] et Mannes Jacquin. Etiam cultum historiae ostenderunt pp. Moulaert (✝ 1870)[69], Masetti (✝ 1900)[70], et Wehofer[71]. Stella clarissimae lucis emicat Henricus Denifle (✝ 1905)[72], qui notus iam in re medii aevi germanici mox Romam adscitus 1880 historiam universitatum Europae inchoavit, 1883 Apostolicae Sedis subarchivarius a Leone XIII renuntiatus, chartularii universitatis Parisiensis celeberrimi voluminibus manum admovit a gubernio gallico invitatus et ab Aemilio Chatelain adiutus, volumina de desolatione gallicarum ecclesiarum tempore belli centum annorum dedit, specimina palaeographica paravit, infine de Luthero et Lutheranismo disseruit. Erat animi profundi, ingenii praeclari, acumine spiritus et tenacia, memoriaque excellens, laboris immanis vir, religionis, ordinis, veritatis sectator inconfusibilis, studiorum historico-

rum inspirator, scriptor et orator ornatus exstitit. Petrus Mandonnet[73] et Gabriel Théry[74] historiam praesertim doctrinarum describunt.

Epigraphiam atque archaeologiam illustrarunt Raymundus Guarini[75] (inter 1805/41 scripta 49 componens), Albertus Radente[76], Iosephus Mullooly (✝ 1880)[77] qui prior apud conventum S. Clementis de Urbe exsistens illas aedes subterraneas ac basilicam pristinam domumque S. Clementis et adiacens Mithraeum detexit ac descripsit. Eximius cultor rei archaeologicae salutatur Iosephus Castronovo (✝ 1893)[78], dum p. Berthier[79] vel in hac disciplina laudatus evasit, haud ultima ea ratione, quod in restauranda ecclesia S. Sabinae de Urbe ideas suas cum gubernio communicavit.

Idem p. Berthier recensetur inter illos, qui de artibus vel artificum personis operibusve tractaverunt. Maxime hic nominandus est quoque Vincentius Marchese (✝ 1891[80], Memorie dei più insigni pittori, scultori e architetti domenicani). Insuper afferrendi Niewbarn[81], Ferretti[82], Molkenboer, Strunk[83], Gomara, Momme Nissen[84].

Naturalium rerum inquisitioni operam dederunt Dominicus Nocca (✝ c. 1830)[85], hortos botanicos Ticinensem et Mantuanum describens, et Castus de Elera faunae Philippinarum studens[86]. Vincentius Nardini (✝ 1913)[87] chemicam, physicam, astronomiam ad tempus coluit in collegio D. Thomae de Urbe adiutus a Ioanne Embriaco (✝ 1907)[88] qui vires suas specialiter mechanicae applicans, hydrochronometrum, anno 1867 Parisiis praemio donatum, pro monte Pincio ornando confecit.

Apud geologos Ioannes Arintero[89] et Reginaldus Weingärtner[90] nomen obtinuerunt. Geographis adnumerantur Ludovicus Sales (✝ 1807)[91] missionarius ac spectator Californiae, Iosephus Vincentius Airenti[92], (✝ 1831), qui vario ingenio non minus quam zelo pastorali excellens tabulas Peutingerianas illustravit. Henricus Vacas Galindo[93] Aequatorianae patriae limites orientales dimensus est. Linguisticam missionariam et ethnographiam conscripserunt Herrero et Malumbres pro Philippinis[94], pro Urubamba Aza[95], Tapie[96] pro indianis Brasiliae, episcopus Lagae[97] pro Congolensibus.

Scriptorum laudes in sermonibus edendis nacti sunt e. g. Lacordaire, Monsabré, Didon, Ollivier[98], Janvier[99], Bausa, Gaudenzi, Vera, Mauri[100], Urbano[101], Thuente, Callan, McHugh, Skelly[102], Denifle[103], Schultes, Pflugbeil, Bonaventura Krotz[104], Rings[105], dum de religione litteris promovendis varii[106] bene merebant.

Ephemerides collectionesque[107] pro rebus ordinis, biblicis, theologiae speculativae et practicae, historiae, pietatis, confraternitatum, missionum — probante[108] ordinis auctoritate — a fratribus aut eduntur aut adiuvantur.

§ 108 Rerum ordinis scriptores.

Ex quo ordo denuo in capitulis generalibus congregatus restaurationis spem prae se ferebat, saluberrimas commissiones magistro generali dare gestiebat. Ita Romae 1838 capitulares(repetentes placita capituli generalis 1748)[1] commendant ac desiderant evulgationem Annalium ordinis, Actorum sanctorum ordinis, Actorum comitiorum generalium et aliorum scriptorum. Meta utique laudabilis, attamen ex temporum circumstantiis et defectu formatorum fratrum nondum attingenda. Ideo 1841 utilior et facilior proposita res est nempe editio nova atque aucta operis patris Fontana[2]. Quae curante p. Lo-Cicero 1871 prodivit. Interea magister ordinis necessitatem historiae nostrae colendae, licet in genere, expressit[3]. Praesertim Itali et Galli variis monographiis hunc campum excolendum aggressi sunt. Anno 1868 Thomae Bonnet († 1895)[4] studia bibliographica capitulariter laudantur.

Ex eius repertorio et notis Remigius Coulon fasciculos scriptoribus nostris annorum 1701/38 dicatos publicavit[5].

Nomen et merita maxima, etiam in nostris gestis rebus eruendis ac consignandis, Denifle sibi comparavit, indagationibus de mysticis dominicianis germanicis, Chartulario Parisiensi, et praecipue studio atque editione constitutionum ordinis sub Iordano et sub Raymundo fixarum[6]. Quod studium nostris et exteris historiographis admirationi est. P. Berthier, ob publicationem operum Humbertinorum littera magistri generalis cohonestatus, molem aliarum librorum de re dominiciana producere non cessavit[7].

Ex rerum perspicientia edoctus r.mus p. Frühwirth historiographiae dominicianae valentissima subsidia ministrare ratus est. Ideo Analecta ordinis ex anno 1893 edenda curavit[8], quae licet exclusive historico scopo non inserviant, tamen in quacumque quaestione historica ordinis cum fructu consuluntur. Insuper desiderio ordinis[9] tandem serie librorum satisfieri potuit, quibus inscriptio Monumenta ordinis Praedicatorum historica. In hac collectione prostant acta capitulorum generalium (1220/1844), dignum opus edito-

ris Benedicti Reichert efformantia[10] atque insigne decus supremi magisterii patris Frühwirth.

Dum p. Danzas[11] tempora primaeva ordinis descripserat, pp. Balme, Collomb, Lelaidier chartularium S. Dominici compilarunt, p. Madonnet[12] in profundioribus articulis initia et vias ordinis explanante. Provincia Lugdunensis novam editionem et augmentum operis «Année Dominicaine» perfecit[13]. Antoninus Mortier magistrorum generalium historiam voluminibus 8 contentam conscripsit, quorum quaedam publice a Gallorum academia coronata sunt. Ad historiam aevi ultimi in notissima biographia r.mi p. Jandel auctore p. Cormier plura inveniuntur, sicut etiam idem auctor hagiographicis libris res nostras illustravit. Continuum incrementum historiographiae dominicanae partim cum beatificationibus aut canonismis connectitur[14].

Diversarum regionum memorias evocarunt Poggio, Vigna, Bayonne, Berthier, Masetti, Ferretti et Taurisano pro Italiae praecipue centrali partibus, Cassitto, Vincentius Perrotta, Salzano Neapoli, Coniglione in Trinacria, Callus in Melita, Chapotin[15], Mothon et alii pro Gallia, Marianus Rais y Rey (✝ 1829) pro Aragonia (1808/18), pro Hispaniae conventu Salmantino et opera ven. Ludovici Granatensis Iustus Cuervo, pro rebus aliis Ludovicus Getino, Paulinus Alvarez et Beltran de Heredia, Fonseca et Ocio pro Philippinis, Carrasco pro provincia Bonaerensi, pro Chile p. Ghigliazza, pro Columbia Vincentius Cornejo et Andreas Mesanza, pro Mexicana terra Secundinus Martinez reimpressione historiae patris Franco. Victor F. O' Daniel[16] splendida volumina de viris clarioribus provinciae S. Ioseph praestitit. In Hibernia p. McInerny, in Anglia pp. Palmer, Jarrett, Gumbley, in Belgio pp. Moulaert[17] et Arts[18], in Neerlandia sollers p. Meyer[19] monographias et studia emiserunt. Apud Slavos autem Giurgevich de dalmatina re, et Baracz de memoriis e monumentis polonicis bene meruerunt. Historiae in terris germanicis per Lamatsch, Denifle, Löhr, Reichert illustratae, particulari studio in collectione « Quellen und Forschungen » per doctissimum Paulum M. de Loe (✝ 1919)[20] incoepta, dignissime promoventur. Plurimi fasciculi collectionum thomisticarum expositioni argumentorum historicorum destinantur. Circa missiones non iam plene sufficiunt scripta pp. Andreae M.[21], (Meynard), Guglielmotti, Gentili, Cothonay, sed methodo securiore, quo Benno Biermann[22] utitur, resumenda sunt.

c) VITA ET ACTIO APOSTOLICA.

§ 109. Ratio praedicationis et ministerii sacri.

Pro ascendentibus ad ministerium sacrum examen confessionis vel curae subeundum, et quidem trinum, ad normam capituli generalis anni 1748, in nostra epocha per capitula annorum 1838, 1841, 1862, 1901 repetitur et determinatur[1]. Abulae 1895 votationem de moribus candidati ipsi examini confessionis praemittendam sta tuunt. Obiectum examinis confessionis seu curae non ad moralem practicam restringitur, sed etiam ad apologeticam, dogmaticam. ius ecclesiasticum, ius ordinis et privilegia extenditur[2].

Quod ad formationem directam et immediatam praedicatorum Verbi Dei spectat, ordo pro opportunitate iterum atque iterum normas et consilia curare et augere non omisit. Praecipue rationi et methodo praedicationis nostrae et r.mus p. Frühwirth mirabili sua encyclica diei 2 martii 1892 et capitulares tum Abulenses 1895 tum Venlonenses 1913[3] mandatis suis[4] proficue adlaborarunt. De cursu speciali sacrae praedicationis post studia ordinaria peracta habendo capitula generalia anni 1895 et sequentia decreverunt[5]. Et iuxta determinationem Venlonensem[6] examen particulare in sacra eloquentia requiritur. Ob monita Pii X ad ordinem directa apud nos ea vigebant iam, quae postea Benedictus XV encyclica sua «Humani generis» pro quibuscumque ad ministerium verbi destinatis dignas normas vel edidit vel denuo edixit[7]. Specialis ratio studii praedicationis ad acta capituli Cauriensis 1920 adiecta invenitur[8].

Novis temporis et mutationum socialium indigentiis in praxi et applicatione praedicationis formae vel viae novae aperiendae erant. Ita capitula generalia his necessitatibus prospiciendo, normas varias dederunt de praedicatione sacra in maximis urbibus, ubi officinae industriales habentur, in paroeciis, in missionibus inter fideles, de cursibus exercitiorum, de collationibus coram eruditioribus[9].

Cum ad exsecutionem fidelem praedicationis ipsa religio meritum suum annectere voluerit, de dignitatibus in munere praedicandi adipiscendis varie in coetibus generalibus[10] mentio fit.

At ne tituli nimis quaerantur et cum in aliquibus regionibus adhuc magistri titulo praedicationis exsisterent et provincia Franciae magistros praedicationis 1885 petivisset, capitulum genera-

le anni 1907 supprimendam honorificentiam magistri titulo praedicationis censuit, ubicumque non adest pontificia facultas hanc denominationem concedendi[11], nova dignitate (magistri s. praedicationis) anno 1920 creata pro praedicatoribus maximae praestantiae. In capitulo Cauriensi hoc titulo cl.mus p. Janvier insignitus est[12].

In plurimis provinciis missiones[13] inter fideles et exrcitiorum cursus dantur. Ut id efficacius obtineatur, particulares patres his laboribus speciali modo deputantur. Imo accidit ut — etsi plurimi egregie praedicant — eorum nomina prae laboris mole non retineantur. Profecto fratres huiusmodi in horreum Domini maiorem messem important, quam in paginas historiarum.

Demum paroeciale servitium ad praedicatorum officium saepissime additur[14].

Pulcherrima verba, quae animum fratrum Praedicatorum vividiorem ostendunt, dum de specifico suo munere professionem exhibent, citare hic libeat. Dixerunt enim patres, qui Venlonae ordinem totum repraesentarunt, Summum Pontificem alloquentes: «Ministerio verbi plus adhuc quam librorum compositioni usque ad extremum spiritum vitae instantes erimus, non iam propriis inclinationibus et proprio honori indulgentes, sed animarum lucri intuitu, ita ut sermo noster similis sit gladio ancipiti quo verum a falso radicitus separetur, iura Ecclesiae fortiter vindicentur et tot hominibus Dei gloria penitus egentibus auxilia perfecte accomodata subministrentur »[15].

§ 110. Praedicatores egregii.

Maiores nostros praedicatores recensendo series praeclariorum verbi divini apostolorum detur, quae fide dignis ex catalogis vel relationibus et communi aestimatione congeritur.

Hispania multos magnique nominis praedicatores produxit. Ludovicus Ballester († 1817) plurima opera etiam suam eloquentiam sacram ostendentia et conservantia reliquit[1]. Gundisalvus Ferragut († 1843) et splendidus ille Emmanuel Amado († 1846), Franciscus Coll, Iosephus M. Moran famam et successus praedicatorum aut missionariorum singularium reportarunt[2]. Martinus Monterde plenus benedictionibus Dei et hominum inter summos praedicatores Hispanos numeratur cum Secundino Martinez († 1920)[3] et Paulino Alvarez ob linguae copiam et sacrum zelum commendato. Epi-

scopus Marianus Cuartero[4] Secundinus Martin, Avellinus Valdepares, Iosephus Reguero, Emmanuel de la Calle, Zephyrinus Laviesca, Daniel Avellanosa, Emmanuel Ceballos, Antonius Garcia, Antonius Hernandez, Evaristus Arias, Raphael Menendez notandi sacri oratores exstiterunt vel exsistunt. Magnam gloriam ordini afferunt eloquentissimi sapientissimique praedicatores Albinus Gonzales Menendez Reigada, episcopus Nivariensis, et Ludovicus Urbano[5]. Hispani plures in latina America praedicabant. Insuper in Argentinensi republica pp. Boisdron († 1924)[6] et Luque, apud Chilenos Dominicus Aracena († 1874)[7] specialiter nominantur.

Galli Dominicani hoc privilegium habent prae aliis provinciis, quod ab insigni viro et praedicatore summo, qui erat cl.mus Henricus Dominicus Lacordaire, restaurati sunt. Talentis specialibus copiose donatus sub disciplina regulari et meditatione S. Thomae profunditatem ad eloquentiam ipse adiecit, auditorum societatem mira vi ad Deum revocans et dirigens. De eius praedicationis ratione et fonte elogium in capitulo generali anni 1862 notat[8]: « Qua in re non est praetereundum, quod creditu erit fortasse difficile, Lacordaire sermones suos mira facundia, dictionis nitore, diffusa passim eruditione ac doctrina refertos, coram viris plerisque famae celebritate conspicuis, Parisiis, Lugduni, Tolosae, Burdigalis, Nancaeii, Metis, Leodii aliisque insignioribus locis prolatos, non praevio scripto concinnasse, sed quos ardua quidem ac prolixa mentis contemplatione praeconceperat sensus, hos in sacro suggestu ex abundantia cordis profudisse. Qui enim typis impressi avide leguntur, sermones, arte stenographica (scire enim id praestat) excepti ab dicentis ore fuerunt ». Tantum influxum ipse, et fecit et reliquit, ut non solum saepissime velut mensura ceteris sacris concionatoribus exsisteret sed et nomen patribus pluribus ei in pulpito Dominae Nostrae Parisiensis succedentibus a Lacordaire mutuatum datum fuerit, e. g. pro Monsabré[9], Ollivier[10], Didon[11], Janvier. Magno quoque honore afferendi sunt pp. Gardet, Vallée, Vuillermet, Béchaux, Padé, Kuhn, Garaud, Raynal, Lambert[12].

Apud Italos inclaruerunt Octavius Chiariza († 1808), Thomas Buffa († 1837) «concionator imprimis egregius»[13], Hyacinthus Lazzarini, Prosper Tonso († 1852)[14], Thomas Calvi († 1854). Qui purpura fulgebant viri eminentissimi Gaude, Bausa, Mauri[15], verbo sacro iam commendati erant. Praesules ut Thomas Salzano, Hyacinthus de Ferrari[16], Hyacinthus Rossi[17],, Laurentius C. Pampirio

tamquam concionatores excellebant. Pariterque post Thomam Gaudenzi (┼ 1884) et Vincentium Lombardo (┼ 1909)[18] oratoria laude celebrantur Pius Ciuti, Antoninus Luddi, Reginaldus Giuliani[19] cum ceteris pluribus.

Inter Melitae praedicatores maiores Marianus Fiteni (┼ 1863)[20] emicat, etiam scriptione celebris. Dalmatiae partes per Dominicum Glegh (┼ 1809), Archangelum Calich[21], Hieronymum Vlahovich. Angelum Miskov[22] illustrantur, dum ex Polonis Florentinus Gikkendorf (┼ 1887), Ludovicus Rychlik (┼ 1890)[23], Constantius Zukiewicz reputatione magna gaudent. Inter Bohemos notentur Michael Hermann (┼ c. 1831) et Alexius Parizek (c. 1821), quorum uterque laudes concionatoris et sacri scriptoris obtinuit[24].

In Hungaria Cornelius Böle praedicatoribus notioribus adnumeratur.

Linguae germanicae oratores sacros inspicientes primum Austriacos patres adducamus Petrum Meilinger (┼ 1885), Hyacinthum Schönberger (┼ 1887), Norbertum Geggerle[25]. Si in Germania Henricus Pflugbeil, Albertus Kern, Mannes Rings, Andreas Schmitt, de verbo Dei proponendo meruerunt, prorsus egregius praedicator ad instar summorum oratorum sacrorum fuit Bonaventura Krotz (┼ 1914)[26], qui in patria et in America septentrionali vitae hodiernae conamina pulcherrime et profundissime sub luce fidei metiens veritatem christianam audientibus impressit.

E Hollandis Vincentius De Groot insignis orator dicendus est. Iner patres, qui indefesse conferentias et instructiones de re catholica coram protestantibus habent, plures ob dicendi vim et ornatum laudantur[27].

Provincia Angliae recenset inter famosos praedicatores Albertum Buckler[28], Bedam Jarret, Hugonem Pope, Vincentium McNabb[29], Raphaelem Moss. Hibernia autem protulit summum concionatorem sui populi in saeculo XIX Thomam Burke[30], qui in patria aeque ac in Anglia et America septentrionali verbo et animarum zelo clarissimus evasit, pietate et litteris etiam celeberrimus.

In Statibus foederatis Americae septentrionalis varii patres potenti sermone fideles et populos allocuti sunt. Inter quos concionatores validiores pp. H. McKenna (┼ 1917)[31], L. Kearney, Ripple, Ignatius Smith, Gregorius Fitzgerald, R. Lawler, T. Schwertner[32] aliique numerandi sunt, Clemente Thuente in exercitiis dandis claro.

§ 111. Promotio rei catholicae inter protestantes et schismaticos.

Pro unione ecclesiastica efformanda fratrum zelus et industriae nunquam cessarunt. In septentrionalibus partibus, in quibus protestantismus et variarum sectarum fides grassantur, in cursibus particularibus iis, qui ad fidem catholicam converti intendunt, occasio audiendi catholicam fidem genuinam praebetur[1].

In Anglia ab anno 1915 magis adhuc ab anno 1918 sacer zelus plurium clericorum haud ultimo loco nostratum eo tendebat, ut societas fundaretur, quae catholicam doctrinam coram audientibus quibuscumque publice exponeret ad eradicanda praeiudicia et cognoscendam veritatem. Non directe conversio audientium ad fidem intenditur.

Quae societas vulgo Catholic Evidence Guild nuncupata, per totam Britanniam spargitur. Patres Dominicani huic operi collaborantes habitum patenter deferunt, exponentes unum vel aliud rei catholicae oibectum in discursu dimidiae horae, post quem difficultates ab audientibus motas resolvunt. Coram coetibus 1200 hominum vel amplius personis patres expositiones suas et responsiones dant[2]. Huiusmodi conferentiae et discussiones et in universitariis civitatibus Oxoniensi et Cantabrigiensi acute et strenue actae sunt[3].

Apud Belgas opus propugnationis fidei anno 1905 incoeptum, in unionem apologeticam et doctrinalium litterarum excrevit. Quae flandica pars in Antverpiensi conventu habebat (Geloopsverteidiging), pars gallica in conventu Leodiensi aemulabatur, scripta «Les Etudes religieuses» aliaque edendo[4].

In Neerlandia opus, quod communiter « actio protestantium » vocatur, a nostris intrepide suscipitur et expletur. Augustinus Sasses anno 1919 in oppido Zwolle propius ad protestantes accedere cupiens, aliquos ad conventiculum invitavit, in privatis conferentiis ipsam catholicam doctrinam pandens. Successus huius initii animum dedit ad conferentias instituendas in ipsa conventuali ecclesia (1920). Progrediente hoc opere, varii patres velut praedicatores coram protestantibus designati sunt. Modus concionandi consistit in urbana ac clara catholicae veritatis expositione, solidis argumentis roborata, quin media commovendi animos auditorum excludantur e. g. per religiosam aedificationem. Post habitos sermones fasciculi et libelli respicientes materiam explicatam distribuuntur, foliis et mo-

nographiis ad instruendos animos incessanter pro divulgatione praeparatis. Preces tum patrum tum tertiariorum tum sororum et fidelium maiorem vim et efficaciam toti operi advocant. Proxime quidem hae conferentiae non inserviunt conversioni protestantium, sed ad destruenda praeiudicia heterodoxorum in Ecclesiam. Dum Angli admittunt controversias, Hollandi sola expositione rem perficiunt. Imo ut protestantes magis ad coetus in catholicis ecclesiis incitentur, praesentia catholicorum durante illis conferentiis absolute interdicitur[5].

Ad efformandam unionem ecclesiasticam Russorum orthodoxorum cum catholicis, Ioannes Omez[6] aliique, Sede Apostolica annuente, seminarium S. Basilii suscipiendis Russis destinatum 1923 fundarunt. Circa vocationes ecclesiasticas pro Russia ordo cogitat[7].

§ 112. Missiones exterae apud infideles.

Circa annum 1800 infimum statum missiones exterae per catholicos cultae demonstrant. Cum ordo missiones quasi exclusive in ditionibus coronarum hispanicae et lusitanae haberet, non immediate hanc diminutionem missionariorum sensit, attamen in secunda et tertia decade annorum vel in his territoriis novum regimen expostulabatur, nisi perductio missionum in ruinam abire deberet[1]. Dum Lusitani sensim decidebant, centrum Occaniense in Hispania constitutum est, quo formationi missionariorum et prosecutioni missionum Philippinensis provinciae provideretur. R.mus P. Jandel «Plures missiones exterae (ait anno 1850)[2], ordini nostro commissae, languent et depereunt, et proximum diem videre est in quo nostris e manibus aliquot earum excident ». Lamentatur de paucitate fratrum ad missiones aptorum sed et rigorem admissionis ad tantum munus relevat notans: « Neminem eis (missionibus) applicare intendimus, quin prius per notabile tempus, et in quantum possibile erit, per aliquot annos, in uno perfectae observantiae conventu vocationem suam probatam habuerit, notasque non aequivocas suae constantiae suorumque in omnimodo virtutum genere progressum dederit. Ita simul et prosperitati missionum et aeternae saluti fratrum provisum erit, dum quicumque tanto muneri impares reperientur ab illo subeundo prudenter arcebuntur.. et ii soli remanebunt, quorum virtus probata plenam fiduciam inspirare possit ». Re vera ex medietate saeculi XIX plures missionarii nostri ad exteras plagas transierunt.

Pro iure dein missionario nostro magni faciendum est statutum pro missionibus apud infideles, quod in capitulo generali Abulensi anno 1895 elaboratum et ordinatum est[3], anno 1897 approbationem s. congregationis de Propaganda Fide ad quinquennium obtinuit[4]. Pariter tamquam momenti maioris considerandum est decretum eiusdem congregationis pro negotiis Ritus orientalis sub die 12 septembris 1896 editum, cui missiones nostrae apud orientales subiacent. Demum pro respectu, quem nostri dignitati et officio missionariorum semper gerebant, in legislatione recentiore favores et iura missionariis concessi apponuntur. Ita missionariis apud infideles eorum statio velut conventus formalis pro titulo praedicatoris generalis consideratur[5], et ipsis missionibus repraesentationis facultas in comitiis provincialibus conceditur[6].

Spiritu missionario sub Leone XIII et Pio X ubique vividiore florente fratres Praedicatores zelum suum ampliantes Venlonae in capitulo generali commendarunt, ut unaquaeque provincia missionem habeat[7], et Friburgi optatur maior eruditio missionariorum pro officio suo[8]. Prorsus eximio modo ideam et opus missionariorum pressit r.mus p. Theissling, qui primus magister generalis missiones dominicanas personali accessu visitavit.

Cum Friburgi tum Caurii missionariis, si eis otium suppeteret, exarationes scriptae de moribus populorum infidelium et de regionibus missionandis colendisque suscipiendae commendantur[9]. Relationes de statu singularum missionum in Analectis annuatim publicandae per capitulares generales anni 1916 inculcantur, forsitan ut desiderio Venlonae expresso de ephemeride missionali ordinis habenda[10] morem gererent. Si sorores germanicae missionariae in Africa meridionali ab anno 1911 suam ephemeridem missionariam habuerant, ab anno 1917 provincia Philippinarum folia periodica «Las misiones Dominicanas» fundavit. Quibus alia folia in variis ordinis ditionibus successerunt[11] centraque propagationis operum specialium ad iuvandas precibus et donis missiones constituta sunt. Diversis in terris apud expositiones missionarias patres speciales delegantur ad res missionum dominicanarum monstrandas. Quod etiam in Urbe anno sancto 1925 in magna expositione missionaria et anno 1929 Barcinone factum est, Iosepho Espina commissario negotii nostri praecipue designato[12]. Sub r.mo p. Paredes provincia Canadensis campum infidelium intravit[13].

Circuitum nunc missionum[14] incipientes, in Europa septentrionalis partibus notamus fratres Hollandos annuente s. congregatione de Propaganda Fide conventionem anno 1915 cum vicario apostolico Daniae iniisse, iuxta quam nostris cura animarum in insula Boringia (Bornholm), a plurimis etiam Polonis catholicis inhabitata committitur[15]. Anno autem 1920 die 15 iunii eadem s. congregatio approbavit fundationem missionis provinciae Franciae in Norvecia, ubi vicarius apostolicus iam per decades annorum nostros invitaverat[16]. Ex anno 1921 haec missio in Oslo sedem habet, spatiosiore capella 1926 incoepta[17].

Constantinopoli[18] ineunte saeculo XVIII fratres congregationis Orientis degebant, conventu inter annos 1798/1804 sub hispanicae potestatis protectoratu constituto et deinceps iterum sub gallico. Post persecutiones a Turcis in christianos anno 1828 motas, s. congregatio Propagandae r.mum p. Thomam Ancarani de augendis missionariis in partibus de Pera et Galata monuit. Subsidiis pecuniariis per monarchas Austriae et Sardiniae necnon et per opus propagationis fidei Lugdunensis, ecclesia nova, principibus apostolorum dedicata, anno 1843 constructa est, prope quam domus paroecialis et opera annexa iacent. Ab anno 1857 provincia Pedemontana, quae iam plurimos patres Constantinopolim dederat, missionem Orientis a s. congregatione de Propaganda recepit, Hyacintho Cambiaso[19], viro zelantissimo et sollerti, res dominicanas in illis partibus valde promovente. Patres 1882 apud Jedi Kulé stationem fundarunt aliamque 1887 in Makri Kioi.

Ad missionem quoque Orientis Pedemontanis concredita ecclesia paroecialis et statio Smyrnensis spectat. Domus ordinis saeculo XIX intrante per veteranos provinciae Armeniae tenebatur. Ab anno 1818 Smyrnis patres Constantinopolitani eo venerunt, publicae ecclesiae ius recipientes. Nova ecclesia, praesertim italicae coloniae inserviens anno 1904 concurrente gubernio aedificata est, quam in paroecialem canonice erexit Dominicus Marengo archiepiscopus Smyrnensis. Accessit anno 1927 statio Berytensis[20].

In Mesopotamia[21] fratres Itali missionis labori instabant, donec anno 1815 ex diversitate opinionum cum catholicis indigenis recesserunt. Redeuntes anno 1841 nostrates per p. Merciai, e provincia Romana, qui 1849 episcopus ordinatus et delegatus Mesopotamiae renuntiatus est, et p. Bausa optime repraesentabantur. Propter extensionem missionis (Merciai domum in Mar Yacoub fundaverat) ope-

rarii novi desiderabantur. Et r.mus p. Jandel 1856 provinciam Franciae ad hunc campum adscivit. Fratres celebriores Besson et Galland, praesules Amanton[22], Altmayer, Berré[23], huic missioni praeerant, vel delegati apostolici super Mesopotamiam officium gerentes[24]. Strenue inter Nestorianos, Jacobitas, Kurdos, Turcas operantes stationes Armeniae fundarunt, deinde scholas variae institutionis erexerunt praesertim 1880 Mausiliense seminarium[25] pro clero syro-chaldaeo, quod episcopos 5 et sacerdotes 85 iam protulit, typographiam[26] famosam et alia opificia instaurarunt.

Celeberrimae missiones in terra Tunquini florentes administrativas variationes salutares subierunt. Etenim exeunte saeculo XVIII vicariatus Orientalis Tunquini, qui provinciae Philippinarum concreditus exsistebat, dum vicariatus occidentalis ad Missiones exteras Parisienses pertinebat, annis 1848 et 1883 (seiunctis novis circumscriptionibus) limitatus est.

Die 5 septembris 1848 vicariatus Tunquini centralis formatus est etiamque nostris ad excolendum traditus, et 1883 die 29 maii alius vicariatus de Tunquino septentrionali ex eodem vicariatu orientali dismembratione ortum habuit[27]. Ex die 3 decembris 1924 nominibus novis adhibitis pro Indosinensibus vicariatibus, de cetero vicariatus Tunquini orientalis vicariatus de Haiphong, Tunquini centralis vicariatus de Bui Chu, Tunquini septentrionalis vicariatus de Bac Ninh[28] vocantur.

Saeculo XIX intrante pax et libertas radicationi christiani nominis apud Tunquinenses favebat, ita ut a potestate civili nullo modo impediretur, quominus processiones et sacras functiones publice facerent et verbum Dei publice praedicarent. Nonnisi cum circa annum 1817, e quodam populo 2000 incolarum, petitiones de collectiva conversione ad fidem christianam venerint, sinistris agitationibus ad denuntiationes coram tribunali proregis res et personae ducebantur, sequente quadam persecutione in christianos[29]. Vehementior persecutio saevire coepit ab anno 1825 et sub Minhmenh, qui et Nero Indosinensis vocatur[30] culmen ascendit circa annum 1838 in martyriis I. Delgado sociorumque, dum Hieronymus Hermosilla frustra ad necem tunc quaerebatur[31]. Virtute et intercessione horum testium fidei christiani roborati et aucti sunt. Nam numerus christianorum anno 1852 in missionibus Tunquini ad 233119 ascendit, dum circa annum 1818 erat 170318 et circa 1800 140000[32] animarum. Crudelissima tandem fervebat persecutio sub rege Tu Duc

(1854/62), in qua episcopi quatuor[33] martyrii palma coronati sunt, qui comites habebant exsilii, carceris, suppliciorum sacerdotes et catechistas et christianos 12000, dum alii christiani 150.000 a domibus eiecti, et possessionibus suis privati sunt « quorum viri a quindecim annis et supra omnes gladio necandi, et omnes mulieres una cum infantibus infra annos 15 distribuendae inter infideles proscripti sunt[34].

Tandem occasione pacis inter plenipotentiarios Franco-Hispanos et Annamitas pactae inter cuius conditiones adstipulata est absoluta libertas publice evangelizandi et profitendi religionem christianam, missionariis spes erat, ut Deus messem Tunquinensem non relinqueret, sed benediceret[35]. Anno 1871 et sequentibus Anamitae principes rabiem suam in christianos Tunquini meridionalis et occidentalis ostenderunt. Nostrique metuebant, ne persecutio etiam ad partes suas in Tunquinum protraheretur. In iis tunc temporis proluvies et fames incolas visitabant.

In partibus nostris tunc iam duo collegia theologiae vigebant. Licet pactum anni 1874 libertatem religionis christianae denuo sancivit, ab anno 1882 iterum persecutio in christianos moveri coepit. Nonnisi 1886 perfecto Galliae protectoratu super anamiticas regiones ordo administrationis quoad missiones tranquillus, sed christianis minime semper favorabilis, exordiebatur[36]. Capitulum provinciae Philippinarum 1886[37] de excitatione populorum contra Gallos loquitur, ex qua re detrimentum missiones patiuntur. De cetero per idem capitulum tabula prosperitatis verae missionum Tunquinensium depingitur non verbis, sed exhibitione operum et institutionum. Etenim fuerunt ibidem nostris concrediti 3 vicariatus atque 920 christianitates, 620 sacella, 3 collegia theologiae moralis (1111 stud.), 22 beateria in quibus habitant sorores tertiariae 591 in cura et educatione infantium occupatae. Sacerdotes 86 ex clero indigena saeculari, 20 patres Hispani et 10 patres Tunquinenses praesunt catholicis 207930, adiuti per catechistas 318. Tempore labente Tunquinenses ad habitum amplius non admittebantur, et nonnisi recentissime (1926) iterum de Dominicanis Tunquinensibus congregandis cogitatur.

Die 31 decembris 1913 ex dismembratione vicariatus Tunquini septentrionalis praefectura apostolica de Lang son et Caobang orta est, quam provincia Lugdunensis obtinuit[38]. Imo Gallorum participatio in hoc fertili agro missionum maior adhuc erit[39]. Numerant omnes missiones nostrae Tunquinenses insimul sumptae anno 1928 christianos 458238, patres missionarios 82[40].

In Sinico imperio[41] anno 1811 severiora decreta in christianos lata notantur cum deportationibus hominum et exterminio multarum ecclesiarum. De dominicanis missionibus 1819 legitur adesse conversiones numerosas praecipue in civitate Fogan « non obstante atroci persecutione quae ibi exorta fuit, in qua persecutione licet aliqui fideles si non interius saltem exterius christianam religionem deseruerint, plurimi tamen inventi sunt fideles » etiam coram tyrannis et in tormentis. Anno 1837/38 persecutio in christianos denuo saeviit, ecclesiis combustis per paganos et destructis[42]. Postea tempora securiora advenerunt. Interim (1838) partes de Kiangsi et Chekiang a Fokiensi vicariatu separatae sunt[43], in quo 1866 christiani 30000 adesse indicantur sub Michaele Calderon, e conventu Salmantino, qui ab anno 1835 in Sinis populum suum fidelissime pavit (1849/83)[44]. Si iam « horrescit animus narrare quae quantaque perpessus est in persecutione contra christianam religionem exorta ab anno 1836 » etiam non sufficiunt longae relationes narrare quae ipse durante suo munere longissimo sustinuit, vicit, perfecit.[45]. In sua residentia Ze-Ing ecclesiam 1848 construxit, aliam coadiutor eius in Amoy a fundamentis excitavit[46]. In Foochow 1863 domus S. Infantiae per episcopum auxiliarem Aguilar recepta est[47], anno 1871 in eadem civitate tribus ecclesiis per episcopum Gentili consecratis[48]. Collegia institutionis in hoc vicariatu notantur seminaria maius et minus pro futuris indigenis presbyteris[49], collegia primae et secundae institutionis, typographia et dispensaria, domus S. Infantiae[50].

Per decretum s. congregationis de Propaganda Fide diei 13 decembris 1883 a Fokiensi vicariatu separatae provinciae pariter cum insula Formosa constituerunt vicariatum de Amoy, et Formosa sola ab anno 1913 apostolicam praefecturam insulae Formosae.

Alio decreto diei 27 decembris 1923 a Fokiensi vicariatu segregata sunt territoria de Funing, quod in vicariatum specialem de Funing erectum, et de Tingchow, quod in praefecturam apostolicam de Tingchow formatum est. Idemque decretum iubet vicariatum apostolicum Fukiensem deinceps de Foochow appellandum esse[51]. Dum praefectura de Tingchow provinciae Teutoniae 1913 commissa est, quae in eadem regione sub difficillimis quidem exordiis laborat, vicariatus de Foochow, Amoy, Funing[52] provinciae Philippinarum remanent, adscitis quidem in praefectura civili de Shaowu missionariis societatis Divini Salvatoris et in praefectura de Kien-

ning missionariis provinciae nostrae s. Ioseph. Habet nunc vicariatus de Foochow superficiem aequalem ac Helvetia cum catholicis 29306, vicariatus de Amoy catholicos 13037, praefectura de Tingchow catholicos 2000.

Continua autem aedificatio missionis persecutionibus interrumpebatur. Ita provinciae SS. Rosarii capitulum provinciale 1890 nuntiat[53] in Fokien septentrionalis praefectura de Fogan christianos multa pati, ecclesias incineratas esse, missionarios latere debuisse. Tempore deinde insurrectionis rebellium vulgo Boxers dictorum[54] anno 1900 missionarii nostri molestias graviores non subierunt, cum in urbes Foochow et Hongkong se receperint et christiani mortis pericula effugere valuerint, unica in loco Xanu ecclesia igni tradita.

Tandem commotiones xenophobismi, nationalismi et communismi necnon et dissidentium ducum populorum Sinensium calamitates permagnas missionibus nostris anno 1926/7 intulerunt, patribus aliquibus e stationibus ad fugam coactis[55], missione de Tingchow septembri mense 1929 dire devastata[56].

In insula Formosa[57] fratres Philippinarum sicut in saeculo XVII et in saeculo XVIII, ab anno 1858 laborant. Capitulum provinciale anni 1863 notat, ex quinque annis Formosam partem vicariatus Fokiensis et ab anno 1860 missionem independentem esse. Quae missio 1883 vicariatui de Amoy unita, die 19 iulii 1913 in particularem praefecturam elevata est, exhibetque 1922 catholicos circiter 5000. Religio autem christiana praesertim ex tempore occupationis insulae Formosae per Iaponenses 1895 valde sensim progredi poterat.

Ad imperium Iaponiae accedentes fratres provinciae Philippinarum anno 1904 missionem insulae Shikoku velut praefecturam apostolicam assumpserunt, quae a dioecesi Osakensi divisa est. Lente ibidem religio vera propagatur[58]. Demum 1928 Canadenses missionem Iaponiae in dioecesi Hakodate obtinuerunt[59].

Actio missionaria in Philippinis insulis in prima medietate saeculi ultimi ex raritate fratrum parce sustinebatur. Tamen ex anno 1819 successus fidei in Cagayan nuntiantur, pariter conversiones 400 hominum ex natione gaddanica patium Ituy et Paniqui. Pro anno 1824 animae nostris curis concreditae in Pangasinan, Cagayan, Ituy, Paniqui et in insulis Batanes ad 153254 numerantur, dum tota administratio spiritualis fratrum in paroeciis et missionibus Philippinis anno 1839 comprehendit animas 341562[60], et 1852 circiter 470000[61].

Missiones quondam de Ituy et Paniqui anno 1839 sub nomine Novae Cantabriae (Nueva Vizcaya) constitutae sunt[62], 1856 creata missione «Isabella» complectente Cagayan et partem Novae Cantabriae. Missio provinciae «Montanosa» dictae, 1620 quondam fundata, 1857 et 1887 instaurari coepit. Vergente saeculo XIX fratres potius operibus culturae et educationis in Philippinis se dederunt, quam directo missionum labori[63].

Missio lusitana in insulis Timor et Solor ad historiam transiit ex vocationibus religiosis in Lusitania deficientibus. Insuper dissidia inter Lusitanos albos et nigros, inter Lusitanos et Hollandos, magno detrimento missioni fuerunt. Anno 1804 patres 8 in Timor laborabant. In incendio, quod oppidulum Delli 1818 consumpsit, archivum missionis de Larantuka periit. Dominicani missionarii emorientes saltem id meriti habent, quod murum contra Mahometanismum et protestantismum erexerint, et populos plurimos ad fidem perduxerint, etsi hi saepe non satis religionem plene exprimebant. Post pactum inter Lusitanos et Hollandos 1859 initum missiones dominicanae de Timor et Solor ad societatem Iesu transierunt et ab ea 1913 ad societatem Verbi Divini[64].

Missiones lusitanae ex Asia nos ad Africam orientalem perducunt, ubi in Moçambique tum conventus tum tres stationes de Tete, Sene, Quelimane, anno 1814 inveniuntur, mox desolatae[65].

In Africa meridionali primus episcopus erat Raymundus P. Griffith O. P.[66] anno 1837 renuntiatus vicarius apostolicus Promonturii Bonae Spei, qui ministerium maxime inter albos exercuit, sicut postea Angli ab 1918 in Natal[67].

In territorio Congolensi Belgae ab anno 1911 missionem partium Uelle orientalis prorsus egregiis industriis promovent[68]. Anno 1924 ad vicariatum apostolicum elevata est haec missio atque 1927 nomine vicariatus apostolici de Niangara designata[69].

Americae septentrionalis missiones saeculo XIX etiam a nostris excultae, primum nonnisi ministerium inter colonos dispersos comprehendebant. Postea autem per breve tempus contactus cum Indianis per p. Mazzuchelli in statu Wisconsin notatur[70].

In centralis Americae insula Trinitatis sub archiepiscopatu Portus Hispaniae Lugdunenses primum[71] et postea Hiberni[72] strenue laborarunt, adiuti per Anglos in Grenata[73], sed potius in paroeciis iam catholicis, quam in stationibus vere missionariis. Pater

Ribon (✝ 1926) gentis Hindu in Trinitatis insula apostolus dici meruit[74]. Lugdunenses etiam per spatium breve in insula Cubana ab anno 1899 labori missionis instabant[75], dum Hollandi in apostolico vicariatu de Curaçao ex 1870 et in Portorico ex 1904 florentissima opera perducunt[76].

Provincia Columbiae inter bella civilia missionibus suis prospicere nequivit. Ideo ex anno 1851 scitur in missione dicta Llanos de Casanare sacerdotes 3 adesse et in missione provinciae civilis Venezolanae Barinaz p. Delgado laborare[77]. Postea autem de his missionibus sermo non fit. Aequatoriani fratres a missionandis Indianis de Canelos, defectu sacerdotum 1867 cessabant, sed post annos 20 ab ipsis Indianis quaesiti sunt[78] et ab extraneis provinciis adiuti bonam frugem in praefectura de Canelos et Macas reportarunt[79]. Anno 1926 officium praefecti apostolici a munere provincialis Aequatoriani seiunctum est[80].

Missio de Urubamba, inter Indianos Peruvii anno 1904 ordini attributa est[81], a fratribus Hispanis suscepta. Anno 1900 in praefecturam apostolicam et die 4 iulii 1913 in vicariatum apostolicum[82] ampliata est, ad vetus territorium praefecturae addito districtu a Matre Dei[83].

In partibus Brasilianis provincia Tolosana anno 1882 fertilissimum agrum in vinea Domini cum centro in statu Goyaz elegit[84] sub fundatoribus Aegidio Villanova et Angelo Darganaratz[85]. Indiani zelose per eos fidei adducti sunt[86].

§ 113 Servitia pro Ecclesia.

Summum Pontificem in regenda catholica ecclesia consiliis et actione episcopali vel officiis specialibus fratres Praedicatores adiuvare non desierunt. Cardinales[1] merita haud communia in doctrina, prudentia, zelo ecclesiasticis ostendunt. Tamquam legati, nuntii vel delegati Romani Pontificis delecti sunt cardinalis Frühwirth, ut Linciensem cathedralem consecraret (1924)[2], et cardinalis Boggiani, ut conventui eucharistico Bononiae habito anno 1927 praesideret[3]. De cetero ill.mus Frühwirth inter annos 1907/1915 nuntius (1916 internuntius) apud regem Bavariae[4] fuit, dum 1912 ill.mus Boggiani delegaturam apud Mexicanos tenuit[5]. Atque Angelus H. Scapardini primum internuntius in Peru, Bolivia et Aequatore, postea nuntius in Brasilia erat. In Georgia 1920/22 ill.mus Gabriel

Moriondo missionem suam explevit. In Mesopotamia post Dominicum Berré (✝ 1929) Antoninus Drapier, in Africa meridionali ab anno 1922 ill.mus Bernardus Gijlswijk delegationi apostolicae prospiciunt[6].

In partibus Mesopotamiae et in insula Trinitatis iam per plures decades annorum Dominicani multi sedes archiepiscopales respectivas decorant. Aliisque in regionibus nostri primi praesules constituti sunt, ut in sede Neo Eboracensi Richardus Lucas Concanen (✝ 1810), in Cincinnatensi Eduardus Dominicus Fenwick (✝ 1832), in sede Sancti Francisci Californiae Iosephus S. Alemany (✝ 1888), in vicariatu apostolico Bonae Spei Raymundus Patricius Griffith (✝ 1862). His praesulibus adnumerandi sunt illi praelati. qui apostolicas praefecturas dirigunt, anno 1926 numero quinque[7].

Variis vicibus Papae visitatores apostolicos ex nostris sumpserunt, e. g. Leo XII cum insulam Sardiniae visitationi canonicae subicere vellet archiepiscopo Urbinati addidit p. Thomam Pellini, qui sibi demandatum munus consilio et opera anno 1826 nec sine vitae discrimine adimplevit[8]. Ex iussu Pii IX p. Gaude ad expedienda gravissima negotia Constantinopolim missus fuit[9]. Pius autem X, cum 1907/8 in Italia visitationem apostolicam faciendam constituerat Thomam Boggiani, Lottini, Antoninum Salvati, aliosque ad opus arduum adscivit. Et Gundisalvus Galland delegatus per s. congregationem pro Ecclesia orientali 1919 congregationes monasticas Maronitarum invisere debuit[10], aliis patribus ad consilia de Ecclesia orientali nuper adscitis[11].

In ipsa curia pontificia tria munera a nostratibus per saecula possessa decisione gubernii Napoleonici suppressa, sed ad petitionem r.mi. p. Gaddi per Pium VII ordini plene restituta fuerunt[12]. Maiorum quidem fratrum memoria in recensione magistrorum S. Palatii, commissariorum S. Officii, secretariorum Indicis invenitur. De Mariano Spada Magistro S. Palatii notetur, quod 1870 capta Urbe... e pontificali domo eiectus ad Minervitanum hospitium inter fratres suos mori cupiens, se recepit[13]. Postea magistri S. Palatii non iam apud Quirinalem, sed apud Vaticanum commorationem inveniebant. Officium secretarii Indicis, cui auctoritate atque eruditione ab anno 1900 Thomas Esser prospexit(iuxta normas novas Leonis XIII Indicem pluries edens) suppressum est, cum 1917 attributio rerum Indicis ad congregationem S. Officii decreta fuerit[14].

Consultorum munia saepissime fratres egerunt tum in congregationibus tum in commissionibus. Recolatur institutio commissionis biblicae anno 1902 facta, ad quam pp. Lepidi, Esser, Lagrange, Scheil cooptati sunt[15]. Si sub pontificatu Leonis XIII Zigliara saepius de gravioribus rebus sapientia et consilio decidit, alii fratres[16] studiorum atque experientiae fructus servitio Ecclesiae in congregationibus offerebant. Ex historia concilii Vaticani[17] aliqui ex nostris releventur, qui singulari illi consessui interfuerunt, nempe cardinalis Guidi, archiepiscopi Emmanuel G. Gil et Iosephus S. Alamany, episcopi Alcazar, Gentili, Blanco, Salzano, Ghilardi, Leahy, cuius theologus erat Thomas Burke, De Ferrari, r.mus p. Jandel, qui p. Rouard de Card theologum secum duxit, r.mus p. Spada magister S. Palatii. Inter consultores Martinus Clemente, Marcolinus Chéry, Vincentius Romero emicabant.

§ 114. Merita de societate civili et de artibus.

Merita societati civili per Dominicanos allata spectant imprimis adiumenta consiliorum, quibus respublicae diversarum nationum auctae sunt, e. g. per nuntios ex ordine electos. Insuper per consilia tendentia ad participandum actioni ordinariae civium[1]. Haud parvam considerationem Thomas Salzano nactus est, qui regi Siciliarum Ferdinando II a consiliis erat[2].

Ad defendenda iura patriae validi surrexerunt in Hispania contra invasorem Napoleonem plurimi religiosi velut custodes morum et fidei ac terrae suae gentis[3]. Inter quos eminent pp. Ferragut et Amado[4]. Inter populos Americae latinae sub initio saeculi ultimi plures Dominicani promotores independentiae nationalis claruerunt, in Argentinia Iustus de S. Maria Oro[5], in Columbia Ignatius Mariño[6]. Apud Peruvianos fratres conversus Iosephus B. Alcedo canticum nationale musicis rhythmis donavit[7]. Licet in bellis annorum 1863 (in Statibus foederatis)[8], 1870/71 et 1914/18[9] variae provinciae graviora onera tulerunt, tamen sollerti assistentia spirituali et corporali hominum ac militum saluti proderant. Insuper Dominicani Americae per plures decades annorum capellaniam militum veteranorum Washingtonii exercent[10], dum in exercitu pontificio plures patres ut Antoninus Doussot militibus dictis Zouaves administrandis se devoverunt[11].

Deinde fratres Melitenses in variis epidemiis cholerae praesertim annis 1813 et 1837, Hispani in cholera morbo anno 1855 — stupenda de animo heroico patris Iosephi B. Tapia († 1897) narrantur —, missionarii plures ut illi Galli in insula Trinitatis 1869 in contagione cholerae[12] se immolantes, magna praestiterunt. Nec desunt sacrificia in servitio leprosorum per nostros data. Adhuc 1922 Iulianus Bouche in leprosorum domo de Chacachaca in insula Trinitatis infirmitate hac affectus obiit. Neque praetereundae sunt industriae caritatis et misericordiae, quibus in publicis ecclesiasticis congregationibus infirmi solatio religionis eriguntur. Exempla huiusmodi benedictionum et triduanorum officiorum pro infirmis ex anno 1927 tum Berolini tum Philadelphiae habitorum citentur[13]

In campo sociali, ut vocant, nostri collaborando saepius inveniuntur. Impulsus praecipue ex Belgio ortus est, ubi Ceslaus Rutten[14], Perquy sociique de re curant. Capitulum generale Gandavi 1901 approbavit quod fratres nostri etiam« considerata aetatis nostrae conditione, opem suam non denegent ad promovenda opera pia a catholicis pro spiritualibus et temporalibus proximorum necessitatibus sublevandis instituta»[15]. Cautum est, ne ii, qui his officiis tenentur, administrationem rerum temporalium susciperent, nisi dependenter a voluntate superiorum. Sequentia capitula generalia hanc industriam approbarunt et determinarunt[16].

Praeter Belgas pro opere sociali conspicuos se monstrabant in Hispania pp. Gerard et Gafo[17], in Argentina Thomas Valles[18], in Helvetia I. Räber, in Cecoslovachia G. Schlössinger, in Hibernia A. Crofts[19]. Patres Lugdunenses ab initio egregie iuvarunt Iulium Schuh eiusque operam apostolicam de Iesu operario[20], cui nunc Dalmatius Saget praefectus est.

Bonarum artium cultus pro societatis civilis decore et pro hominibus ad ideas religiosas elevandis inserviens apud Dominicanos etiam recentioris aetatis viguit. Poetae carminibus nomen sibi vindicarunt Archangelus Calich, Thomas Martinelli, Ludovicus Ballester[21], Ioachim Fonseca[22], Benedictus Isambart[23], Henricus Gaffney[24].

In re architectonica pp. Danzas, Pavoni, Biolley monumenta digna erexerunt vel perfecerunt in conventibus delineandis Lugdunensi, Cracoviensi, Bruxellensi[25]. Atque his annis p. Arellano novas aedes universitatis Manilensis et delineavit ac construxit. P. Pavoni etiam in arte sculptoria excellebat, ut reliquiarium cinguli

S. Thomae Cheriis custoditum demonstrat. Pictores ordo noster protulit pp. Pavoni, Hyacinthum Besson, Antoninum Danzas († 1888)[26], Raymundum Biolley († 1914) Raymundum Minochi[27], Secundinum Martin[28], Iosephum Lantoja, Guillelmum Butler Argentinensem[29], Henricum Mideros, Raymundum van Bergen. In provincia Teutoniae post Lucam Knackfuss et Angelicum Beckert[30] plures iuvenes arte delineandi et pingendi praestant, Benedicto Momme Nissen[31] e pictore in scriptorem potius mutato. Musicos modos coluerunt Vincentius Di Marzo († c. 1886)[32] et d'Alessandro in compositionibus liberioribus, Martinus Minne et Bruno Hespers aliique in gregorianis melodiis[33].

IV. Evolutio ditionum ordinis. Statistica generalis.

Diminutio numeri religiosorum inchoante saeculo XIX progrediebatur. Dum ita in regionibus plurimis ruinae praevaluerunt super vitam, in aliis locis nova prorsus vita feliciter secuta est. In annis 50 ultime elapsis activitates variarum provinciarum speciales magis magisque explicatae patuerunt.

§ 115. Provinciae linguarum hispanicae et lusitanae.

Fratres in *Hispania*[1] tranquilli vivebant usque dum anno 1808 invasio Napoleonica pacem nationis et religionis gravissime turbaret plurimis religiosis etiam nostris in Gallia exsulibus usque ad annum 1814. Nonnisi cum reditu Ferdinandi VII 1814 libertas et iustitia rediisse videbantur, sed non durabant. Etenim rex suasoribus liberalismo imbutis assensum praebens, decretum die 22 octobris 1820 edidit, quo conventus religiosi quicumque numerum fratrum 25 non excedentes suppressi declarantur. Aliud decretum anni 1821 ex beneplacito regio religiosos iurisdictioni episcoporum subicere voluit, sed effectus non secutus est. Mortuo 1833 Ferdinando rege, cum exoriretur bellum civile, 1834 specialis commissio reformandorum regularium a civili potestate constituta fuit, 1835 religiosi a iugo regulae exempti asseruntur, tandem senatus Hispaniae 1837 suppressis ordinibus, bona regularium fisco adiecit.

Ex conventibus nostris 221 unus remansit Occaniensis, anno 1830 velut seminarium pro missionibus exteris fundatus. Plurimi

Hispani — praecipue Aragoniae filii — in Italiam venerunt, ubi saepe regentium munera assumebant, alii in missiones emigrarunt.

Facto S. Sedem inter et Hispaniam anno 1851 concordato, religiosis libere incedere licebat. Favore communitatis Occaniensis prosecuti, varii patres restaurationem ordinis in *Hispania*[2] suscepe-runt, condentes anno 1860 apud Corias conventum et collegium.

Componebant communitatem illam hanc septem religiosi per r.mum p. Orge delecti pp. Vincentius Romero, Iosephus M. Larroca, Alvarus Flores, Thomas Lusiac, Bruno Anduj, Vincentius Izquierdo, conversus Franciscus Sales. Larroca prior conventus novi electus est, numero fratrum crescente ad 39 et anno 1875 ad 70. Ex commotione politica quidem anni 1869 fratres haud parum vexabantur, sed ex concessione libertatis cultus, quae locum habuit anno eodem pax rediit.

Zelantissimi Andreae M. Solla industria collegium secundae institutionis Iriae Flaviae (Padron) 1870 reassumitur et 1876 in conventum erigitur. Tertius conventus demum in oppido Las Caldas de Besay (prov. de Santander), ubi ex ipso tempore exclaustrationis aliqui patres communi vita iuncti remanserant, agente p. Martino Clemente vicario provinciae anno 1879 restauratur, provinciam Hispaniae r.mo p. Iosepho Sanvito die 27 ianuarii 1879 restitutam declarante.

Iuvenili vigore provincia Hispanica reflorescens domus conventusque fundavit vel restituit, ut 1880 Salmanticensem, Vergarensem, ubi scholae tum litterarum tum scientiarum clericalium diversis cursibus instituebantur, erectis domibus 1886 Matritensi, 1887 Astaeregiae (Jerez), 1889 Barcinonensi, 1890 Gaditana, 1893 Vallisoletana, 1895 Ovetensi et aliis. Habita litterarum ratione, quas Stephanus Sacrest provincialis Hispanus et vicarius provinciae Baeticae ad r.mum p. Frühwirth dederat, magister ordinis die 15 decembris 1897 provinciam *Baeticam* restauravit praeficiendo eidem priorem provincialem Paulinum Alvarez tunc rectorem regii seminarii et collegii Vergarae. Numerabat provincia Baetica[3] tempore suae restitutionis fratres 54. Campus laboris provinciae ad regiones meridionalis Hispaniae et ad plagas Americae centralis extenditur. Ita patres opitulati sunt fratribus Mexicanis, Angelopolitanis, magnificam sedem in Cubae principali civitate Habana Vedado obtinuerunt, insuper in republica Venezolana apud Caracas zelantes in vinea Domini laborant.

Anno 1877 Caesaraugustanus archiepiscopus cardinalis Gil seminarium de Belchite nostratibus obtulit, ut domus pro instauranda provincia *Aragoniae*[4] esset. At post quadriennium reliquerunt patres hanc stationem, cum maiorem spem et necessitatem continere fundationem Barcinonensem iudicaverint, ubi 1889 pedem fixerunt. Sequebantur domus de Cervera 1897 postea relicta, 1908 Manacorensis in insulis Balearibus, dum 1912 conventus Valentinus e possesione provinciae Philippinarum ad Aragoniam transiit. R.mus p. Cormier die 12 octobris 1912 provinciam Aragoniae ad dignitatem et locum pristinum evexit, eidem provincialem assignans Secundinum Martinez, ex regimine conventus studiorum Salmantini evocatum.

Recenter ex Aragonia fratres in Chilenam terram ministerii exercendi causa secesserunt. Provincia *Canariarum* post exstinctionem anno 1836 restaurata non est. Res gestae apostolicae provinciae *SS. Rosarii Philippinarum*[6] in saeculo XIX particularem magnitudinem induunt tribus ex causis, nempe tum propter radicationem provinciae in Hispania (Occaniae 1830 aliisque in locis saeculo XX ineunte) ortam ex nova methodo adsciscendi sobolem, tum propter gloriam quam ex martyrio tot praeconum Christi apud Tunquinenses missionariorum obtinuit, tum propter consequentias in eam ex mutatione politici dominii Philippinarum ex 1898/99 fluentes.

Agitationibus provinciae Americae latinae[7] saeculo ultimo durante quatiebantur, quarum ortus in pugnis de independentia politica Americae latinae quaeri debet. Loco provincialium plus minusve ordinarii locorum subintrant, nexus provinciarum cum ditione hispanica ex aversione quadam mox cessavit et commercium cum supremo capite ordinis ex lege civili interdictum est.

Provinciae *S. Crucis* Indiarum[8], legibus iniquis 1834 suppressae, nomen patres 6 anno 1861 in insula Cubana protrahebant, postea Gallis et Hispanis in dicta insula laborantibus. Ad tempus, ineunte hoc saeculo, fratres Hispani in ditionibus S. Salvatoris, Orae divitis, Guatemalae degentes congregationem *Americae centralis* seu Guatemalensis formarunt.

In Mexicana terra provincia *S. Iacobi*[9] ex decretis tum Ferdinandi VII tum novae reipublicae declinavit, anno 1859 ultimo capitulo celebrato. Tandem ipsa et provinciae *Angelopolitana*[10], Oaxacensis[11], *S. Vincentii* de Chiappa sive de Guatemala[12], *S. Ioseph* de Chiappa[13], quae 1810 erecta fuerat, propter leges « reformato-

rias » vel exclaustrationis post 1861 dissolutae sunt, patribus hispanis plures residentias ditionum desolatarum recipientibus.

Dum proscriptio vitae regularis in republica *Columbiana*[14] ab anno 1821 eversionem conventuum causaverat, persecutio religiosa anno 1861 fratres penitus dispersit. Instaurato tandem 1881 conventu Chiquinquirensi, ab anno 1894 promovente Cypriano Saenz de Buruaga res dominicana ita restaurata est, ut 1910 restituta sit provincia S. Antonini, cui ex anno 1916 loco Novi Regni nomen de Columbia. Fratres *Aequatoriani*[15], ereptis a gubernio conventibus pluribus, vel ipsam missionem de Baños perdiderunt. Si Thomas M. Larco († 1868) socius magistri generalis strenue Quitenses iuvit. idem alii Itali et Belgae pro ditione Quitensi et missione Indorum mox fecerunt, r.mo p. Sanvito celebrandum capitulum provinciale ordinante, quod 1876 locum habuit. Provincia *Peruviana*[16] 1828 quodammodo disgregata est, in parte superiore Peruvii, quae rempublicam Boliviae formavit, religiosis universis pulsis. Cum Vincentius Nardini, e provincia Romana, apud Peruvianos vitam dominicanam satis roboravisset, provincia S. Ioannis Baptistae 1897 erigi de novo potuit.

Maiorem fortunam quam in Peruvio r.mus p. Jandel in *Chile*[17] per suas directiones habuit. Hic iam ab anno 1818 gubernium bona religiosis abstulit. Tempore mutato domus novitiatus perfectae observantiae instauratus est, Iosepho Benitez († 1866), Hispano, provinciali pro Chile constituto. In capitulo generali 1868 reditus provinciae huius ad ordinis unitatem notatur. Domum recollectionis[18] in finibus provinciae Chilenae Iustus de Oro aliquando debitis munitus approbationibus in congregationem observantiae ampliare cupivit, sed electus provincialis *Bonaerensis*[19] intentiones suas in Chilena parte derelinquere coactus est. Dum anno 1808 unus conventus Bonaerensis fratres 70 nutrivit, regimen civile ingratum hanc aliasque domos regulares clausit, provincia S. Augustini anno 1839 membris 55 constante. P. Pierson visitator anno 1860 ab ordinis magistro missus pluresque Galli exinde res Bonaerenses augere valuerunt.

Fratres nostri in ditionibus *Portugalliae* exsistentes, formabant provinciam Portugalliae et congregationem Portugalliae, quae quidem congregatio nonnisi anno 1809 a dependentia provinciae liberata est. Utriusque administrationis districtus in bello civili anni 1833, cum Dominus Michael a suo fratre Petro e throno eiceretur

atque infensus religiosis animus dominaretur, dilabi coepit. Insuper accessit decretum regium Petri IV datum die 28 maii 1834, quo ordines supprimerentur.

Degebant tunc in provinciae[20] conventibus 20 fratres 237, non consideratis illis, qui apud suos iam commorabantur. Anno 1909 Dominicus Fructuoso et dein 1927 vicaria specialis apud Luso pro re dominicana in Lusitania promovenda constituebantur. Congregatio missionaria S. Dominici *Indiarum orientalium*[21], emorientibus per stationes dispersas patribus, versus 1840 finem attigit.

In Brasiliae capitali urbe anno 1929 ecclesia et vicaria ordinis fundata est, quam patres Brasiliani et Tolosani regunt.

o§ 116. Provinciae Italiae, Melitae, Dalmatiae. Congregatio Ragusina et Orientis.

Itali fratres angustiati ob politicas militaresque agitationes, quae annum 1800 praecedebant et sequebantur, maiorem calamitatem experiebantur, cum Napoleo Gallorum imperator simul Italiae rex factus, Pio VII Papa capto, «anno 1809 fere ab omnibus regularium domibus in Urbe incolas ademit; tunc Minervitanae aedes atque S. Sabinae militibus traduntur ». Demum decreto anni 1810 religiosi ordines in Italia suppressi declarantur « Prostrato Napoleone anno 1814 per foederatos principes Europae partes imperii independentes reviviscunt inque singulis Italiae regionibus regulares denuo admittuntur. Sed ex quingentis circiter domibus, quas fratres Praedicatores sub fine saeculi XVIII in Italia inhabitaverant, vix octoginta in saeculo XIX» restitutae sunt, labefactata insuper disciplina sive ex vocationibus rarioribus sive ex conditionibus non propitiis. Novae suppressiones pro Pedemontana ditione 1855, pro toto Italiae regno 1866, pro partibus quondam Status pontificii 1873[1] instabant.

Attamen sollertia ac magnanimitate fratrum necnon adiumento benefactorum varii conventus denuo ordini accesserunt. Et provinciae generatim ineunte saeculo XIX ultimisque annis maxime vires resumunt.

Provincia *S. Petri Martyris*[2] 1802 suppressa est, at 1814 sub commissario p. Sapelli restituta, reviviscentibus conventibus Taurinensi 1822, Boschensi 1825 ceterisque, primo capitulo 1834 habito

in quo zelantissimus p. Ghilardi provincialis electus fuit. Ex decreto pontificio 1836 conventus Liguriae et decreto s. congregationis de Propaganda 1857 stationes ultramarinae Orientis et curae monasterii Therae siti huic provinciae adduntur. Iteratis suppressionibus superatis, Cherii cursus novitiatus 1871 et studiorum 1891 restaurari potuerunt ad formandos religiosos observantia atque actione notos.

Lombardiae provincia[3] sub exercitibus gallicis, caesareis, russicis intrante saeculo ingemuit, donec res regularium ex parte gubernii et Ecclesiae componerentur. Comprehendebat provincia 1826 in statu pontificio conventus 13, inter quos illum S. Sabinae de Urbe (— 1827), hospitia 4, inter quae S. Nicolai Praefectorum de Urbe, domus paroeciales 2, addita cura monasterii SS. Dominici et Xysti de Urbe (— 1911), suosque dixit alios conventus extra statum pontificium. Abreptis conventibus Liguriae ex una parte restaurataque vita dominicana Venetiis e superstitibus congregationis Salomoniae et provinciae Venetiarum Lombardia 1844 possedit conventus domusque 22, fratres 139. Illustria nomina patrum etiam ultimi saeculi huius ditionis meritum pandunt, quae nunc praecipue ex schola apostolica, Ferrariae fundata et ab 1919 Bergomi florente, continuo augetur[4]. Congregatio *S. Marci*[5] per leges Leopoldinas adhuc coarctata suppressiones non effugit. Anno autem 1830 possedit domos S. Marci, S. Miniati, Senensem, Liburnensem, Narniensem, Romanam SS. Iulittae et Quirici, Romanam S. Rosarii in monte Mario fratresque aluit 36. Erepto conventu S. Marci 1866, in domibus 4 patres 23 vivebant. Tandem 1879 Ambrosius Luddi vicarius generalis Faesulanum conventum redemit novitiatu, studentatu et ad tempus parvo collegio ibi collocatis. 1916 (1922) Senensis ecclesia S. Dominici ordini restituta est, 1925 domo prope ecclesiam S. Agnetis Montis Politiani acquisita.

Provincia *Romana*[6] inter 1810/14 disgregata, sacras aedes Minervitanas a mense ianuario 1848 ad diem 3 augusti 1855 secundum delineamenta et partim directionem Hieronymi Bianchedi (┼ 1850), conversi e Lombardia, restaurandas curavit sequentibus solemniis Pio IX interveniente et cultu Catheriniano auctis. Fuerunt haec consolatio ob angustias provinciae annis 1848/49 Romae, 1860 Perusii, 1873 iterum Romae inflictas. Ex recentiore incremento notetur aedificatio ecclesiae SS. Rosarii Romae in Pratis 1916 peractae, reassumptio conventus Aretini cum parvo collegio 1920 et Pisto-

riensis 1927 cum cursu philosophico. Propter vicinitatem Urbis *conventus Viterbiensis*[7] nominetur, qui in saeculo ultimo magnitudinem pro repristinanda vita dominicana diversissimarum partium obtinuit, et a r.mo p. Frühwirth redemptus Tolosanis saeculo XX ineunte refugium praebuit, dum sub r.mo p. Theissling velut centralis novitiatus Italorum inserviebat.

In partibus Neapolitanis Ferdinandus I rebus civilibus pacatis 1819[8] ex 250 domos 25 admisit, inter quas Caietanam, quo iam 1806 fratres regressi erant. Aloysius Vincentius Cassitto († 1822) in restitutionis opere excelluit. Decreto anni 1824 a s. congregatione Episcoporum et Regularium dato provincia Regni restituta est, complectens conventus cunctos instauratos instaurandosque in statibus Utriusque Siciliae, numerans illo anno conventus 22 et fratres 296. Sub sequelis dirae suppressionis anno 1866 factae haud leviter patiens animum provincia Regni ultimis annis resumpsit. Dum provinciam *Apuliae*[9], 1833 ortam, r.mus p. Jandel Neapolitanae 1853 adunavit, Calabriae ditio[10] sub benedictione S. Dominici de Suriano vegetior in initio procedens, aegre suppressionem 1866 tulit, patre Iosepho Travia 1878 superstites quosdam provinciae filios ad ecclesiam domumque Rhegii Iulii evocante.

Sub *Trinacriae*[11] regimine et Siculi et Melitenses saeculo XIX exordiente degebant, donec 1838 pontificia auctoritate loco unius provinciae quatuor creatae sunt, nempe una insulae Melitae, et tres Siciliae iuxta trium vallium nomina vocatae vallis Mazzariae (cum conventu Panormitano aliisque 22), vallis Neti (cum conventibus Cataniensi, Netensi aliisque 16), vallis Nemorum (cum conventibus Messanensi, Tauromoeniensi aliisque 16)[12]. Trinam hanc administrationem r.mus p. Jandel 1853 sustulit. Cum ex anno 1866 nomen dominicanum in Sicilia fere deletum videretur, Angelus Mingrino et maxime Vincentius Lombardo, ab anno 1897 vicarius generalis, rem denuo excitaverunt. Visis conventibus Iacae Regalis, Panormi, Catanae florentibus r.mus p. Cormier 1906 provinciam restituit, p. Lombardo provinciali nominato.

Provincia *Sardiniae*[13], «cum perturbationibus sub fine saeculi decimi octavi fuisset immunis, ad suppressionem anno 1867 per neogubernium Italum factam perduravit».

Ei erant anno 1800 conventus vel domus in his locis vulgari nomine citatis: Cagliari, Iglesias (studium), Oristano (S. Martini et S. Dominici), Sassari, Serramanna, Busequi. Iam 1832 ex apostoli-

ca auctoritate variae ex residentiis in manus aliarum religionum transierunt. 1887/89 Henricus Chatillon vicarius et visitator insulae erat, patribus ad paroeciam Calaritanam se recipientibus.

Melitensium[14] fratrum administrativa independentia ex tempore occupationis insulae per Anglos repetitur. Cum commissarius regius Carolus Cameron nullam religiosam auctoritatem quam localem, S. Sedis, vel generalium ordinum in Melitenses agnosceret, r.mus p. Gaddi Vincentium Portelli vicarium generalem super Melitam constituit. Contra quam dispositionem provincialis Trinacriae egit, at idem p. Gaddi auctoritate apostolica roboratus patres Melitenses in congregationem S. Pii V anno 1816 formavit a Siculis distinctam. Instante Vincentio D. Speranza, vicario generali congregationis, provincia Melitensis 1838 erecta est, primo provinciali Silvestro Pace electo. Ad tres conventus pristinos anno 1920 vicaria, prope ecclesiam Iesu Nazareni 1893 fundatam, addita est.

Congregatio *Orientis*[15] Constantinopoli et Smyrnis domos habuit. Qua ultima incendio consumpta, novum hospitium per p. Marchi exstructum est eodem anno, quo Pedemontani advenerunt. Constantinopoli ex monito s. c. de Propaganda anni 1829 patres numero aucti inveniuntur, ecclesia nova deinde erecta et anno 1843 finita. Cum religiosi circa medium saeculum XIX Constantinopoli degentes fere omnes coronae Sardiniae subditi essent, 1857 haec congregatio in missionem provinciae S. Petri Martyris mutata est.

In litore croatico ad mare Adriaticum sub initio saeculi XIX exsistebant et provincia *Dalmatiae*[16] et congregatio *Ragusina*[17] ex Gallorum occupatione Illyriae tempora iniqua subreptionemque conventuum sustinentes. Si provincia anno 1829 nonnisi membra 21 aluit, sub r.mis pp. Jandel et Larroca vita regularis efflorescere coepit, cuius continuationem inter alios Iordanus Zaninović auxit. Sub provincialatu Angelici Orlandini in centro culturali croatico Zagabriae conventus fundari potuit. Congregatio Ragusina, auditis votis pp. Jabalot et Olivieri, a s. congregatione Episcoporum et Regularium 1835 suppressa est, fratribus domibusque provinciae Dalmatiae incorporatis.

§ 117. Provinciae Galliae, Belgii, Canadensis.

Impulsu, elevatione atque expansionis celeritate restauratio ordinis per regiones Galliae sese propagantis excellit, exiens a pa-

tre Lacordaire, velut clarissimae memoriae duce, exemplari, symbolo. Ad exstinctionem regularium sub procellis saeculi XVIII vergentis pauci Galli fratres supervixerunt, dum tempore Napoleonico et iterum anno 1834 et sequentibus tempore rebellionis hispanicae Hispani plures per vias Galliae incedere visi sunt. Summus dein atque apostolicus praedicator anno 1839 pater fratrum Praedicatorum in patria a providentia divina constituitur, filiis mox multiplicibus donatus. Collaborationem fraternam in praedicando et in edendis monumentis scientificis omnes in Gallis admirantur. Cum enim sive de collegio studiorum biblicorum sive de ephemeridibus ageretur, Gallia dominiciana tota uniebatur. Praedicatores potissimum nomen in patria sua atque apud exteros sibi compararunt, doctores etiam non solum in studiis suis et in institutis catholicis sed etiam Friburgi, Romae, Hierosolymis claruerunt et clarescunt. Non obstantibus gravissimis repressionibus vitae regularis sub persecutionibus et expulsionibus 1880 et 1903 edictis, vires novas provinciae hae resumentes intrepide ideam ordinis servant.

Post triumphos eloquentiae sacrae Parisiis reportatos sacerdos Lacordaire, in alma Urbe commorans 1836/37, ad instaurandos fratres Praedicatores in Gallia[1] motum se sensit, de quibus restituendis mox scripsit socios primos conquirens. Die 9 aprilis 1839 per r.mum p. Ancarani Romae apud Minervam Henricus Dominicus Lacordaire habitu donatus, in coenobio Quercensi novitiatum sub p. Palmeggiani († 1863) peregit, professione 12 aprilis 1840 emissa. Fratres Galli tum Viterbii, tum Romae apud S. Sabinam et S. Clementem tum Boschi educabantur, p. Lacordaire 1841 Parisiis in veste dominicana praedicante. 1843 Nancei cum p. Jandel superiore, mox Calesii cum novitiatu proprio, Flaviniaci, 1849 Parisiis conventibus erectis et die 15 septembris 1850 provincia *Franciae* restaurata, 1852 capitulum primum provinciale habitum est. Tunc p. Lacordaire scriptum de restaurando ordine in christianitate publici iuris fecit. 1850/54 et 1858/61 summus hic vir († 21 novembris 1861 in Sorèze) provinciam Franciae moderabatur, quae praesertim in septentrionali Gallia domibus atque actione magnificis roborata est.

Durante Antonini Danzas provincialatu super Franciam domus *Lugdunensis*[2] 1855 recepta et ab initio ad exprimendam vitam totam observantiarum destinata est, p. Besson visitatore in coetu Flaviniacensi anni 1858 secessionem Lugdunensium a Francia pro-

bante. Restaurata 1862 provincia Occitana sive Lugdunensis Immaculatae Conceptionis conventus, ut Pictaviensem, Andegavensem, (1883) Ryckholtensem assumpsit, vitalitatem conspicuam ostendens.

Multiplicatis in meridie Galliae quoque (Tolosae 1853, S. Maximini 1855, Massiliae 1857, Burdigalae 1859) conventibus, restitutio provinciae Tolosanae[3] die 4 iulii 1865 evenit, provinciali Hyacintho Cormier nominato, qui ter ditionem suam saluberrime rexit, dum Stephanus Gallais († 1907) vel quater Tolosanis praefuit.

Congregatio *S. Dominici* pro educanda iuventute[4] opus patris Lacordaire habetur, qui non solum 1838 iam de collegiis iuvenum instituendis cogitavit, sed etiam tertiarios quosdam novitiatum Flaviniaci 1852/53 peragentes colligere potuit, qui collegia Ullinense (Oullins) et Soriciense (Sorèze) sequentiaque ut Arcoleense, Arcaxonense regerent, domo Cubliviensi (Coublevis) tironibus destinata. R.mi pp. Jandel, Frühwirth, Theissling roborationem huius coetus promovebant, qui 1923 ad primum ordinem transiit.

In *Belgio*[5] post creationem regni anno 1830 dominicani sodales superstites numero octo praeeuntibus Pio Braeckman et Francisco Ackerman († 1847) vitam regularem Gandavi 1835 repristinarunt, ab Hollandis patribus adiuti. Postquam apostolicus visitator Corcellis Belgarum unionem cum Hollandis reiecit, congregatio belgica fundationibus Thenensi (Thienen) 1843 et Lovaniensi 1852 aucta provinciae Franciae uniebatur. Studio generali Lovanii restabilito assumptoque conventu Sartensi magister generalis anno 1860 provinciam S. Rosae erexit sub regimine p. Rouard de Card locatam, rebus exinde florentibus.

In regione *Canadensi*[6] fratres, per Ioannem C. Prince episcopum S. Hyacinthi ab anno 1853 expetiti, 1873 pro festo SS. Rosarii paroeciam et domum in dicta civitate receperunt. Fundationibus in Lewiston 1881, Ottawa 1884, Fall River 1886 peractis, origines rei Canadensis huiusque promotoris p. Chocarne finem habent. Successerunt conventus Montisregalis 1901, Quebecensis 1906, constitutio studii proprii et mox generalis, imo post visitationem r.mi p. Desqueyrous erectio congregationis S. Dominici et die 1 octobris 1911 provinciae, cui Henricus Hage velut provincialis praefectus est, causa dominicana sub provincialibus Rouleau et Langlais prospere procedente.

§ 118. Provinciae Neerlandiae, Europae centralis et orientalis.

Anno 1800 vicarius generalis pro *Germaniae inferioris*[1] Belgis et Hollandis Pius van der Perre constitutus est, qui 1803 a Pio VII facultates particulares pro ditione sua obtinuit. Dissolutis enim conventibus in Belgio patres in stationibus Neerlandiae dispersi ius eligendi provincialem receperunt. Insuper provinciali potestas fiebat, novitios ad habitum admittendi, eisque locum novitiatus e. g. domum paroecialem assignandi, novitios super vestem ordinis portandam superque observantias dispensandi. His indultis nixi, patres missionarii Hollandi anno 1804 Amstelodami provincialem elegerunt ipsum van der Perre, mox p. Mierts vicario provinciali pro dispersis fratribus Flandriae, Brabantiae, Borussiae renuntiato. Anno 1824 schola theologica in Huisseling erecta et postea in locum Uden translata est. Unione administrativa cum Belgis anno 1835 Gandae congregatis ex sententia visitatoris apostolici in Belgio frustrata, provincialis p. Raken novitiatum in Uden constituit. Studium transitorie in conventu Noviomagensi, 1843 reassumpto, deinde in Langenboom 1852, denique una cum novitiatu ab anno 1858 in Huissen sedem habuit. Abhinc evolutio continua successit in patria et missionibus, 1877 collegio iuvenum S. Dominici Neomagi fundato, quod 1927 ad Neerbosch translatum est. Provincialis p. Theissling (1896/1908) conventum Zwollensem pro facultate philosophica anno 1901 a fundamentis excitavit.

Dominicana res in Germania, post habita capitula Teutoniae[2] et Germaniae superioris[3] atque congregationis Silesiae 1809[4], dissoluta est. R.mus p. Jandel 1852 pro restauranda provincia *Teutoniae* voluit, ut Hollandi studium generale Coloniae aperirent quod et Germanis utilitati esset, cum archiepiscopus ecclesiam domumque praesentaret, at non successit. Frustraque evenit fundatio Materbornensis 1854. Colloquiis cum p. Lacordaire institutis, comes de Robiano sub nomine Ceslai 1856 Flaviniaci indutus, 1859 de domo in Düsseldorf tractare coepit, quae 1860 recepta est et effloruit, 1866 domo Berolinensi instaurata. In lite «Kulturkampf» dicta Hollandi Germanos hospitio donarunt, concedentes fundationem collegii Albertini (1878) primum in Huissen et mox Venlonae stabiliti. Conventibus e. g. in Düsseldorf 1887, Berlin 1889, Köln 1898, Vechta 1902, Worms 1925, Walberberg 1926 reassumptis vel fundatis, provincia ab anno 1897 restituta solide laborat et crescit.

Dum in provincia *Austriaco-Hungarica*[5] conventus Viennensis (1839/40 restauratus) florebat, Graecensis 1832 mediante episcopo Iesuitis addictus est. Anno 1857 redditus, sub potestatem magistri ordinis venit velut domus observantiae a Thoma Anselmi regenda. Postquam r.mus p. Jandel domos Austriae et Hungariae cum provincia Bohemiae primum univit, mox mutato consilio die 20 aprilis 1857 provinciam Imperii condidit, partes Austriae, Hungariae, Bohemiae, Moraviae continentem. Praeter novitiatum Graecensem alii interdum Sopronii, Litomerici, Olomucii inveniebantur. Provincia Austriaco-Hungarica ex 1905 denuo nuncupata, post annum 1918 ex resecatis conventibus vulnera gravia patitur. Hungari 1903 Budapestini fundationem excitarunt.

Provincia *Bohemiae*[6] anno 1850 membra 42 numerabat in 4 conventibus Bohemiae et 3 Moraviae distributa. Cessata unione cum Austriacis Hungarisve sub provincia Imperii anno 1905, Venceslaus Bubenik provincialem Bohemiae egit. Ex 1924 super conventus Egrensem, Austensem, Cassoviensem vices magistri ordinis ipse provincialis tenet.

Poloniae provinciae tempore Napoleonico satis tranquille superato ex repercussione russica in insurrectiones Poloniae duas 1830 et 1863 occubuerunt, salvis Polonis sub Habsburgica ditione et Gidlae ac Petropoli viventibus. Provincia *Poloniae*[7] per primam saeculi XIX medietatem regulariter comitia sua celebrabat, 1857 comprehendens fratres 178, 1876 vero 58. Soluta provincia de conventu Cracoviensi r.mus p. Jandel providit, dum in conventu Gidlensi etiam patres plures superstites congregabantur. Conventus *Poznaniensis*[8] sub Borussia exsistens anno 1830 interiit posteaque incredibili cura patris Lentz commissarii Germaniae pro brevi spatio 1863/73 restauratus.

Provincia *Russiae*[9] quae 1818 religiosos 410 et 1830 532 aluit, anno 1839 cum provincia Lithuaniae uniri debuit, numeratis in hac unita administratione anno 1844 fratribus 533, anno vero 1861 nonnisi 215.

Lithuaniae[10] fratres, conspicuo numero pollentes, post suppressam societatem Iesu collegia decem litterarum superioris gradus dirigebant, ministerio paroeciarum minime neglecto. In civitatibus Rigensi et Vilnensi nostrates lithuanice, polonice, germanice praedicabant. Conventui Petropoliensi catholicisque ibi degentibus ex 1815 prospexerunt. At res adversae non defuerunt. Anno 1839,

utique tristissimo ob multorum sacerdotum transitum ad schisma, Lithuani cum Russis in compaginem unam redacti sunt, novitiatuum fine edicto, confiscatione bonorum anno 1842 sequente. Reliquiae provinciae Petropolim secesserunt, ubi 8 patres anno 1884 commorabantur de 24000 catholicis maxime Polonis, Germanis, Gallis curam gerentes. Ioannes Schumpp (✝ 1920) in Russia summo fructu (1880/1914) laborans, ad erigendam domum apud Welehrad frustra quidem anhelavit, in qua vocationes slavae extra Russiam pro vita dominicana formarentur. Exorto bello communitas Petropoliensis disgregata est.

Provincia in partibus *Galiciae* Austriacae[11] contenta sedem centralem antiquae provinciae Russiae nempe Leopoliensem retinuit novitiatu in Podkamien vigente, imo emortua provincia in Russia alba haec provincia Galiciae sub nomine provinciae S. Hyacinthi in Russia apparere interdum cupivit, ea quoque ratione, quia patres missionibus inter Polonos et Ruthenos instabant. Cracoviensis conventus 1865 provinciae huic accessit, licet sub aliquibus reservationibus, 1911 cessatis. Sub p. Thir vicario et provinciali inter 1890-1905 res meliorari coeperunt, provincia «S. Hyacinthi de Polonia» in territorio reipublicae polonicae 1927 instaurata.

§ 119. Provinciae linguae anglicae.

Dum provinciae *Angliae*[1] patres plures ex anno 1804 in Americam secesserunt, remanentes pro instructione iuvenum in collegio apud Carshalton locato et in stationibus ministerii magis magisque decrescebant, ipsa schola de Carshalton 1810 clausa. At non desperans Albertus Hill adulescentulos in statione sua de Leeds erudivit qui in spem provinciae succrescerent. Patribus sex provincia constabat, cum anno 1850 proprietas Vodocastrensis (Woodchester) recepta et 1854 in conventum formalem erecta centrum provinciae factum est, quod exinde Londinum (1867 communitate stabilita et 1883 ecclesia cultui tradita) transiit. Interea stationibus multiplicatis prioratus de Hawkesyard 1894 fundatus sedes scholae apostolicae et studii evasit, ampliatis provinciae conditionibus collegio theologiae Oxonii recenter aperto.

Hiberni[2] fratres numero 50 in conventibus 13 anno 1828 exsistebant, non computatis domibus extra patriam. Modus eligendi provincialem iuxta ordinem nationum vi inhibitionis capituli genera-

lis 1838 Hibernis sublatus est. Tempore dein r.mi p. Jandel observantiae restauratione feliciter introducta Hiberni idoneos operarios evangelicos in agro dominico apud concives, in America, in Australia se praebuerunt. Domos Ulyssiponensem et Romanam S. Clementis (cum interruptione annorum 1816/24) Hiberni tenere pergebant, conventu S. Michaelis Tiburtino 1818 acquisito.

Plantatio ordinis in Statibus foederatis Americae[3] ex ovo in hac epocha incepit et in ingentem extensionem crevit. Duo cives ex genere catholico colonorum in Maryland orti, primi notantur, qui habitum ordinis et quidem in provincia Angliae annis 1773, resp. 1788 susceperunt unus Ioannes Ceslaus Fenwick († 1816), alius praecedentis nepos Eduardus Dominicus Fenwick († 1832). Qui ultimus tum ut desiderium suum condendi vitam dominicianam et praedicationem in patria expleret, tum provinciae Angliae succurreret, stipe catholicorum Anglorum accepta, interventu ac roboratione ex parte patris Concanen, socii vicarii ordinis confirmatus, iter ad Americae plagas p. Angier comite arripiens mense novembri 1804 ad portum Norfolk, Status Virginiae, appulit.

Ioannes Carroll, archiepiscopus Baltimorensis vineam Kentuckianam patri Fenwick excolendam designavit. Postquam s. c. de Propaganda erigendam provinciam dominicanam ordinario Baltimorensi concessisset, r.mus p. Gaddi di 22 iunii 1805 p. Fenwick superiorem patribus dedit. 1806 loco S. Rosae in Springfield Kentuckiae recepto collegioque pro iuvenibus mox instituto, Samuel Thomas Wilson mense octobri 1807 provincialis provinciae *S. Ioseph* constitutus est. Novitii sex primi in America formati, 1810 professionem emiserunt. Post obitum p. Wilson episcopus Cincinnatensis Fenwick ad tempus cum praesulatu gubernium fratrum velut superior univit. In variis regionibus ordo iam dispersus fundationes praecipuas Washingtonensem 1852, Neo Eboracensem 1867, Washingtonensem collegii studiorum 1903, recentes Chicagoenses sub Raymundo Meagher optime merito provinciali peregit. Praeter cultum studiorum et unionum religiosarum potentissimarum directionem, quibus gloriari valent, patres provinciae S. Ioseph ministerio paroeciali missionibusque inter fideles et Sinenses efficaciter instant. Dismembratio huius ditionis in aliam provinciam S. Ludovici Bertrandi, de qua 1824 res erat, vel S. Caroli, quam p. Mazzuchelli missionarius in Wisconsin intenderat, effecta non est.

In *California*[4], cuius septentrionalis pars 1848 confoederationi Americanae accessit, medio saeculo XIX Ignatius Ramirez de Arellano et Petrus A. Anderson laborabant, quorum ille ab episcopo Montisregis Iosepho S. Alemany secretarius adscitus est, hic vero provinciae S. Ioseph filius ut fundator congregationis Californiae haberi potest. Post fundatam 1849 domum ecclesiamque in civitate SS. Sacramenti et patre Anderson defuncto, Franciscus S. Vilarrasa († 1888) vicarius et commissarius Californiae institutus, domos ut Beniciensem et (1883) S. Francisci erexit, pluribus exteris patribus ampliandae rei concurrentibus. Ultimus congregationis vicarius primusque provincialis provinciae SS. Nominis, die 9 novembris 1912 constitutae, Arthurus Laurentius McMahon exstitit.

§ 120. Statistica generalis.

Universalioris momenti compilationes statisticam generalem spectantes debentur curae tum Alberti Guglielmotti[1], qui elenchum generalem reliquit tum Ignatii Lamatsch[2], qui haud spernendas notitias de provinciis quasi omnibus collegit. Demum iussu r.mi p. Sanvito 1876 catalogus generalis prodiit singulas ditiones singularumque fratrum nomina atque aetatem exprimens. Denuo 1910 et 1921 huiusmodi generales catalogi luci dati sunt. Ex anno 1885 ad annum 1916 in actis capitulorum generalium series contributionum inseri solebant, quas varii districtus administrationis ordinis magistro generali solvere debent. Pro re statistica tales elenchi non ultimae utilitatis sunt. Incrementum informationis statisticae per editores Analectorum ordinis promoveri coepit[3].

Tabulae synopticae sequentes ita delineantur, ut computus pro anno 1844, maxime ex Guglielmotti et Lamatsch aut directe ex fontibus, summae autem annorum 1876, 1910, 1921 ex catalogis generalibus, numeri vero pro initiis annorum 1926 et 1930 ex Analectis excerpantur. Quoad synopses annorum 1844 meminisse iuvat, earum exactitudinem minorem esse illa tabularum recentium, praecipue quia p. Guglielmotti aliquas terras vel non notavit vel cum aliis confudit.

Status annis 1844, 1876, 1910.

		1844	1876	1910
Prov.	Hispaniae	300	273	397
»	Tolosana	—	121	148
»	Franciae	13	183	230
»	Lombardiae	139	120	65
»	Romana	299	156	92
»	Regni	144	158	60
»	Austr.-Hung. (1856-1905 «Imp.»)	40	119	147
»	Teutoniae	—	19	210
»	Angliae	6	68	120
»	Poloniae	176	58	—
»	Aragoniae	250	155	—
»	Bohemiae (1856-1905 sub «Imp.»)	46	—	84
»	Dalmatiae	25	44	64
»	Trinacriae { 1. V. Mazariae	287	224	104
	2. V. Nemorum	126		
	3. V. Neti	132		
»	Portugalliae	80	—	—
»	Baetica	180	97	121
»	Germaniae Inferioris	63	122	299
»	Apuliae	**72**	—	—
»	Calabriae	**116**	**35**	—
»	S. Crucis Ind. Occid.	48	—	—
»	Hiberniae	70	94	179
»	S. Iacobi de Mexico	67	18	—
»	S. Ioannis de Perù	100	17	67
»	S. Ioseph de Chiapa	22	6	—
»	S. Vincentii de Guatemala	—	13	—
»	S. Antonini de Columbia	63	38	85
»	Lugdunensis	—	125	181
»	S. Catharinae de Quito	116	58	88
»	S. Laurentii de Chile	108	96	76
»	SS. Rosarii Philippinarum	318	316	545
»	S. Hippolyti de Oaxaca	47	10	—
»	S. Petri M. in Pedemontio	164	97	116

» S. Hyacinthi in Russia	533	7	—
» Angelopolitana	56	27	—
» S. Rosae in Belgio	—	79	164
» S. Dominici Sardiniae	67	13	—
» S. Augustini Bonaerensis	55	59	94
» Galiciae et Lodomiriae	61	92	136
» S. Ioseph in Stat. Foed. Am. Sept.	36	80	202
» Melitensis	56	56	72
» S. Dominici Canadensis	—	—	107
Congr. S. Marci de Florentia	51	22	59
» SS. Nominis Stat. Foed. Am. Sept.	—	29	45
» Orientis	9	—	—
» S. Dominici pro educ. iuvent.	—	—	78
Conv. Diversi	—	37	16
Filii Ordinis	—	—	21
	4562	3341	4472

Status annis ultimis	1921	1926	1930
Provincia Hispaniae	375	400	414
» Tolosana	130	160	149
» Franciae	267	312	338
» Lombardiae	54	70	98
» Romana	85	114	126
» Regni	46	48	70
» Austriaco-Hungarica	147	155	134
» Teutoniae	227	304	337
» Angliae	136	151	(163)
» Aragoniae	73	102	126
» Bohemiae	82	96	102
» Dalmatiae	63	64	71
» Trinacriae	55	62	73
» Baetica	124	153	153
» Germaniae inferioris	360	390	415
» Hiberniae	172	183	205

»	S. Ioannis Bapt. de Perù	55	52	55
»	S. Antonini de Columbia	85	92	118
»	Lugdunensis	158	180	218
»	S. Catharinae de Quito	95	104	113
»	S. Laurentii de Chile	54	54	(56)
»	SS. Rosarii Philippinarum	525	596	585
»	S. Petri M. in Pedemontio	133	156	206
»	S. Rosae in Belgio	219	252	306
»	Bonaerensis	80	71	(65)
»	S. Hyacinthi in Galicia (Pol.)	119	149	167
»	S. Ioseph in America Sept.	322	449	(535)
»	Melitensis	77	91	99
»	S. Dominici in Canada	144	194	251
»	SS. Nominis Iesu Am. Sept.	65	72	(81)
Congregatio	S. Marci de Florentia	59	68	82
»	S. Dominici pro educ. iuv.	58	66	83
Conventus	Recollectionis de Chile	26	21	(23)
Filii	R.mi Magistri Ordinis	49	56	(56)
		4724	5342	supra 6000

Numeri in unciniis positi statum pro 1929 indicant.

HISTORIA SORORUM ORDINIS PRAEDICATORUM.

§ 121. Origo et constitutiones sororum.

Ex apostolica actione Didaci episcopi Oxomensis et S. Dominici fundatio domus feminis religiose suscipiendis destinatae explicatur. Sicut feminae Albigenses multae sua industria et puellarum educatione sectam suam vehementer iuvabant, ita Didacus iuxta copiam praedicantium sacerdotum intendebat agmen auxilians feminarum. Pro fundatione Didacus oppidulum Prulianum respexit, cuius ecclesiam Fulco episcopus Tolosanus ei cessit. Mense decembri 1206 Didacus et Dominicus cum aliis stationem missionariam Prulianam receperunt. S. Dominicus feminas ad id aptas pro opere missionario adscire sategit. Eis Didacus priorissam praeposuit. Dum sacerdotes praedicatores e statione Pruliana ad officia sua implenda circuibant, feminae puellis fide et moribus bonis imbuendis dedicabantur[1]. Anno 1211 communitas Pruliana sororibus 19 constabat, quae annis sequentibus in temporalibus quoque bene processit. Zelo apostolico S. Dominici, Tolosae prope portam Arnaldi Bernardi erectum et per biennium 1215/17 gubernatum fuit coenobium sororum paenitentium[2].

Membra domus Prulianae sub nomine sororum vel dominarum in documentis coaevis veniunt[3]. Quaenam regula apud sorores Prulianas in initio servata fuerit, facile dici nequit. Tamen cum anno 1217 sorores in manus S. Dominici professionem iuxta regulam S. Augustini emiserint, probabile videtur, ab exordio eam regulam in monasterio Pruliano viguisse. Super hanc regulam S. Dominicus constitutiones adiecit, quoad fieri potuit constitutionibus fratrum conformes. Quod ex litteris Innocentii IV die 18 augusti 1248 datis innotescit[4]. Fundato monasterio S. Sixti de Urbe regula et constitutiones sororum Prulianarum a Romanis sororibus assumptae sunt. Ex tunc sorores ordinis Praedicatorum secundum «regulam S. Sixti de Urbe» saepe[5] et generaliter deinde iuxta regulam B. Augustini et sub cura ordinis fratrum Praedicatorum Deo servire in documentis indicantur[6]. Sorores monasterii Tössensis prope Turegum secundum regulam B. Augustini et constitutiones sororum S. Marci in Argentina vixisse vere apparent[7], quia ex monasterio illo Argentinensi formam suam religiosam sumpserunt.

Huius regulae sororum habentur duae redactiones. Prima[8] transumpta continetur in bulla Nicolai IV 1291, cum hic sororibus de paenitentia S. Mariae Magdalenae in Alemannia regulam sororum S. Sixti in forma Gregorii IX 1232 pro ipsis sororibus S. Mariae Magdalenae confectam approbet. Quae redactio regulae S. Sixti de Urbe certe ad tenorem constitutionum partim redit, quas S. Dominicus sororibus Prulianis dederat. Secunda redactio[9] aut magistrum Ioannem aut Humbertum auctorem habet. Conformitas constitutionum sororum cum constitutionibus fratrum facienda erat. Humbertus in circulari littera 1259 novas constitutiones sororum promulgavit[10].

Constitutiones secundae redactionis constant prologo et capitulis 31[11]. Monasteria curae ordinis Praedicatorum subiecta, paupertatem collectivam non profitebantur[12]. Ipse S. Dominicus sollicite fundationes Prulianam et Matritensem facultatibus vivendi instrui voluit. Pro monasterio S. Sixti hanc curam ipse gerere non debuit cum alias provisum fuerit[13]. Cum requisita dotatione monasteriorum statuta de certo numero sororum, «ultra quem non recipiatur aliqua in sororem» cohaerent[14].

Ex decreto Tridentino episcopis in monasteria suarum dioecesium, etsi ordinibus fratrum commissa, ius inspectionis ac vigilantiae tributum est. Pius V. quidem severe clausurae custodiam praecepit, dum Clemens VIII disciplinam monasteriorum ampliore modo auxit[15]. Nonnisi probante s. congregatione Episcoporum et Regularium ad monasteria puellae educandae recipi possunt[16], super quas Benedictus XIII ordinis iurisditionem extendit[17].

Die 15 novembris 1929 decreto s. congregationis de Religiosis approbatio constitutionum sororum noviter revisarum ac compilatarum concessa est.

§ 122. Habitudo sororum ad fratres Praedicatores.

Sicut monasterium Prulianum habuit rectorem specialem, qui ex ordine Praedicatorum sumptus curam de spiritualibus et temporalibus sororum gereret ita et alia monasteria — ut illa S. Sixti de Urbe, Matritense, Bononiense S. Agnetis — a fratribus adiuta fuerunt. Multiplicatis vero monasteriis, ex cura monialium pondus permagnum ordini impositum est et vox murmurantium fratrum contra curam monasteriorum currebat[1]. At anno 1226 antiquiora

monasteria sororum nostrarum ab Apostolica Sede privilegia obtinuerunt, vi quorum sub ordinis cura remanerent nec sub constitutione caderent. Sed etiam s. Raymundus successum habuit impetrando Sanctae Sedis declarationem quod «recipere curam monialium seu religiosarum quarumlibet, nulli fratrum vestrorum de cetero per litteras apostolicas teneantur, nisi expresse de hac indulgentia fecerint mentionem». Insuper Ioannes Teutonicus aliam bullam die 3 septembris 1243 sollicitavit, qua restrictio curae monialium per fratrem exercendae confirmaretur[2].

Sed mox monasterium S. Sixti de Urbe et alia plurima a Sancta Sede ad ordinem Praedicatorum incorporationem petierunt et obtinuerunt. Iterumque Ioannes Teutonicus, roboratus mente capituli generalis, apud Papam institit contra curam monialium per fratres faciendam et die 26 septembris 1252 bullam recepit, qua ordo exoneraretur a tali cura, exceptis monasteriis S. Sixti et Pruliano[3]. Sub Humberto autem sorores incorporationem et pastorationem per fratres denuo quaesierunt[4]. Tandem sub Ioanne de Vercellis per bullam Clementis IV diei 6 februarii 1267 causa sororum definita fuit[5]. Fratres Praedicatores monasteria gubernanda suscipiunt, ita ut superiores maiores ordinis habeant per se vel per deputatos ius visitandi, corrigendi, reformandi, instituendi priorissas, confessiones audiendi, sacramenta administrandi, sed fratres non obligantur ad residentiam habitualem prope monasteria sed possunt repraesentari per deputatos capellanos idoneos. De cetero sorores ordinis Praedicatorum privilegiis fratrum iure fruebantur[6].

Ordinationes demum pro monialibus magistri Sixti Fabri et Clementis VIII in capitulis generalibus annorum 1583 et 1601 publicantur[7]. Magna semper ordinis cura de clausura monasteriorum de puellis apud ea educandis, de eorum fidelitate tempore novatorum religiosorum saeculi XVI fuit[8]. Saepius autem ordo curae monasteriorum variis ex causis renuntiare debebat[9].

§ 123. Historia sororum a saeculo XIII ad saeculum XV.

Deo disponente ramus femineus in opere S. Dominici id meriti et momenti accepit, ut tum salutis animarum ad altiorem gradum perfectionis vocatarum profectum iuvaret tum apostolatui fratrum per preces et paenitentias sororum apud misericordiam caelestem intercedendo opitularetur[1].

Donum sapientissimae directionis animarum, quo S. Dominicus excellebat, perspectum habens Honorius III S. Dominico imposuit, ut reformationem monialium Urbis, de qua iam Innocentius III cogitaverat, perficeret. Canonicis Gilbertinis primum exsecutio huius reformationis et cura monasterii novi formandi apud S. Sixtum commissa erat. His autem deficientibus Papa mense decembri 1219 S. Dominico monasterium S. Sixti donavit. Receptis ibi praecipue abbatissa et monialibus coenobii S. Mariae trans Tiberim ac sororibus S. Bibianae advenientibusque quibusdam sororibus Prulianis monasterium S. Sixti definitive 1221 constitutum fuit[2]. 1218 S. Dominicus in Hispaniam pergens, Matriti monasterium monialium fundaverat. Sorores durante primo anno nondum insimul, sed per domos dispersae habitabant, mox autem generosae oblationes eis vitam regularem perfectam donarunt. Monialibus Matritensibus S. Dominicus directorem dedit[3]. Bononiam 1219 adveniens Dominicus, votum religionis Dianae e stirpe nobili Andaló, quae fratribus devotione et muneribus serviebat, coram fratribus et quibusdam dominabus recepit. Res huius voti ignoratur, at sub B. Iordano monasterium Bononiense monialium duce Diana eiusque ope institutum est, die 29 iunii 1223 assignata pro emissione professionis, quae in manus ipsius magistri ordinis adstantibus fratribus S. Nicolai facta est. Pro roborando monasterio S. Agnetis Bononiensis B. Iordanus sorores Prulianas accersire intendit. Quibus non venientibus sorores quatuor S. Sixti de Urbe, inter quas B. Caecilia, Bononiam contenderunt[4].

Defuncto S. Dominico, in paeninsula iberica Zamorae monasterium 1238, Calarogae prope locum nativitatis S. Dominici munificentia Alfonsi X sapientis 1266 aliud erectum est, sequentibus aliis e. g. Caesaraugustae (1300), Sancti Iacobi (1310) Segobiae (1350), Barcinone (1351), Toleti (1364), Hispali (1409), Vallisoleti (1491)[5]. In Lusitania rex Ioannes I Ulyssipone monasterium sororibus 1391 aedificavit[6]. Clarissimum sanctitatis exemplar B. Ioanna, filia regis Alfonsi V, in monasterio Averii per annos 18 praebuit († 1490)[7].

In Gallia per coenobium Prulianum filiationes fundatae sunt, e. g. Massiliae (1286), Montispessulani 1295, Avenione 1347[8]. Monasteria de Montargis, Rotomagense, Insulense, Metense, Pissiacense specialia quaedam habent. Ex devotione, quam domina Amicia de Ioviniaco (Joigny) filia comitis Simonis Montisfortis erga S. Dominicum gerebat, habitu ordinis induto « fecit domum sororum de

Montargis et bene dotavit»[9]. 1279 in eodem asceterio Blancaflora, filia Friderici II, monialis mortua est. Postea e domo regia Luxemburgensi dominae ad Montargis se receperunt. Sorores Rotomagenses e coetu immuratarum per Ludovicum IX 1269 in monasterio sunt congregatae. Margarita comitissa Flandriae, postquam soror eius Ioanna fratribus Praedicatoribus favorem Insulis praestitit, moniales introduxit et dotavit, ecclesia monasterii Insulensis, vulgo Labietta (Abiette), 1279 consecrata. 1339 post incendium novas aedes receperunt. Ex domo Abiette plures fundationes prodierunt, munificentia et membris Luxemburgensium ornatae [10]. In regio monasterio Pissiaci S. Ludovico dicato, cuius fundatio per regem Philippum Pulchrum 1298 ordini oblata est, anno 1350 ex sororibus 150 principissae 4 exsistebant[11]. Metenses sorores anno 1279 ordini Praedicatorum incorporatae sunt[12]. Monasterium venerabile 1280 Lausannae fundatum et 1316 Staviacum translatum est, a S. Vincentio Ferrer 1404 visitatum[13].

In Italia[14] celebria exstiterunt monasteria: illud Montispolitiani 1306 a S. Agnete erectum, 1435 autem fratribus traditum[15], et Bononiense S. Mariae Magdalenae in Valdepetra, in quo B. Imelda vitam innocentiae atque amoris duxit[16], Pisanum S. Dominici, quod, 1385 per Claram Gambacorta aedificatum, cellula reformationis observantiae factum est. Prima priorissa Philippa de Albizo, altera B. Clara et tertia B. Maria Mancini († 1431) erat. Tempore B. Clarae moniales 40 conventum formabant. Ope Ioannis Dominici Venetiis die 29 iunii 1395 monasterium Corporis Christi mox 70 monialibus observantibus constans fundatum est[18], sequentibus conventibus observantiae sororum S. Mariae Magdalenae Albae Pompeiae in Insubria pietate B. Margaritae a Sabaudia († 1464), S. Petri Martyris Florentiae cura magistri Leonardi Dati, S. Catharinae de Casserio Panormi[19]. Venerabilis Antonia Brixiensis († 1507) coenobium Ferrariense reformando, plures ibi religiosas sorores educavit[20]. Monasterium S. Lucae Florentinum de tertia regula ad secundam tempore Savonarolae transiit, numero sororum 30 ad 100 aucto, candidatis plusquam 200 repulsis [21].

Ultra mare Adriaticum monasteria Vesprimense et Insulae leporum Danubii in provincia Hungariae[22] monialibus eximiis inclaruerunt. Ex eis B. Margarita[23], Belae IV et reginae Mariae Constantinopolitanae filia, et venerabilis Helena[24] maxime innotuerunt. Nonae et Iadrae monasteria exsistebant[25]. In provincia Poloniae

monasterium Ratiborense virtutibus ven. Euphemiae († 1359), sororis ducis Leszek, illustrabatur[26], dum in Dania[27] monasterium S. Agnetis de Roskilde, 1263 ab Agnete († 1284) filia regis Erici Plovpenning incoeptum, postmodum ab ea derelictum, gratiis magnorum auctum semper conspicuum fuit, monasterio de Gaunö 1400 per moniales de Roskilde recepto.

In Suecia exeunte saeculo XIII monasteria de Skeninge auctore Petro de Dacia per pias feminas duce venerabili Ingride († 1282), de Calmar per Margaritam Göstafsdotter auspicata sunt. In Finlandiae loco Reso de conventu sororum saeculo XV agebatur, sed frustra. Provincia Angliae unicum monasterium Dartfordense ex saeculo XIV habuit. Numerus sororum ad 40 ascendit. Famosissima inter moniales Dartfordenses Brigitta Plantagenet, minima natu filia Eduardi IV, habetur, quae 1517, annos agens 37, obiit. De vita sororum Dartfordensium pauca sciuntur. De donis autem quae illis offerebantur, cultum ac dignitatem illius tranquillitatis monasticae eruere licet[28].

Per terras germanicas[29], res sororum expansionem, splendorem fructusque summe admirandos tulit. Sicut illae regiones sororibus observantiae sanctitate singulariter radiantibus abundabant, ita et memoriis de sororum vita et factis digne conscriptis excellunt. In monasteriis Germaniae velut in hortis conclusis sororum virtuosissimarum exempla religionis et cuiuscumque gradus perfectionis spiritualis exprimebantur.

Monasteria e. g. Ratisbonense, Tössense, Adelhusanum Friburgi, Altenoense, Argentinense S. Marci, Colmariense Unterlinden, Kirchbergense, Weiler prope Esslingen, Mariental prope Luxemburgum, Vallis S. Catharinae prope Diessenhofen, Augustanum, Medinganum ante annum 1250 condita sunt, sequentibus circa 1252 monasterio Paradisi prope Susatum, et illis S. Catharinae Norimbergensi, Oetenbacensi et aliquibus Argentinensibus. Anno 1289 provincialis Teutoniae Hermannus de Minda 7 monasteria Argentinae exsistentia indicat, in quibus erigendis prior Argentinensis Waltherus zelator pietatis certe partes suas habuit. Ex his fundationibus centra rei mysticae, litteris descriptae, praesertim sunt Adelhausen, Töss, Unterlinden, Diessenhofen, Oetenbach, Weiler, Engeltal, Medingen. Chronicae Adelhusana ab Anna de Munzingen c. 1318, illa Colmariensis per Catharinam de Geberschweier c. 1330/40, Tössensis per Elisabetham Stagl B. Henrici Susonis disci-

pulam, illa de Diessenhofen tempore Ekkeharti consignatae sunt. De mirabilibus Christina Ebner et Adelheide Langmann notitiae Vallis Angelorum referunt, dum de Margarita Ebner (†1351) revelationes ei attributae narrant[30]. Expositiones de sororum vita orationis et virtutibus solidae iucundaeque dissertationes exstant[31].

Componebantur conventus sororum mulieribus ex omni coetu populorum. Sicut Yolanda de Vianden neptis Balduini imperatoris Constantinopolitani monasterium in Mariental[32], ita soror Rodulfi de Habsburg regis Romanorum gynaecaeum Adelhusanum[33], principissa Elisabeth de Hungaria asceterium Tössense suis virtutibus illustrarunt. Multae nobiles dominae cum feminis conditionis civilis simplicioris in religione sancte se sociarunt. Numerus inhabitantium iuxta facultates domorum taxabatur. Monasterium Oetenbach dum e domo antiquiore ad novum se contulit, 120 sorores habuit, numero sororum per provincialem Eginonem de Stoffen (1305/08) ad 60 statuto[34].

Fieri non potuit, quin inter tot coetus monialium animae sanctiores cultum non obtinuerint. Ab illa Benedicta da Mühlhausen sorore Columbariensi[35] series veneranda incipit, quae maxime in monasterio de Töss summas elevationes vidit. Beatificandis Bollandiam sorores 21 attribuunt[36]. Praecipua laude atque cultu Elisabeth († 1336)[37], filia Andreae III regis Hungariae, et Mechtildis de Stans apud Tössenses honorabantur. In Valle Angelorum[38] enituerunt Christina Ebner († 1356), coram qua Carolus IV imperator cum principibus Ecclesiae saeculique genuflexus benedictionem efflagitavit, et Adelheidis Langmann († 1375), dum Margarita Ebner eclesiasticum cultum speciosissimum a morte per saecula rite obtinuit[39].

Reformationem Raymundianam ad plura monasteria extendi in animo erat, in quibus observantia non satis florebat. Exemplum novi conventus sororum prope Schönensteinbach in dioecesi Basileensi 1397 formati curis Conradi de Prussia citandum est. In quo patres probati in confessionarios instituti sunt, qui et vigilabant, ne sorores in exterioribus disciplinis extenuarentur, sed potius divinae caritati, operum fidelitati, sororum dilectioni, obedientiae, humilitati insisterent. Fama sororum vocationes varias ad Schönensteinbach attraxit, ex quo monasterio reformatio ad alia monasteria e. g. ad Columbariense, Basileense ad Lapides, Wormatiense, Norimbergense (1428 non absque specialibus difficultatibus)

propagata est, sicut et fundationes de Wijk et Westeroye Hollandiae exierunt. Sorores reformatae velut exempla et specula strictioris observantiae Claram de Osteren priorissam primam de Schönensteinbach (✝ 1447), Catharinam Langmentelin, monialem Augustanam in initio et postea Schönensteinbacensem, Agnetem Vigin priorissam S. Nicolai Argentinensis (✝ 1461) ante oculos habere poterant[40].

§ 124. Historia sororum a saeculo XVI ad saeculum XX.

Hispaniae partes uberrime monasteria augeri viderunt. Calarogense asceterium Philippi II munificentia 1594 adiutum ecclesiam suam sic ampliare potuit, ut et domum natalem S. Dominici comprehenderet[1]. De cetero nova super 50 monasteria a saeculo XVI in Hispaniarum regionibus exstruebantur, e quibus Vallisoletana S. Philippi et Portae caeli, Manresanum, Albarracinense, Valentinum (Bethlehem), Maioricense in Balearibus releventur[2]. Monasterium Trium regum Hispalense Franciscam Dorotheam (✝ 1623)[3] fundatricem habet. In monasterio Barcinonensi D. N. de Angelis Hippolyta de Rocaberti (✝ 1624) virtutibus et litteris enituit[4], dum monasterium Calataiubi S. Ioseph a matre Bernardina de Palafox erectum Thomasam Moret sanctitate nutrivit[5]. De cetero ingens, ardens lucida et spectabilissima series sororum illa coenobia incolebat. Zelantissimae Christi sponsae Maria a S. Augustino, Maria Baptista, Martina ab Angelis de Arilla aliaeque exstiterunt[6]. Agnes a Spiritu sancto ex nobili familia Cisternes de Oblites (✝ 1668) « arctioris observantiae fecunda parens, profecto non sine peculiari dei manu humanis destituta opibus, mundo obsistente, tres ordinis fundavit conventus Corporis Christi de Villareal, Corporis Christi de Caraxent et S. Mariae de Bethlehem » Valentinum[7], Eleonora de Christo (✝ 1690), cuius vitam B. Franciscus de Posadas descripsit[8], Hieronyma de Aybar, Geltrudes de Oloriz[9], Maria Maldonado Suarez, Ioanna de S. Vincentio, Barbara Turado (✝ 1872)[10], cum aliis triumphale agmen monialium hispanicarum complent. Nec minor ardor sanctitatis apud moniales Lusitaniae tum Ulyssipone, tum in asceteriis Eborensi, de Santarem, de Montemor apparebat et splendebat[11].

In Americana insula Cubae 1688 monasterium sororum[12] erectum est, postquam Mexicana terra plures domus monialium iam nu-

meravit, nempe Angelopolitanam S. Catharinae 1568, Oaxacensem 1576, Guadalajarensem S. Mariae 1588, Mexicanam 1593, Morelianensem 1595, Angelopolitanam S. Agnetis 1626, Guadalajarensem de Iesu et Maria 1722, Angelopolitanam S. Rosae 1740, Patzcuarensem 1747[13]. In Columbia monasterium S. Agnetis Sanctae Fidei de Bogotà 1636[14], in Aequatoriano districtu Quitense asceterium[15] 1594 oriebantur dum in terra Peruvii Arequipense coenobium (1579) per ven. Annam ab Angelis de Monteagudo (✝ 1686)[16] illustratum est, et monasteria Cuzcense (1601) et Limanum S. Rosae (1624) florebant[17], in Argentinia 1613 Cordubae et 1745 Bonis Auris exsurgentibus gynaecaeis[18]. Apud Chilenos autem ven. Maria Mercedes a Purificatione Valdes (✝ 1793) haud parvam famam nanciscebatur[19].

In Statibus foederatis moniales primum in civitate Newark 1880 sedem habuerunt, quae alias fundationes deinde, e. g. in Bronx N. J., Cincinnati exsequebantur. Nominentur quoque monasteria S. Francisci et Los Angeles, Springfield, Albany[20]. Canadense territorium moniales Prulianae anno 1925 penetrarunt in Berthierville habitantes[21].

Inter Galliarum sororum domus monasterium Prulianum saeculo XVI internas difficultates haud parvas superavit, quae partim ex immixtione regis, qui priorissas nominabat, oriebantur[22]. Priorissa Eleonora de Borbona nequidem ordinis Praedicatorum exsistebat[23]. Sub matre Ioanna de Lotharingia 1614 reformatio observantiae tandem introducebatur[24]. In procellis revolutionis dissolutum monasterium Prulianum anno 1880 resumptum est[25]. Pissiaci etiam institutio regia priorissarum ordini molestias irrogavit[26]. Monasterium 1562 per Calvinistas et 1594 per ipsos catholicos multa patiebatur[27]. Admonuit generale capitulum 1574 « sanctimoniales regii monasterii Pissiacensis et alias Attrebatensis, Insulensis, Burgelensis, Bruxellensis et Valencenensis ut et firma constantia, qua hactenus fide et religione perseverasse accepimus usque ad mortem perseverent et quousque a sponso suo ad nuptias fuerint evocatae »[28]. Si monasteria Insulense et Metense (in quo « Imelda Lotharingiae » saeculo XVI vixit)[29], satis florebant, illud Avenionense sub Anna de Montclar 1592, observantiam accipiens notam Iulianam Morell (✝ 1653), Hispaniae filiam, nutrivit[30].

In prima medietate saeculi XVII fundabantur monasteria de Langeac, ubi venerabilis Agnes de Iesu sancte 1634 obiit[31], Parisiensia S. Thomae[32] et S. Crucis, de Nay. E monasterio S. Thomae Pa-

risiensi Angelica Maille - Desmarais et Anna Aubert martyres[33] 1794 erant. Dum Parisiense monasterium S. Crucis post varias translationes nunc Kain apud Belgas moram fixit[34], monasterium de Nay — 1807 reassumptum — mater aliorum monasteriorum factum est[35]. Ullinense asceterium (Oullins) 1868 erectum, sorores quasdam ad Columbariensem domum instaurandam misit[36].

In Belgio sub r.mo p. Cormier sorores de Dinando moniales declaratae sunt[37].

In provincia Daciae sorores tempore scissionis fidei in monasteriis emoriebantur[38] .Dartfordense monasterium Angliae 1534 instigante Ioanne Hilsey O.P. suprematiam regiam Henrici VIII agnoscebat. Cum 1539 conventus supprimeretur, sorores numero 26 pensione donatae sunt. Sub regina Maria communitas restaurata, at sub Elisabeth, quae frustra suprematiae subscriptionem a monialibus expetierat, 1559 dissoluta est. Sorores ad Vallem Angelorum prope Brugas refugium invenerunt[39]. Hac domo exstincta, per cardinalem Howard 1661 in Vilvorde Flandriae nova fundatio promota est, in qua eius consobrina iuvenili aetate, caelo matura, sancte excessit.

Dein 1669/1794 anglicae sorores Bruxellis residebant, sub Iosephinismo educationem puellarum suscipientes. Per rebelles anno 1794 pulsae, patrium solum penetrarunt, ubi tandem 1866 monasterium de Carisbrooke collocarunt quod exinde — praeter Oxoniense (1922) — tenent[40]. In Scotia unicum monasterium Edinburgi saeculo XVI fundatum, pro cuius favore Leo X indulgentiam 1518 concessit[41], in calamitate reformationis interiit. In Hibernia monasterium primum 1647 Galviae (Galway) erectum est, cuius sorores sub Cromwelliana tyrannide 1652 in Hispaniam profectae ibique defunctae sunt, duabus exceptis, quae Galviam reversae sunt. Pluries adhuc sorores dispersae sunt, a prima medietate saeculi XVII in patrio monasterio quiete viventes. 1717 monasterium Dublinense, quod 1819 Cabrae constitutum est, 1722 Pontanense (Drogheda), 1725 Waterfordiense fundabantur. E monasterio Cabrae aliae domus et congregationes in Hibernia, Lusitania, Statibus foederatis, Africa meridionali, Australia prodierunt[42].

In regionibus, quae definitive a fide catholica defecerunt, monasteria post longam interdum sororum resistentiam virtuosam suppressa sunt.

In reformationis aevo monasteria 21 germanica perierunt[43].

Si praedicatio Lutherana sororibus non placuit, paupertatis durities eas ad vota frangenda cogere debuisset. Non quidem defectiones sororum desunt, at maxima earum constantia in plurimis enituit. Capitulum generale 1580 hortabatur « praesertim sanctimoniales S. Margaritae et S. Nicolai in Undis in civitate Argentina necnon et sanctimoniales in Hocheim prope Wormatiam et etiam sanctimoniales Medingenses quatenus firmiter et constanter in fide catholica et sancta conversatione perseverent, quod hactenus eas fecisse maxima cordis nostri exsultatione accepimus »[44]. Ursula von Bock et Susanna Brünn priores strenuas Argentinae se ostenderunt[45]. Durante bello triginta annorum et Gallorum occupatione Brisgoviae (1677) plura monasteria in Alsatia et Friburgi ab extraneis militibus incendio tradita vel destructa sunt[46].

Demum per decreta Iosephinismi et saecularizationis vergente saeculo XVIII vel ineunte XIX, monasteria circiter 30 (inclusa Silesia) claudebantur[47].

Velut altera mysticae epocha saeculum XVIII notatur. Etenim in monasterio Vallis S. Catharinae prope Diessenhofen 1716 reformato solertissima et veneranda mater Iosepha Dominica de Rottenberg piissime vixit et scripsit[48]. In monasterio 1721 perfecto Wörishofensi Caecilia Mayr († 1749), in illo Bambergensi Columba Schonath († 1787), in illo de Altenhohenau M. Columba Weigl († 1783) et Paula Grässl († 1793), in Hadamar Magdalena Lorger eximia sanctitate ac charismatibus eluxerunt[49].

Monasteria pauca[50], quae saecularizationem superarunt, educationem puellarum assumebant, ut illa Ratisbonense et Augustanum[51]. Novae autem plurimae fundationes Frisaci 1858 [1890][52], in Wettenhausen 1865[53], Marienthal prope Venlo [1879] 1881, in Limpertsberg [1883 Clairefontaine] 1886, in Clausen 1918[54] apparent. Dominica Clara Moes († 1895 in Limpertsberg Luxemburgi)[55] merito venerationem latissiman obtinuit. In Polonia ubi monasteria rara semper fuerunt, principissa Anna Lubomirska 1621 illud Cracoviense[56] fundavit, dum in monasterio S. Annae prope Gidle[57] sorores superviventes plurium domorum a gubernio russico uniebantur.

In Italia, Romanae sorores apud S. Xystum extra Urbem post saecula prospera calamitatibus, lue, fame satis vexabantur, ita ut Caietanus a Leone X translationem monasterii in locum commodiorem petierit, quem Pius V in regione Exquilina delegit. Ibi 1575 mo-

niales se receperut, aedibus novis nomine SS. Dominici et Xysti dato Ecclesiam 1628 Vincentius della Greca architectus adiecit. In perturbationibus annorum 1798, 1810, 1848 sorores ad tempus fugere et 1873 partem sui monasterii gubernio tradere cogebantur. 1912 sorores suppressi monasterii S. Catharinae monasterio SS. Dominici et Xysti unitae sunt. Chronicas asceterii praesertim Dominica Salomoni (c. 1652) et Anna Victoria Dolara († 1825) consignarunt, quae et artibus et litteris excellebant[58].

Monasterium SS. Annuntiatae saeculo XVI fundatum est ad recipiendas et in fide instruendas filias israeliticas. Cui missioni per saecula providit[59]. Monasterium S. Mariae Magdalenae 1581-1836 sorores nostras observantissimas in spiritu matris Magdalenae de Orsini hospitabatur[60]. Monasterium S. Mariae Humilitatis (1601/03 erectum)[61] seminarium Statum foederatorum saeculo XIX factum est. Monasterium S. Catharinae originem habet in coetu tertiariarum quae locum esquilinum monialibus SS. Dominici et Xysti tradiderunt. In communitatem monialium formatae sorores 1628 monasterium et ecclesiam S. Catharinae aedificarunt[62]. Monasteria Mareni 1675 et illud de Avezzano 1677 fundata sunt[63].

In Lucensi monasterio depingendis minio et arte libris choralibus prae ceteris Euphrasia Burlamacchi vacabat[64], dum aliae sorores (e. g. illae SS. Dominici et Xysti et SS. Annuntiatae de Urbe) puellas educabant[65].

Aliis omissis[66] nominetur monasterium Anagninum, cura Claudiae de Angelis († 1715)[67] coeptum, dum Maria Geltrudis Salandri e Viterbiensi asceterio « ad erigendum novum ordinis monasterium Valentani, quod est dioecesis Montisfalisci oppidum, S. congregationis Episcoporum ac Regularium decreto translata est » († 1748). In monasterio S. Dominici Viterbiensis 1731 M. Columba de Tondis obiit[68]. Neapoli in asceterio S. Mariae Divini Amoris a se fundato, Maria Villani 1670 mortua est[69]. Concinunt hae sorores venerabilibus illis, quae in capitulis generalibus 1670 et 1686 aliisque recensentur[70].

HISTORIA TERTII ORDINIS PRAEDICATORUM.

§ 125. Origo et regula tertii ordinis.

Associationes saecularium utriusque sexus, quae finis cuiusdam religiosi aut operum piorum adipiscendi causa, ordinibus virorum vel feminarum iam exsistentibus se conformarunt, ex saeculo XI apud quasdam congregationes Benedictinorum inveniuntur et ex saeculo XII apud Praemonstratenses, Templarios, Humiliatos. A saeculo XIII intrante vox tertii ordinis fraternitatem laicalem Humiliatorum designat, post horum distinctionem in partes clericorum et societatum laicalium[1]. Propensio primitiva ducendae vitae evangelicae apud has aliasque fraternitates laicales manifestabatur, quas Sedes Apostolica apte segregando aliquos ex his fraternitatibus et elevando eos ad clericalem statum securiore modo sibi devinxit[2].

Dux atque exemplar vitae paenitentialis S. Franciscus exstitit, cuius opus ab anno 1207 praedicationi et praxi paenitentiae consecrabatur. Instante Romana Ecclesia, praesertim per cardinalem Hugolinum e sequacibus S. Francisci fratres apti ad clericatum in conventibus uniebantur, anno 1219 sororibus in monasterium S. Damiani inclusis, ceteris sequacibus S. Francisci in saeculo manentibus. Fratribus conventualibus vel Minoribus anno 1221 regula primitiva aucta imponebatur, dum paenitentes saeculares antea variis vinculis socialibus et religiosis cum fratribus Minoribus iuncti, 1221 suam regulam seu memoriale receperunt[3]. Ministri, visitator, consiliarius, episcopus fraternitati prospiciunt, ministris ordinariam moderationem fraternitatis habentibus[4]. In initio usque ad 1221 sicut et postea per intervalla fratres Minores magis de fraternitatibus curarunt. Interdum autem Minores cum S. Bonaventura, cur fratres non promoveant ordinem paenitentiae, multis rationibus responderunt[5].

Si fraternitates «ordinis de paenitentia» a Minoribus dependentes, rite tertius ordo S. Francisci vocari valuerunt, aliae societates potius ab aliis ordinibus Mendicantium dependentes, his assimilatae e. g. de paenitentia S. Dominici vel iuxta alios nominabantur. Hoc sensu sumptus ordo de paenitentia S. Dominici ad ipsum fundatorem fratrum Praedicatorum redire dici potest[6].

Regula ordinis de paenitentia prima anno 1221 data, 1228 ampliata est, circa 1234 altera regula prodeunte. Deinde 1285 magister generalis ordinis Praedicatorum Munio de Zamora regulam fraternitatibus paenitentiae S. Dominici dedit, quae etsi in pluribus ad regulam anni 1234 recurrat, perfectione propria excellit. In bulla Nicolai IV diei 17 augusti 1289 nova redactio regulae anni 1234 invenitur, quae pro toto tertio ordine franciscano confirmata fuit[7].

Licet Munio regulam publicasse dicitur[8] tamen traditio manuscripta regulae nonnisi exeunte saeculo XIV in opere Thomae Caffarini apprehenditur[9].

Suprema nunc approbatio Ecclesiae pro hac regula adhuc exspectanda erat. Tribuerat quidem Honorius IV 1286 «universis tam viris quam mulieribus de paenitentia S. Dominici sub habitu religionis domino famulantibus per Italiam constitutis» concessiones quasdam ecclesiasticas[10], aliis pontificibus sequentibus[11] in elargitione et tuitione gratiarum huius paenitentiae dominicanae, at vera approbatio in bulla «Sedis Apostolicae» 26 iunii 1405 ab Innocentio VII emanata fuit. Exprimitur illo documento pontificio tenor «regulae fratrum et sororum de paenitentia B. Dominici » capitulis 22 distinctae[12]. Ad obtinendam approbationem huius regulae Thomas Caffarini et Hugolinus de Camerino multum laboraverunt[13]. Tandem Eugenius IV die 14 maii 1439 regulam fratrum et sororum de paenitentia S. Dominici ad petitionem collegii sororum de paenitentia S. Dominici in civitate Eugubina novo robore firmat[14].

Cum fratres et sorores iure ac nomine ordinis «de paenitentia S. Dominici » coetus particulares constituerent, pro eis, «qui de paenitentia tertii ordinis B. Dominici nuncupantur » anno 1484 nova haec denominatio apparet[15]. In Italia e saeculo XIV varia collegia sororum de paenitentia S. Dominici nomine «Mantellate» vel «Pinzocherae» designabantur[16].

Alia explicatio originis tertii ordinis ex militia Iesu Christi ob servitia religiosa praestita pro societate datur[17].

Antiqua regula in editionibus constitutionum ordinis Praedicatorum usque ad annum 1886 addi solebat. Si anno 1895 collectio eorum, quae ad ius tertii ordinis spectant, desiderabatur, in comitiis 1907 et 1916 nova confectio regulae eiusdem magistro generali commissa est [18] et sub r.mo p. Theissling prodiit. Hanc « regulam fratrum et sororum tertii ordinis saecularis S. Dominici » in capita 20

divisam die 23 aprilis 1923 Pius XI approbavit[19]. Summarium indulgentiarum pro tertiariis nostris die 30 decembris 1922 ab Ecclesia ratum habitum est[20].

§ 126. Membra insignia. Statistica tertiariorum.

Cum tertius ordo saecularium dominicianus praesertim ex assimilatione ad zelum fidei et conformitatem cum pietate fratrum Praedicatorum ortus sit, in initio ordinis variae formae huius assimilationis a scriptoribus narrantur, quas velut pertinentiam ad tertium ordinem considerare vellent. Ita p. Berthier relevat, feminam nobilem, quae B. Iordani corrigiam petivit et obtinuit, ita ordini paenitentiae aggregatam fuisse[1]. Et Petrus Dacus et plures dominas Sueciae velut filias spirituales direxit, quae habitu beginarum utebantur, et cum Christina de Stommeln († 1312) begina cum Dominicanis devotissime iuncta commercium pietatis coluit[2]. Alia begina Mechtildis Magdeburgensis, quae per annos 40 (testante Henrico de Hallis) vestigiis fratrum Praedicatorum adhaesit et eloquia de ordine eiusque sanctis reliquit, intimius cum nostratibus vivebat quam alii multi qui communiter ordini de paenitentia S. Dominici adscribuntur[3]. Inter tertiarios explicite adnumerantur Albertus Bergomensis, Zedislava, Benvenuta Bojani, Villana de Bottis, Sibyllina de Biscossi[4], Andreas Papiensis et Petrus de Campanili[5]. Deinde S. Catharina Senensis, quae speciali impulsu divino ad consortium sororum de paenitentia directa est, rationem vitae tertiariae exemplo, sapientia, zelo et commendatione mirifice promovit[6]. Thomae Caffarini et Ioanni Dominici, qui Venetiis magnum fructum in verbo Dei proponendo fecerant, a magistro Raymundo Capuano commissum est, ut ibi « religionem sororum de paenitentia S. Dominici » inchoarent, dirigerent, gubernarent[7]. Inter tertiarias Venetas Maria degli Storioni eminebat. Atque aliae mulieres post Catharinam Senensem et Mariam Venetam miris virtutibus apud Italos institutum de paenitentia S. Dominici glorificabant[8].

Thomas Caffarini, qui expositionem de tertio ordine confecit[9], etiam viros ad hanc vitae rationem assumpsit, ut ipse in biographia Mariae Venetae testatur[10]. Insuper eo impellente, adiuvantibus Bartholomaeo Senensi et Hugolino de Camerino, factum est, ut regula de paenitentia S. Dominici publice et rite ab Ecclesia approbaretur[11].

Pro tertiariis saecularibus provinciae Teutoniae magister generalis Ioachim Torriani anno 1491 statuit, vicarium provinciae absoluto provinciali potestatem super eos habere, quod antea in illa regione non vigebat[12]. Ex Anglia in saeculo XV plures donationes manifestant donatores utriusque sexus ad fraternitatem ordinis de paenitentia pertinuisse[13].

Recentiore aetate ineunte tertiarii ad terras latinas fere exclusive limitabantur, ex quibus ad regiones Americanas, Philippinarum, Iaponiae, Sinarum intrabant. Insignium membrorum nomina rem illustrent. B. Stephana Quinzani apud Italos[14] et apud Hispanos inter plures alias piissimas feminas « sancta ducissa » Ludovica de Borja († 1560)[15] soror S. Francisci de Borja S. I., in Peruviana plaga S. Rosa Limana[16], in Philippinis Ioannes de Escano († 1710) navigiorum civilium moderator[17] eminent. Ex tertiariis nostris Iaponiae non minus quam 24 martyres utriusque sexus beatificati fuerunt[18], dum Sinae Ioachimum Kho mandarinum et martyrem († 1649) illasque zelantissimas mulierem Catharinam († 1655) et virginem Petronillam († 1657) protulerunt[19]. De cetero in Europa B. Hosanna de Cattaro[20], Ioannes Iacobus Olier († 1657) fundator seminarii S. Sulpitii[21], B. Ludovicus M. Grignon de Montfort[22] gloriae tertii ordinis exsistunt.

In ultima ordinis epocha universaliore modo tertiarii ubique reperiuntur. Ecclesiae principes ut Benedictus XV ab anno 1909 velut archiepiscopus Bononiensis[23], cardinales e. g. Vincentius Vanutelli, O' Connell, Amette, Charost, Ranuzzi de' Bianchi, Perosi, praesules ut Michael G. Cuesta († 1873), Iosephus M. Izquierdo († 1882), Iosephus Torras (1916)[24], Aemilius Manacorda, Dominicus Taccone Gallucci, Matthias Eberhard († 1876), Ferdinandus Rott, Guillelmus Farbes, familiarum nobilissimarum membra, ut Clotilda principissa Sabaudiae († 1911)[25], Sophia Carlotta ducissa Alenconiensis († 1897)[26], civilis auctoritatis viri, ut variarum nationum deputati seu senatores vel cancellarii vel homines, doctrina, scientia, litteris aut arte famosi ut Hubertus et Georgius[27] Rohault de Fleury, Ernestus Commer († 1928)[28], Agnes McLaren († 1913)[29], Iosephus Cujpers, multique ex clero et populis turmas tertii ordinis saecularis S. Dominici formare non cessant. Semperque sanctitas vel eximia inter eas servatur, ut ex vitis Catharinae Jarrige († 1836)[30], Annuntiatae Funi († 1866)[31], B. Augustini Schoeffler[32] patet.

In Italia, postquam Pedemontani congressum regionalem tertiariorum 1911 instituerunt, coetus nationales tertii ordinis Florentiae primum 1913 et Bononiae alia vice 1921 celebrabantur[33]. Generaliter vero iteratis monitis a Benedicto XV christianitati directis[34] obsequentes fideles numerosi tertio ordini cherubico adscribi petebant. Sic sectiones per patres idoneos directae, per manuales libros aut folia vel ephemerides[35] magis instructae, saepissime etiam exsecutioni particularium operum christianae misericordiae deditae augebantur. Status tertiariorum dominicanorum 1928[36] talis apparet:

Aequator	801	Summa	(30517)
Anglia cum Scotia	1829	Iaponia	6
Austria	939	Italia	18314
Belgium	2290	Iugoslavia	800
Canada	2666	Lusitania	420
Cecoslovacchia	3098	Melita	1002
Chile	1589	Mexicum	1824
Gallia	4618	Peruvium	980
Germania	4014	Philippinae insulae	1584
Helvetia	450	Polonia	668
Hibernia	412	Respublica El Salvador	277
Hispania	5132	Status Foederati Am. sept	7763
Hollandia	2169	Tunquinum	23034
Hungaria	519		
		Universim	87189

§ 127. Tertius ordo conventualis, maxime sororum.

Membra saecularia utriusque sexus ordinis de paenitentia S. Dominici fraternitates sive collegia formare debere in ipsa regula ordinatur. Praeter has fraternitates interdum a piis hominibus societates regulares super fundamentum ordinis de paenitentia erigebantur[1]. Saepius praesertim circa collegia sororum difficile distinguitur inter coetus sororum, qui saeculari ramo ordinis de paenitentia adhaerent et illas communitates regulares, quae regulam de paenitentia sequuntur. Apud Dominicanos tempore medii aevi de formatione, quae esset tertius ordo regularis virorum, sermo esse non potest, nisi quis fratres illos olim de paenitentia Iesu Christi

de Bruxella, qui iuxta facultatem Benedicti XI 1304 concessam per provincialem Teutoniae cum loco ipsorum ad ordinem Praedicatorum recipi possunt, huc citare vellet[2]. Recentiore aevo p. Lacordaire congregationem tertiariorum excitavit, dum petitiones venerandi A. Janssen († 1909) de societate sua ordini Praedicatorum aggreganda a p. Rouard de Card non accipiebantur[3].

Magna varietas in tertio ordine regulari seu conventuali feminarum occurrit. « Aliae enim votis erant obstrictae, aliae sola professione, aliae collegialiter viventes », ut in bulla Ioannis XXII 1 iunii 1326 exprimitur[4]. Quae bulla insuper de sororibus extra domos collegiales viventibus valet. Ad tertium ordinem regularem femineum quodammodo etiam beginae spectant quae in saeculo XIII in Francia, per Germaniam inferiorem et partes Rheni sicut et in Italia centrali ac septentrionali, et in saeculo XIV per Lombardiam quoque et Tusciam inveniebantur plerumque vel a Dominicanis directae vel eorum tertiariae exsistentes[5]. Beginae erant feminae piae quae voto castitatis emisso in domibus absque certa regula, at cum subiectione ad placita superiorissae insimul vivebant. Directionem spiritualem a fratribus Praedicatoribus, si hi adessent, recipiebant, ita Parisiis et per partes Flandriae. Intima relatio inter 39 beginagia Coloniensia et conventum Coloniensem vigebat. Post regulam ordinis de paenitentia sub magistro Munione redactam, dissensus et separatio beginarum plurimarum et fratrum Praedicatorum invaluit[6].

Fuerunt tamen etiam proprii conventus regulares feminarum tertiae regulae ordinis Praedicatorum, e. g. monasterium S. Margaritae a B. Aemilia Bicchieri Vercellis aedificatum[7]. Per totam Europam usque ad Livoniam[8] «sororum collegia succreverunt saec. XV et XVI, sed cum viverent sine votis et clausura nonnihil de pristino fervore remiserant, e contra earum interdum exiguus numerus regulari vitae saepe officiebat. Plures leges tulit Thomas de Vio, ut in eiusmodi collegiis seu gynaecaeis disciplina refloresceret, ac praesertim egressum compescuit, alia episcopis resignavit »[9]. Iam Ferrariae 1498 capitulares generales hortabantur «sorores tertii ordinis collegiatim et communiter viventes, ut pro moderatiori vita consequenda assuescant vivere secundum constitutiones sororum dictarum clausarum, exceptis his quae ad clausuram pertinent»[10].

Collegia tertiariarum regularium Romae quinque erant S. Nicolai in clivo Quirinali, prope ecclesiam S. Caeciliae, in regione S.

Angeli, et prope ecclesiam S. Mariae super Minervam in quo S. Catharina ad caelum evolavit, demum prope S. Mariam ad Nives, ubi postmodum in monasterio SS. Dominici et Xysti 1575 moniales sedem posuerunt[11]. Florentiae tempore Savonarolae conventus tertiarius S. Luciae ad secundam regulam transiit, dum conventus S. Catharinae Senensis 1495 a nobili domina cum sequacibus erectus tertiariam regularem vitam optime expressit[12].

Regula anachoretarum sive anglice Ancren Riwle saeculi XIII, si pro sororibus tertiariis nostris scripta non est, certe habet additiones pro collegiis tertiariarum Oxoniae aliisque in locis degentium[13]. Praecipue autem per terras germanicas talia collegia (Samnungen) oriebantur[14]. Ita Iordanus de cura fratrum Teutoniae circa feminas paenitentes claustrandas loquitur[15]. Postmodum in sola dioecesi Constantiensi 27 domus tertiariarum regularium enumerantur. Hae sorores plerumque ecclesia propria destitutae, ecclesiam paroecialem visitabant. Praeter officia religiosa actionem socialem sive caritatis sive institutionis exercebant, quibus vel puellis utiles essent. Maior pars horum collegiorum episcopo suberat, dum aliqua etiam ordini incorporata exstiterunt, e. g. conventus sororum S. Catharinae Friburgi[16]. Potestatis ordinis in has tertiarias vere exercitae exempla citari possunt[17]. Etiam nomine inclusarum de paenitentia B. Dominici hae sorores vocabantur[18].

E sororibus tertiariis regularibus BB. Aemilia Bicchieri et Columba a Reate († 1501) honore altarium auctae sunt[19]. B. Columba aetatis anno 23, Perusii professionem emisit, ubi spiritu S. Catharinae vivens et hominibus prece, consilio, stipe opitulans apostolatum exercuit. Dum Alexander VI Perusium venit, ipsa coram Papa adducta est positisque interrogationibus humiliter devoteque respondit[20].

Prorsus nova epocha pro sororibus tertiae regulae in communitate viventibus saeculo XVI orditur. Dabantur enim tot diversi generis tertiariarum coetus, ut restrictio multiformitatis desideraretur. Si Paulus III 1542 constitutiones pro monasterio Florentino S. Catharinae et similibus tertii ordinis regularis cum votis solemnibus probavit[21], maxime Pius V decretis Tridentinis inhaerens, non solum domunculas seu collegia plurima tertiariarum in Italia sustulit, verum etiam collegiis huiusmodi, quae perdurare permittebantur, perpetuam clausuram die 29 maii 1566 imposuit[22].

Tertiariae, quae in communi vivebant absque solemnium votorum emissione, ab episcopo vel ordinis superiore de servanda clau-

sura et faciendis votis monendae erant. Si huic consilio non parerent, paenae non recipiendi nova membra subiacebant, quae statuta, sicut et directiones s. congregationis Episcoporum et Regularium anni 1616, exsecutioni non ubique mandatae sunt[23]. Certe statuta Piana multum in conformanda monasteria tertii ordinis illis monasteriis sororum a secundo vulgo dictarum influebant. Praeter vota sive solemnia seu simplicia et clausuram et recitationem choralem officii tertiariae regulares sensim annuentibus praelatis nigro velamine, scapulari necnon cappa loco veteris mantelli uti coeperunt, haud una vice monialibus « secundi » ordinis ad instituendas moniales tertiae regulae deputatis[24].

In Italia monasteria fuerunt e. g. illud Ferrariense per B. Luciam Narniensem conditum[25], aliud Pratense, in quo S. Catharina de Ricci vixit, quae de servandis decretis clausurae non exiguis angustiis interdum cruciabatur[26]. In Gallia monasterium de Aumale saeculo XVII reformatum, plura membra notiora ut Iacobinam de S. Spiritu († 1638) nutrivit[27], dum in gallica coloniali insula Martinica 1748 claustrale monasterium tertiariarum monialium votorum solemnium erectum est[28]. In Hispania, cuius conditiones S. Pii V. severas inculcationes requisierant[29], tertiariae claustrales Pampelone saeculo XVI, Belchite 1711, Oscae 1725 aliisque in locis oriebantur[30]. De germanicis monasteriis varia in capitulis generalibus ordinantur, Osnabrugensi et Heidelbergensi 1721 ordini incorporatis[31]. Demum sorores vitae contemplativae deditae in monasteriis Rosarii perpetui a Damiano Saintourens († 1920) institutis adscribebantur[32]. Quae domus in Belgio (e. g. Lovanii 1880) et in Statibus foederatis (e. g. Westhoboken, Camden, Buffalo) sitae sunt[33]

Coetus tertiariarum, quae contra vel post edicta pontificia Piana clausuram non introducebant, sed liberiore modo in communi vivebant, radices sunt sororum tertiae regulae conventualium, quae saeculo XIX sub forma congregationum ordinatae mirabilem efflorítionem obtinuerunt. Horum coetuum exempla sunt gallicae tertiariae Podii in domo natalitia Agnetis de Langeac post annum 1671 congregatae operibusque caritatis incumbentes[34], vel illae de Honfleur, quae saeculis XVII et XVIII in hospitali serviebant[35]. Moniales antiqui monasterii Lingoniensis post revolutionem ineunte saeculoXVIII adunatae mutata vitae ratione plures congregationes formarunt, praesertim Nanceiensem 1853, quae sorores c. 400 plerumque magistras nutrit[36]. Aliae ex florentissimis Galliae congre-

gationibus cura infirmorum excellunt ut illa de Monteils 1851 per Mariam Anastasiam († 1878) formata[37] et illa Albiensis 1852 erecta. Hae quidem sicut et illae de Sèvres, Etrépagny, Tolosana in diversis Americae latinae partibus scholas et hospitalia moderantur[38]. Ad puellas periclitantes honori christiano restituendas congregationes de Chatillon-sous-Bagneux matris Chupin et Bethaniae patris Lataste oriebantur[39]. Ingens Turonensis congregatio dominicanarum caritatis de Praesentatione a Maria Poussepin († 1744) fundata, intimas relationes cum ordine Praedicatorum ab initio habuit, etsi aggregata ei non sit[40].

In Belgio praeter domos principales congregationum gallicarum, parviores congregationes belgicae inveniuntur, quarum quaedam missioni Congolensi auxilia praebent[41]. Angliae congregationes sex insimul sorores circa 450 comprehendunt. Antiquior et notior congregatio de Stone 1844 a matre Margarita Hallahan († 1868) fundata, servitia scholarum et nosocomiorum cum claustrali vita exemplariter coniungit, quam et mater Francisca Raphaela Draue († 1894), eruditissima in viis Domini et litteris, perpulchre expressit[42]. In Hibernia e monasteriis, quae opera educationis vel caritatis exercebant, anno 1922 congregatio de Cabra formata est[43].

In Neerlandia duae maiores congregationes de Voorschoten (sorores super 700; missio in America centrali ab 1841) et de Neerbosch (1848) et aliae minores utilitati spirituali et corporali proximorum prospiciunt[44].

In Germania plusquam 3000 sorores in monasteriis e. g. Konstanz, Speyer (S. Mariae Magdalenae) vel in congregationibus degunt. Congregatio Spirensis sororum scholae membra 690 et congregatio Arenbergensis, 1868 fundata et longissime a Cherubina Willimann († 1914) recta, sorores 862 anno 1927 numerant. Demum domus bavaricae plures velut seminaria missionariarum pro Africa meridionali et California exsistunt[45]. Congregatio de Ilanz apud Helvetios (sorores c. 400) domos quoque in Germania et Austria habet sicut et stationes missionarias in Sinis[46]. Conventuales tertiariae in Austria, Hungaria, Polonia, Iugoslavia exiguos coetus formant, dum illae Cecoslovachiae in congregationes de Repcin numerum 300 superant[47].

Italia congregationum maiorum primam illam de Mondovì-Carassone 1844 exsurgere vidit, quae scholas in Turchia et Graecia aperuit[48]. Genuae in domo parva divinae providentiae ab anno 1865

erecta Dominica C. Solari et Vincentia Scerni vivebant[49]. Congregatio S. Catharinae Senensis, 1862 fundata et in Urbe domum principalem habens[50], plusquam 400 sororibus componitur, quae educationi et asylis et infirmariis praesunt.

Ex hispanicis congregationibus Granatensis et de Jerez de la Frontera[51] origines in beateriis habent. Ultimi quidem fundatrix Antonia Tirado († 1810)[52] exstitit. Maxima congregatio de Vich SS. Annuntiatae per p. Coll ab anno 1856 promota, super 1300 sororibus constans, non solum in patria sed etiam in America domos possidet. Particularis congregatio missionaria Pampelone 1918 orta est fundationibus Americanis inde sequentibus[53]. Insulae Canariae specialem congregationem de las Palmas habent. Apud Lusitanos congregatio sororum anno 1866 stabilita est, quae etiam in Hispania et utraque America domos fundavit[54].

In Africa australi[55] 1863 primae sorores e monasterio Cabra Hiberniae apud promunturium Bonae Spei habitarunt. Deinde 1877 sub matre Mauritia Tiefenböck († 1900) cum sociabus e monasterio Augustano aliae domus fundatae sunt, quae in congregationem de King Williams Town creverunt. Inter congregationes nostras Africae meridionalis sorores e Bavaria venientes non solum numerosiores sunt (c. 800 sorores) sed et missioni addictae. Hae « africanae » congregationes domos postulantatuum in Europa, praecipue illam de Schlehdorf, habent. In congregatione de Oakford filiae e nigra stirpe[56] sorores 1927 indutae sunt.

Veniendo ad Asiam in Mesopotamia ex tertiariis, quae ab annis circiter 30 a p. Dumini adunatae nomine Catherinettes vocabantur 1928 congregatio indigenarum sororum pro summo missionis Mausiliensis bono, constituta est. Hae sorores anno 1914 numero 60 erant, quarum 6 martyres 1915 obierunt[57]. In Philippinis insulis 1696 beaterium cura Franciscae de Spiritu sancto erectum est. Ibi in adiutorium fratrum Praedicatorum sorores institutioni femineae ex tunc incumbebant. Domus sororum de Foochow 1858 aperta et aliae fundationes sororum, quae provinciali Philippinarum subsunt et intime cum extremi orientis missionariis illius provinciae collaborant una cum domo Matritensi proxime in congregationem stabilientur[58]. In partibus Tunquini iam 1715 vicarii provinciales, ut mulieribus puellisque christianas leges et laborem melius imprimerent, virgines tertiarias conventuales velut missionarias auxiliares congrega-

bant, quae vicariis apostolicis probantibus, varios Tunquinenses districtus incolebant. Singulae earum domus ab invicem independentes suique iuris exsistunt. Anno 1926 huiusmodi tertiariae regulares 503 aderant[59].

In Australiam et Oceaniam sorores hibernicae ex anno 1867 primae advenerunt, quae plures congregationes formantes insimul super 300 membra habent. Educationem praecipue colunt[60].

Per American latinam congregationes plures, ut in Argentinia et una in Columbia aliaque in Cubae insula florent[61], dum in Statibus foederatis eximia prorsus vitalitas congregationum dominicanarum apparet[62]. Prima earum de Springfield (Ky) die 7 aprilis 1822 per zelantissimum Cincinnatensem episcopum Fenwick fundata est, ut labori missionario sacerdotum inter colonistas et indianos opitularentur[63]. Haec congregatio institutioni variissimae se dedicat. Surrexerunt 1830 congregationes de St. Mary's of the Springs (Ohio), 1846 de Sinsinawa a p. Mazzucchelli fundata hodie sororibus c. 1000 constans, 1850 de S. Rafael (Cal.). Monasterium Ratisbonense Bavariae sorores in civitatem Brooklyn 1853 misit, quae et ibi aliisque in locis e. g. in Mount St. Mary of the Hudson, Racine, Mission S. José (Cal.), Grand Rapids, Albany, congregationes fundarunt. Inter sorores infirmis ministrantes quaedam praecipue caecis, aliae cancro infectis serviunt, dum sorores de Maryknoll missioni Sinensi deputantur.

In Canadensi terra congregatio de Infante Iesu 1887 coepta[64] est aliique sororum coetus bonam spem roborationis promittunt.

Status sororum conventualium numerum 25000 anno 1928 excedit.

CONSPECTUS ARCHIVORUM ET LIBRORUM SAEPE ALLATORUM.

ArchOP=Archivum generale OP (e. g. ArchOP. RB - Repertorium Bonnet).
Arch. Vat-=Archivum secretum S. Sedis Vaticanum.
AAS=Acta Apostolicae Sedis, Romae 1909ss.
AB=Analecta Bollandiana, Bruxelles-Paris 1882ss.
Acg=Acta cap. gen. OP 1862-1929.
Acta=Acta S. Sedis necnon mag. et cap. gen. pro societate SS. Rosarii, confraternitatibus SS. Rosarii sodalitiique Rosarii viventis et Rosarii perpetui I-II, (t. 4) Lugduni 1890s.
Acuña=Gonzalez.
AD=Année dominicaine, Paris 1859ss.
AFH=Archivum Franciscanum Historicum, Ad Aquas Claras 1908ss.
AHDL=Archives d'hist. doctrin. et litt. du moyen âge, éd. E. Gilson - G. Théry, Paris 1926ss.
ALKM=Archiv für Literatur-u. Kirchengeschichte des Mittelalters herausg v. H. Denifle-Fr. Ehrle I-VII, Berlin (-Freiburg i. B.) 1885-1900.
Altaner B., Venturino von Bergamo OP 1304-1346, Breslau 1911.
— , Der hl. Dominikus, Breslau 1922.
— , Die Dominikanermissionen des 13. Jahrhunderts, Habelschwerdt 1924
Alvarez P., Santos, Bienaventurados, Venerables de la Orden de los Predicadores I-IV, Vergara 1920-1923.
Angelicum, Romae 1924ss.
Annales OP, Romae 1756.
Année dominicaine ou Vies des Saints etc, nouv. éd. Lyon 1883-1909, continuat. Grenoble 1912.
Anvari de la Societat Catalana de Filosofia, Barcelona 1923.
AOP=Analecta sacri Ordinis Fratrum Praedicatorum, Romae 1893ss.
Arts J., De predikheeren te Gent 1228-1854, Gent 1913.
— , L'ancien couvent des Dominicains à Bruxelles, Gand 1922.
ASS=Acta sanctorum ed. novissima curante J. Carnandet, Parisiis.
Bačić A., Introductio compendiosa in opera S. Thomae Aquinatis, Romae 1925.
Barącz S., Rys dziejów zakonu kaznodziejskiego w Polsce I-II, Lwów 1861.
Bayonne H., Vie de s. Catherine de Ricci 1522-1590 I-II, Paris 1873.
Beltran de Heredia V., Los manoscritos del maestro fray Francisco de Vitoria, Madrid-Valencia (1928).

Berthier J. J., L'église de la Minerve à Rome, Rome 1910.

—, Le couvent de S. Sabine à Rome, Rome 1912.

— , S. Thomas Aquinas « Doctor communis » Ecclesiae, Romae 1914.

Biermann B., Die Anfänge der neueren Dominikanermission in China, Münster i. W. 1927.

Bonnet Th., Scriptores OP. Specimen, Lugduni 1883.

Brettle S., S. Vicente Ferrer und sein lit. Nachlass, Münster i. W. 1924.

Brunner S., Der Predigerorden in Wien u. Oesterreich, Wien 1867.

BOP = Bullarium Ordinis Fratrum Praedicatorum, ed. Th. Ripoli - A. Bremond I-VIII, Romae 1729-1740.

Burgo Th. de, Hibernia dominicana, Coloniae Agrippinae 1762.

Caccia J. M., Chronique du couvent des Prêcheurs d'Orviéto, éd. par A. M. Viel-P. M. Girardin, Rome-Viterbe 1907.

Callus D., I domenicani in Malta, Malta [2]1921.

Carrasco J. Ensayo histórico sobre la Orden Dominica Argentina, I. Actas capitulares 1724-1824, Buenos Aires 1924.

Carro V., El maestro fray Pedro de Soto confesor de Carlos V y las controversias politico-teologicas del siglo XVI, Madrid 1927.

CE = Catholic Encyclopedia The, New York 1907ss.

Celaya J. M. de, Breve reseña historica del convento-colegio de s. Domingo de Ocaña y de los hijos ilustres del mismo, Madrid (1926).

Centenario di S. Domenico, II VII, Bologna 1920-1922.

Chapotin M. D., Histoire des Dominicains de la prov. de France, Rouen 1898.

Chocarne B., Le R. P. H.-D. Lacordaire. Sa vie intime et religieuse[2] I-II, Paris 1866.

Cinquantenaire Le, de la province dominicaine de S. Rose en Belgique 1861-1911, Bruxelles.

Clementi G., Il B. Venturino da Bergamo 1304-1346, Roma 1904.

Coulon R., Scriptores OP, ed. altera fasc. I-VIII, Paris 1910-1914.

Coulton G. G., Five centuries of religion, II. The friars and the dead weight of tradition 1200-1400. Cambridge 1927.

Compendio de la Reseña biográfica de los religiosos de la prov. del Smo Rosario (cf. Ocio), Manila 1895.

Constitutiones fratrum s. Ordinis Praedicatorum, ed. nova in qua insertae sunt ordinationes cap. gen. Lovanii a. 1885 celebrati. Parisiis 1886.

Cormier H.-M., Vie du Rme P. A.-V. Jandel, Paris [3]1896.

Cuervo J., Historiadores del conv. de S. Esteban de Salamanca, Salamanca I-III, 1914-1915.

CT = Ciencia Tomista, La, Madrid 1910ss.

Denifle H., Die Universitäten des Mittelalters bis 1400, Berlin 1885.

— , La désolation des Eglises, Monastères et Hôpitaux en France pendant la guerre de cent ans I-II, Paris 1897-1899.

— (=Chatelain E.), Chartularium universitatis Parisiensis I-IV, Parisiis 1889-1897

— (=Chatelain), Auctarium chartularii I-II, Paris 1894-1897

— (=A. Weiss) Luther und Luthertum I, Ergänzungsbd, II Mainz 1904-1909.

Devas R., The dominican revival in the XIX century, London 1913.

— , Ex umbris. Letters and papers hitherto unpublished of the Fathers Lacordaire, Jandel, Danzas, (Hawkesyard 1920).

DTC=Dictionnaire de Théol. cath. Paris 1909ss.

DHGE=Dictionnaire d'hist. et de géographie ecclésiastiques, Paris 1912ss.

DivT=Divus Thomas, (1886) Freiburg (Schweiz) 1923ss.

Długosz, J. Liber beneficiorum dioecesis Cracoviensis III, Cracoviae 1864.

Douais C., Essai sul l'organisation des études dans l'Ordre des Frères Prêcheurs au XIII et au XIV siècle (1216-1342). Première Province de Provence-Province de Toulouse, Paris-Toulouse 1884.

— , Acta capitulorum provincialium ordinis fratrum Praedicatorum. Première Province de Provence, Province Romaine, Province d'Espagne, Toulouse 1894.

Ehrle F., S. Domenico, le origini del primo studio generale del suo Ordine a Parigi e la Somma teologica del primo maestro Rolando da Cremona, Roma 1923 (Estratto « Misc. Dom. »).

— , Der Sentenzenkommentar Peters von Candia, des Pisaner Papstes Alexanders V. Ein Beitrag zur Scheidung der Schulen in der Scholastik des 14. Jahrh. u. zur Gesch. des Wegestreites, Münster i. W. 1925.

Epitome bullarii Ordinis Praedicatorum, ed. V. Ligiez - P. Mothon, Romae 1898.

Esser Th., Zur Archäologie der Paternoster - Schnur, Freiburg (Schweiz) 1898.

—, Ueber die allmähliche Einführung der jetzt beim Rosenkranz üblichen Betrachtungspunkte, Mainz 1906.

Eubel C., (van Gulik G.) Hierarchia catholica medii aevii I-III, Monasterii 1898-1910.

(Everest) Index of matter contained in Dominican General Chapters 1885-1916, Hinckley 1918.

Felder H., Geschichte der wissenschaftlichen Studien im Franziskanerorden bis um die Mitte des 13. Jahrhunderts, Freiburg i. B. 1904.

Ferrando I. — Fonseca I., Historia de los PP. Dominicos en las Islas Filipinas y en sus misiones del Japón, China, Tungkin y Formosa desde el descubrimento y conquista de estas Islas por las flotas españoles hasta el año de 1840 I-VI, Madrid 1870-1872.

Ferretti L., Vita del B. Angelo Orsucci da Lucca dei frati Predicatori, con varie lettere del Beato e Documenti inediti in gran parte, Roma 1922.

Finke H., Ungedruckte Dominikanerbriefe des 13. Jahrh., Paderborn 1891.

Fonseca = Ferrando

Fontana V. M. Constitutiones,declarationes et ordinationes cap. gen. S. Ordinis Praedicatorum ab a. 1220 usque ad a. 1651 emanatae, I-II, Romae 1665-1666.

Fontaninus I., Codex constitutionum quas summi pontifices ediderunt in solemni canonizatione sanctorum, Romae 1729.

Fuente I., Los heraldos de la civilización centro-Americana, Vergara 1929.

Galbraith G. R., The Constitution of the Dominican Order 1216 to 1360, Manchester 1925.

Gams P. B., Series episcoporum ecclesiae catholicae quotquot innotuerunt a B. Petro Apostolo, Ratisbonae 1873.

Gentili T. M., Memorie di un missionario domenicano nella Cina, I-II Roma 1887-1888.

Gillet L., Histoire artistique des Ordres Mendiants. Etude sur l'art religieux en Europe du XIIIe au XVII siècles, Paris 1912.

Gispert M., Historia de las misiones dominicanas en el Tungkin, Avila 1928.

Golubovich G., Biblioteca bio-bibliografica della Terra santa e dell'Oriente Francescano I-V, Quarracchi 1906-1927.

Gonzalez de Acuña A., Summarium privilegiorum ordinis Praedicatorum a S. Sede concessorum 1216-1669. Adiuncto statu causarum, Romae 1670.

Gorce M. M., S. Vincent Ferrier (1350-1419), Paris (1924).

Grabmann M., Mittelalterliches Geistesleben. Abhandlungen zur Gesch. der Scholastik und Mystik, München 1925.

— , Einführung in die Summa des hl. Thomas von Aquin, Freiburg i. B. ^{2}1928.

Häfele G., Franz von Retz, Innsbruck 1918.

Hefele Ch.-J.-Leclercq H., Histoire des Conciles I-VIII, Paris 1913-1921.

Heimbucher M., Die Orden u. Kongreg. der kath. Kirche, Paderborn ^{2}1907.

HJ = Historisches Jahrbuch der Görresgesellschaft, München 1880ss.

Holzapfel H., Manuale historiae ordinis Fratrum Minorum, Friburgi Brisg 1909.

HNS = The Holy Name Society and its Great National Convention, ed. under the direction of M. J. Ripple, New York (1925).

Hornstein X. de, Les grands mystiques allemands du XIV siècle. Eckart, Tauler, Suso, Lucerne 1922.

Hughes V. R., The R. R. Richard Luke Concanen OP. 1747-1810, Freiburg (Schweiz) 1926.

Humbertus de Romanis, Opera de vita regulari, ed. J. J. Berthier I-II, Romae 1888s.

Hurter, H., Nomerclator litterarius theol. cath II-V, Oeniponte [3]1906-1913.

Jacquin M., Le Frère Prêcheur autrefois et aujourd'hui, Kain-Paris 1911.

Jarrett B., The English Dominicans, London 1921.

— , Life of St. Dominic, London 1924.

Joergensen J., Ste Catherine de Sienne, Paris [6]1920.

Iordanis de Saxonia B., Opera ad res Ordinis Praedicatorum spectantia, ed. J. J. Berthier, Friburgi Helv. 1891.

Kirchenlexikon Wetzer und Welte's, Freiburg i. B. [2]1882ss.

Koch J., Durandus de S. Porciano OP. Forschungen zum Streit um Thomas von Aquin zu Beginn des 14. Jahrh. I, Münster i. W. 1927.

Koperska A., Die Stellung der religiösen Orden zu den Profanwissenschaften im 12. u. 13. Jahrh, Freiburg (Schweiz) 1914.

Krautheimer R., Die Kirchen der Bettelorden in Deutschland, Köln 1925.

Kuhlmann B., Der Gesetzesbegriff beim hl. Thomas von Aquin im Lichte des Rechtsstudiums seiner Zeit, Bonn 1912.

Lamatsch J., Beiträge zur Geschichte des Predigerordens Oedenburg [2]1855.

Lambermond C., Der Armutsgedanke des hl. Dominikus u. seines Ordens, Zwolle 1926.

Lang A., Die loci theologici des Melchior Cano u. die Methode des dogmatischen Beweises. München 1925.

Lauchert F., Die italienischen Gegner Luthers, Freiburg i. B. 1912.

Lecoy de la Marche A., La chaire française au moyen-âge, spécialement au XIII siècle, Paris 1868.

(Lemonnyer) Les Frères Prêcheurs, Paris 1924.

LTK=Lexikon für Theologie u. Kirche, I Freiburg i. B. 1930.

Lo-Cicero C., Constitutiones, declarationes et ordinationes cap. gen. OP. 1220-1650 emanatae et usque ad a. 1862 continuatae, quibus accedunt iuxta mentem cap. gen. Romae 1841 plurima recentiora constitutionum apostolicarum sacrarumque congregationum decreta, Romae 1862.

Loë, Löhr=QF.

Los dominicos en el Extremo Oriente. Prov. del S. Rosario de Filipinas (Barcelona 1916).

Lussiaa E., Le sanctuaire de Soriano, Toulouse 1919.

MacInerny M. H., A. history of the Irish Dominicans I, Dublin 1916.

Malin A., Der Heiligenkalender Finnlands, Helsingfors 1925.

Mamachi = Annales OP.

Martinez-Vigil R., La Orden de Predicadores. Sus glorias en santidad, apostolado, ciencias, artes y gubierno de pueblos seguidas del ensayo de una biblioteca de Dominicos Españoles, Madrid 1884.

Mandonnet P., Les Dominicains et la découverte de l'Amérique, Paris 1893.

— , Siger de Brabant et l'Averroïsme latin au XIII siècle I-II, Louvain [2]1911-1908.

— , S. Dominique. L'idée, l'homme et l'oeuvre, Gand 1921.

— , S. Thomas d'Aquin novice Prêcheur 1244-46. Extrait de la RT 1924-25.

Mansi I. D., S. Conciliorum nova et ampl. collectio XXII-XXIV, Venetiis 1778-80.

Marchese V., Memorie dei più insigni pittori, scultori e architetti domenicani, I-II Genova [3] 1869.

Masetti P. T., Monumenta et antiquitates veteris disciplinae OP praesertim in Romana provincia I-II, Romae 1864.

Mathis B., Die Privilegien des Franziskanerordens bis zum Konzil von Vienne (1311), Paderborn 1928.

Meyer G. A., Gedenkboek van de Dominicanen in Nederland 1803-1910, Nymegen (1912).

— , Dominicaansche Studiën, Tiel [2]1920.

MD = Memorie Domenicane, (Ferrara)-Firenze 1884ss.

Michael E., Geschichte des deutschen Volkes I-III, Freiburg i. B. 1899-1903.

Miscellanea Dominicana in memoriam VII anni saecularis ab obitu S. Dominici 1221-1921 (ed. I. Taurisano), Romae 1923.

(Möllenbrock) Die Konstitutionen des hl. Ordens der Predigerbrüder. Ergänzungsheft 1891-1920, (1922).

Morçay R., S. Antonin, fondateur du couvent de S. Marc, archevêque de Florence 1389-1459, Tours-Paris (1914).

Mortier A., Histoire des Maîtres Généraux de l'Ordre des Frères Prêcheurs I-VIII, Paris 1903-1920

— , Histoire abrégée (Abrégé) de l'Ordre de S. Dom. en France, Tours 1920.

Monti G. M., Le confraternite medievali dell'Alta e media Italia I-II, Venezia (1927).

(Montoto) Reseña historica de la provincia de España 1899-1912. Vergara 1912.

Moph = Monumenta Ordinis Fratrum Praedicatorum historica I-XIV, Romae 1896-1904

I Gerardi De Fracheto, Vitae Fratrum Ord. Praed. ed. Reichert

II fasc. I. Galvani de la Flamma, Chron. Ord: ed. Reichert.

III Acta cap. gen. Ord. Braed. 1220-1303 ed. Reichert.
IV Acta cap. gen. 1304-1378 ed. Reichert.
V Litterae Encyclicae mag. gen. Ord. Praed. sec. XIII. et. XIV, (appendix ad tomos III et IV) ed. Reichert.
VI fasc. I-II: Raymundiana seu Documenta quae pertinent ad S. Raymundi de Pennaforti Vitam et Scripta edd. Balme-Paban-Colomb.
VII fasc. I.: Chronica et Chronicorum Excerpta ed. Reichert.
VIII Acta cap. gen. 1380-1498 ed. Reichert.
XI Acta cap. gen. 1501-1553 ed. Reichert.
X Acta cap. gen. 1558-1600 ed. Reichert.
XI Acta cap. gen. 1601-1628 ed. Reichert.
XII Acta cap. gen. 1629-1656 ed. Reichert.
XIII Acta cap. gen. 1670-1721 ed. Reichert.
XIV Acta cap. gen. 1725-1844 ed. Reichert.

Moroni G. Dizionario di erudizione, Venezia 1840-1861.

Nolan L., The Irish Dominicans in Rome, Rome 1913.

Oberst J., Die mittelalterliche Architektur der Dominikaner u. Franziskaner in der Schweiz, Zürich-Leipzig (1927).

(Ocio) Reseña biográfica de los religiosos de la provincia del S. Rosario de Filipinas desde su fundación hasta nuestros dias I-II, Manila 1891.

O' Daniels V. F., The V. R. CH. H. M. McKenna missionary and apostle of the Holy Name Society, New York 1917.

— , The R. R. E.-D. Fenwick, founder of the Dominicans in the United States, apostle of Ohio, first bishop of Cincinnati, Washington D. C. 1920.

— , An American Apostle, the V. R. M. A. O' Brien, Washington D. C. 1923.

— , The father of the Church in Tennessee or the R. R.-P. Miles the first bishop of Nashville, Washington D. C.-New York 1926.

— , The first Disciples of S. Dominic, Washington (1928).

Pastor L. von, Geschichte der Päpste seit dem Ausgang des Mittelalters I-III$^{3-4}$, IV-XIV 1, Freiburg i. B. 1906-1929.

Paulus N., Die deutschen Dominikaner im Kampfe gegen Luther 1518-63, Freiburg i. B. 1903.

Pelster F., Kritische Studien zum Lebenund zu den Schriften Alberts des Grossen, Freiburg i. B. 1920

